image
not
available




SCHOLA
THEOLOGICA
SCOTISTARVM
seu
CURSUS
THEOLOGICVS
COMPLETVS
AUCTORE
F BERNARDO
Sannig Silesio
Ord Min S.
FRANCISCI
Reform SS Theol
Lectore Iubilato
et Provinciae Boemiae
Ministro Provinciali

SCHOLÆ THEOLOGICÆ SCOTISTARUM

TOMUS III. CONTINENS

MORALEM THEOLOGIAM.

De Sacramentis in genere.
De Baptiſmo; & Confirmatione.
De Euchariſtia.
De Sacrificio Miſſæ.
De Pœnitentia ut Virtute; & ut Sacram:
De Indulgentijs.
De Ordine; & Extrema Unctione.
De Matrimonio; ejusquè Impedimentis.
De Legibus.
De Diſpenſationibus.
De Privilegijs Regularium.
De Cenſuris in genere; & in ſpecie.

VETERO-PRAGÆ,
Typis URBANI BALTHASARI GOLIASCH,
Anno M. DC. LXXV.


MAGNARVM ALARVM, PLENA PLVMIS VENIT AD LIBANVM
GRANDIS
AQVILA
Ezechiel 17.
Augustissimo & Invictissimo
Romanorum Imperatori
LEOPOLDO. I.
Germaniæ Vngariæ & Bohemiæ
REGI
Moravia


MAGNARVM ALARVM, PLENA PLVMIS VENIT AD LIBANVM.
Ezechiel 17.
GRANDIS
AQVILA
Moravia
Augustissimo & Invictissimo
Romanorum Imperatori
LEOPOLDO. I.
Germaniæ Vngariæ & Bohemiæ
REGI

AUGUSTISSIMO
ET
POTENTISSIMO MONARCHÆ
LEOPOLDO I.
ROMANORUM
INVICTISSIMO
IMPERATORI,
Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ,
Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ, &c. &c.
REGI,
Inclytæ Auſtriæ
ARCHIDUCI,
Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ,
Würtembergæ, Sileſiæ Superioris, & Inferioris
DUCI,
Moraviæ, Superioris, & Inferioris Luſatiæ
MARCHIONI,
Habspurgi, Tyrolis, & Goritiæ
COMITI, &c. &c.

In Sacris Divino Numini præſtandis
pijſsimo NUMÆ POMPILIO.

In Sacratiſsimi Euchariſtici Libaminis veneratione
alteri RUDOLPHO HABSPURGICO.

In Divorum, ſignanter Immaculatæ DEIparæ cultu
devotiſsimo HENRICO.

In Orthodoxæ Fidei plantatione
zelantiſsimo CONSTANTINO.

In expurgandis hæreſibus noviſſimis
conſcientioſiſsimo FERDINANDO.

In Eccleſiæ Romanæ, ac Cleri defenſione
Magno CAROLO.

In exercendis Virtutibus, ac Pietatis operibus
novo LEOPOLDO.

In ſuccurrendo Imperio, Regnis, ac Provincijs
PATRI PATRIÆ.

In Legum condendarum ſapienti coordinatione
eruditiſsimo JUSTINIANO.

In

In adminiſtranda Juſtitia, & æquitate
integerrimo TROJANO.

In exprimenda Miſericordia, & venia reorum
veriſsimo DAVIDI.

In adinveniendis, & contemperandis Conſilijs
ſapientiſsimo FABIO.

In decidendis graviſſimis Cauſis
ſagaciſsimo SCIPIONI.

In practicanda Fortitudine, & Conſtantia
impavido HERCULI.

In applicanda Prudentia, & Ingenio
Auſtriaco SALOMONI.

In reſolvendis, & exequendis Bellis
vero CAROLO V.

In ſupprimendo conſpirantes contra S. Majeſtatem
invictiſsimo HANNIBALI.

In domando rebelles, & perduelles
victorioſo ALEXANDRO.

In

In moderando, & augendo S. Rom: Imperio
inclyto AUGUSTO.

In cædendo, & effringendo tot Hostium castra
felicissimo CÆSARI.

In reinthronizando ejectos Reges, & Principes
Potentissimo Rom: IMPERATORI.

ET

DOMINO, DOMINO, DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO

Dedico, inscriboquè hoc Opus meum Scholasticum;
& cum jugi ad DEUM oratione maneo

SUÆ CÆSAREÆ
MAJESTATIS

Pragæ in Conventu S. Mariæ ad
Nives Ord. S. Franc: Reform:
1. Jan: 1676.

Submississimus Vasallus

FR. BERNARDUS SANNIG,
Minister Provincialis Provinciæ Bohemiæ, Moraviæ, & Silesiæ Ord: S. Francisci Reform:

FACULTAS
Reverendiſsimi P. Miniſtri Generalis.

FRATER FRANCISCUS MARIA DE BONONIA, totius Ordinis FF. Min: Seraphici P. N. FRANCISCI Miniſter Generalis & ſervus, &c. Dilecto nobis in Chriſto P. F. BERNARDO SANNIG, SS. Theologiæ Lectori Jubilato, & Provinciæ noſtræ Bohemiæ Cuſtodi, ſalutem in Domino ſempiternam.

Cùm Nobis humiliter exponi feceris, te Completum Curſum Theologicum elaboráſſe, & illum præ manibus prælo paratum habere ſub ſequenti titulo, Schola Theologica Scotiſtarum, *& noſtram, ut Tertius Tomus illius imprimatur, licentiam poſtulaveris. Quapropter tenore præſentium tibi facultatem facimus, quatenus prævijs examine, cenſurâ, & approbatione Theologorum, ac ſervatis in reliquo Apoſtolicis, & Generalibus noſtri Ordinis Conſtitutionibus, dictum Tomum Tertium prælo committas. Datum Romæ in Conventu noſtro de Ara cæli die 7. Septembris 1674.*

FR. FRANCISCUS MARIA à BONONIA, Miniſter Generalis.

De Mandato ſuæ Reverendiſſimæ Paternitatis.

FR. MARCUS BRUNUS, Secretarius generalis Ordinis.

CEN-

CENSURA
Theologorum Ord: FF. Minorum Reform:

Nos infrà scripti Ord: FF. Min: S. Franc: Ref: Provinciæ Bohemiæ Lectores, de mandato Rmi. P. Ministri Generalis accuratè perlegimus Tomum Tertium Operis Scholastici intitulati *Schola Theologica Scotistarum*, ab A. R. P. F. Bernardo Sannig, Ord: FF. Min: S. P. N. Francisci Ref: Prædicatore, SS. Theologiæ Lectore Jubilato, & Provinciæ Bohemiæ Ministro Provinciali, felici ingenio, stylo succinctò quidem, & lucido, gravi tamen & solido elucubratum; & reperimus illum esse sinè macula dehonestante bonos mores & sinè ruga deturpante fidem Orthodoxam. Dignissimum proinde censemus, ut in publicam lucem edatur pro communi bono Lectorum, quos delectando trahet, & trahendo erudiet: nec mirum; trahit enim Author prælibatus de testa Doctorum approbatorum nucleum; de Littera Scoti saporem; de petra selectissimarum Authoritatum, Conciliorum Oecumenicorum, & SS. PP. sugens oleum; de spina difficultatum legens florem. Actum Pragæ in Conventu S. Mariæ ad Nives, Ordin: FF. Minor: Reform: S. Francisci, Ann. 1675. die 12. Decembr:

Fr. Antonius Harttman, *in præfato Conventu SS. Theologiæ Lector Generalis actualis, & Provinciæ Secretarius.*

Fr. Amandus Herman, *in eodem Conventu SS. Theologiæ Lector Generalis actualis.*

CENSURA
Theologorum Ord: FF. Prædicatorum.

Tomum Tertium Theologicum subtilis *Scholæ Theologicæ Scotistarum*, complectentem Materias Morales, Authore R. A. P. Bernardo Sannig, Ord: Min: S. Franc: Ref: SS. Theologiæ Lectore Jubilato, & Provinciæ Bohemiæ Ministro Provinciali, &c. seduli evolvimus, miramquè eruditionem, ac copiam in hoc Opere invenimus, dum præfatus Author omnes Quæstiones tam à Veteribus, quàm à Recentioribus diu agitatas, subtilitatem claritati conjungens, tantâ felicitate & facilitate pertractat, ut nihil omittat scitu necessarium, nec admittat sanæ doctrinæ, aut bonis moribus dissonum: sua dogmata tam clarè proponit, ut omnibus pateant; tam nervosè confirmat, ut singulis placeant; tam solidè probat, ut evincat. Proinde Opus ita eruditè elaboratum ad majorem subtilis Scholæ utilitatem, ad Sacri Ordinis, & suæ Provinciæ communem gloriam, ad Authoris verò velut Scriptoris doctissimi, de thesauro suo proferentis nova & vetera, perenne nomen, publicam in lucem prodire desideramus, ac dignissimum censemus. Datum Pragæ in Generali Studio Ord. Prædicat: ad S. Ægidium, die 1. Junij, An. 1675.

Fr. Joannes Stuber, *SS. Theologiæ Magister.*

Fr. Albertus Mussik, *Præsentatus, & Generalis Studij Regens.*

CEN-

CENSURA

Theologi Ordin: FF. Minor: Conventual:

OPus *eruditissimum, cujus inscriptio* Scholæ Theologicæ Scotistarum, *seu* Cursûs Theologici Completi *Tomus Tertius, ab Admodum Reverendo, & Dignissimo Patre* Bernardo Sannig, *Ordin: Min: S. Francisci Ref: SS. Theologiæ Lectore Jubilato, Almæ Provinciæ Bohemiæ Ministro Provinciali compositum, diligenter perlegi; ubi nihil, quod esset Fidei Catholicæ, aut moribus dissonum inveni; sed potiùs omnia bene solidata, & fundata tum Authoritate, tum Rationibus. Idcirco publica luce dignissimum censeo. Datum Pragæ in Conventu S. Jacobi Ord: FF. Conventual: An. 1675. die 26. Nov:*

Fr. Blasius Antonius de Comitibus à Mediolano,
SS. Theol: Doctor, Prov: Mediolanensis Ordin: Min: Conventualium Diffinitor perpetuus, in Regio Ferdinandæo ad S. Jacobum Studio Regens, in Imperiali Monasterio Carloviensi Theologiæ, nec non in Seminario Archi-Episcopali Controversiarum Professor ordinarius.

APPROBATIO

ORDINARIJ.

LIber *Schola Theologica Scotistarum* intitulatus, à Reverendo Patre Bernardo Sannig, SS. Theologiæ Lectore Jubilato, &c. doctè conscriptus, ut in lucem publicam edatur, facultatem concedo. Pragæ 13. Novembris, anno 1674.

Christianus Augustinus Pfaltz,
SS. Theologiæ Doctor, Scholasticus ad S. Vitum, & Archi-Episcopatûs Pragensis Sede Vacante Officialis, & in Spiritualibus Vicarius Generalis.

PRI-

PRIVILEGIUM
CÆSAREUM.
Super impreſsione Librorum Auctorum Ordinis S. Francisci Regularis, & Strictioris Obſervantiæ.

PRivilegio Cæsareæ Majestatis cautum eſt; ne quis per univerſum imperium Libros à Patribus Ordinis S. Francisci Regularis, & Strictioris Obſervantiæ editos, aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recuſos, juxta Sacri Imperij, Regnorumquè, ac Dominiorum hæreditariorum Domûs Austriacæ adducat, vendat, vel diſtrahat, absque conſenſu & facultate eorundem Patrum, ſub pœna confiſcationis Librorum, & mulcta viginti Marcharum auri puri. Ita ſancitum & decretum in Civitate Ratisbonenſi, pridiè nonas Decembris, An. 1636. *Signatum.*

FERDINANDUS.

Infrà:

Ad mandatum S. Caſ: Majeſtatis proprium.

JOANNES WALDERODE.

A latere: P. H. A. STRALENDORFF.

INhærendo Decreto Cæſareo Ferdinandi Augusti edito ſuper impreſsione Librorum, ab Auctoribus Regularis, & Strictioris Obſervantiæ edendorum, conſenſum, & facultatem do D. Urbano Goliasch, Civi, & Typographo Pragenſi, faciendi primam editionem Tomi mei Tertij *Scholæ Theologicæ Scotiſtarum.* Datum Pragæ, ad Nives die 1. Decembr: An. 1674.

FR. BERNARDUS SANNIG.

INDEX QVÆSTIONUM IN HOC TOMO TERTIO CONTENTARUM.

DISTINCTIO I.

De Sacramentis in genere.

DISTINCTIO II.

De Baptismo.

DISTINCTIO III.

De Confirmatione.

DISTINCTIO IV.

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento.

DISTINCTIO V.

De Sacrificio Missæ.

DISTINCTIO VI.

De Pœnitentia.

DISTINCTIO VII.

De Contritione, & Attritione Pœnitentiali.

DISTINCTIO VIII.

De Necessitate Virtutis Pœnitentiæ; ejusquè Efficacia.

DISTINCTIO IX.

De Pœnitentia ut habet rationem Sacramenti.

DISTINCTIO X.

De Confessione Sacramentali.

DISTINCTIO XI.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

DISTINCTIO XII.

De Satisfactione.

DISTINCTIO XIII.

De Indulgentijs.

DISTINCTIO XIV.

De Extrema Unctione.

DISTINCTIO XV.

De Ordine.

DISTINCTIO XVI.

De Sponsalibus.

DISTINCTIO XVII.

De Matrimonio secundùm se.

DISTINCTIO XVIII.

De Bonis Matrimonij.

DISTINCTIO ULTIMA.

De Impedimentis Matrimonij.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

DISTINCTIO I.

De Lege in Communi, & in specie de Naturali, & Positiva ùt sic.

DIS-

DISTINCTIO II.

De Lege Mosaica, & Evangelica.

DISTINCTIO III.

De Lege Humana, tam Ecclesiastica, quàm Civili.

DISTINCTIO IV.

De Consuetudine, & Dispensationibus.

TRACTATUS DE PRIVILEGIJS.

DISTINCTIO I.

De Privilegijs ut sic.

DISTINCTIO II.

De Privilegijs Regularium.

QUÆST:

TRACTATUS
DE
SACRAMENTIS.

PROLOGIUM.

SAmaritanus ille pijssimus (*verba sunt Doctoris Subtilis Scoti hic*) spoliatum videns hominem, & atrociter sauciatum, miserationis affectu compatiens, medicinam attulit efficacem: *dum Salvator noster sauciato per peccatum Peccatori, ordinavit* Sacramenta, *veluti efficaces quasdam moralium vulnerum medicinas, & salutaria unguenta; de quibus prædixerat Ecclesiasticus cap. 38.* Ungventarius conficiet pigmenta suavitatis, & unctiones sanctitatis. *De his proinde Sacramentis Moralis hic incipiet Tomus. Et primò quidem de Sacramentis in genere nonnulla prologabo. Unde sit*

DISTINCTIO I.
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

LY Sacramentum etymologicè acceptum, varias habet significationes. Primò enim: coincidit cum ly *Juramento*, maximè apud Prophanos scriptores. Secundò: usurpatur pro signis sacrarum rerum indefinitè: quo sensu Tertul: lib: *ad Martyres c. 3.* sponsionem factam in Baptismo appellat *Sacramentum.* Tertiò: capitur pro quavis arcana re; sic dicitur Sap: 2. *nescierunt Sacramentum DEI.* Quartò tandem ad propositum magis: accipitur pro signo significante sanctitatem, quam & suscipienti confert. Et in hac usurpatione vocis hic instituitur Tractatus; eamq; cum universa Catholica Ecclesia amplexatus est jam olim S. August: lib: 2. *de doctrina Christ: c. 3.* S. Hieron: Cypria: & alij SS. PP. ut proinde Sectarij nostri temporis falsò confingant, hanc vocem à tempore Magistri Sent: esse tantùm in usu positam apud Catholicos.

QVÆSTIO I.
Proponitur Definitio vera Sacramenti propriè dicti.

1. *Definitio Sacramenti à Magistro Sent. & Catech. Rom. tradita.*

VAriæ passim deprehenduntur definitiones Sacramenti propriè dicti; quæ tamen suas patiuntur difficultates. Magister Sent: ex D. Aug: definit Sacramentum strictè sumptum sic; quòd *sit invisibilis gratia visibilis forma.* Catechismus Rom: Tit: *de Sacramentis in Genere; est Res sensibilis subjecta, quæ ex DEI institutione Sanctitatis, & justitia, tum significanda, tum efficienda vim habet:* Alij aliter definiunt; explicatiùs ego cum Scoto.

2. *Definitio Scoti.*

DICO I. Optimè definitur *Sacramentum, quòd sit signum sensibile gratiam, vel effectum DEI gratuitum ex institutione Divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris.* Ita Scotus in 4. d. 1. q. 2. n. 9. cum suis.

Probatur primò: hæc Definitio habet singula requisita ad exactam definitionem: ergo per eam bene definitur Sacramentum.

3. *Elucidatio singularũ vocum.*

Probatur secundò: elucidando omnes particulas: dicitur esse *signum sensibile*, ad differentiam signorum spiritualium: & ad ostendendum Sacramenta esse hominibus tanquam corporeis viatricibus creaturis data, quæ non nisi per sensus in cognitionē ducuntur: Unde dicit S. Chrys: hom: 60. *si tu incorporeus esses, nuda ipsa tibi dedisset dona: nunc autem quia conjuncta est corpori anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.* Additur, *gratiam*: intellige sanctificantem primariò, quæ est signatum hujus signi primarium; & etiam actualem, ni obex ponatur. Ponitur ly *vel effectum DEI gratuitum*: propter Eucharistiæ Sacramentum, cujus signatum primarium in Ciborio conservati, non est gratia habitualis; sed *gratia subsistens per se*, scilicet Christus; qui est effectus gratuitus; idest, ex gratuita DEI Voluntate procedens. Ly *ex institutione Divina*: denotat Sacramenta non procedere ex humana inventione, sed esse signa divinitùs instituta. Ly *efficaciter significans*: docet Sacramenta nostra per modum signorum practicorum, & quidem ex opere operato signare, & afferre gratiam Divinam. Tandem illæ notulæ *ordinatum ad salutem hominis viatoris*: demonstrant *causam finalem*, ob quam institutum est Sacramentum, videlicet salutem; & *subjectum*, quod censetur capax receptionis Sacramenti, scilicet homo in via constitutus.

4. *Comptoni definitio rejicitur.*

Ex definitione sic enucleata rejicio definitionem Comptoni, quam habet disp. 62. sect. 3. dicens: Sacramentum esse *Caremoniam sacram sensibilem ad gratiam significandam, & causandam stabiliter institutam*: hæc enim definitio non convenit Sacramento Eucharistiæ, in esse permanenti considerato, quod solùm effectum gratuitum Christum significat; ideóq; est manca, contra Regulas definitionis bonæ.

5. *Quæsit unitas in sa cramento materialiter & formaliter sumpto.*

Objicies primò contra Conclusionem: ex Aristotele 7. Met. 16. Unum per accidens non potest unâ strictâ definitione definiri: Sed Sacramentum est Ens per accidens; quia coalescit ex rebus diversorum generum, verbis videlicet, & elementis: Ergo, &c. ℞. cum solida Scoti doctrina neg: min: nam ut advertit dictus Doctor; *Sacramentum* sumi potest dupliciter pro *Formali*, & *Materiali*: Pro *Materiali* sumptum importat quidem rationem entis per accidens; puta aggregationem rerum ex diversis generibus: pro *Formali* tamen importat rationem entis per se; relationem nimirum unam signi ad signatū; quô modô proinde est unâ strictâ definitione definibile.

6. *Scoti Doctrina à RR. Impugnatione defenditur.*

Quibusdam Recentioribus hæc Scoti doctrina non sapit: unde conantur ostendere Sacramentum pro *formali*, non importare ut essentiam totam, solam relationem signi ad signatum; sed etiam res sensibiles. Verùm his ℞. ex eodem Doctore in 4. d. 3. q. 2. essentiam rei posse bifariam sumi; Primò: pro eo, quod præcisè importat conceptus quidditativus rei: ex genere & differentia formatus. Secundò: pro eo, quod importat conceptus tam quidditativus, quàm quietativus simul. Ad propositum ℞. ad conceptum formalem, essentialem & quidditativum Sacramenti pertinere solam relationem, seu significationem Sacramentalem; ad quietationem tamen intellectûs, qui non quiesceret, si in expressione relationis, seu significationis illius non ponerentur extrema, seu res sensibiles, spectant etiam ipsæ res sensibiles.

QVÆSTIO II.

Utrum pro statu cujuscunque Legis fuerint aliqua Sacramenta propriè dicta?

1. *Tripl: status naturæ lapsæ.*

NOta: quòd triplex Legis tempus, juxta triplicem naturæ lapsæ statum distinguatur. Primus Status à lapsu Adami usque ad Moysen extenditur, pro quo durabat Lex naturæ; non tantùm continens ea præcepta, quæ lumen ipsum naturale cuique fortè dictabat; verum etiam quædam alia supernaturaliter à DEO revelata, & quæ à parentibus ad filios perpetuâ traditione perveniebant. Secundus Status duravit à Moyse usque ad Christum; pro quo viguit Synagoga, & ejus Lex, scripta digito DEI in duabus tabulis lapideis. Tertius Status est à Christo usque ad finem mundi, pro qua lata est Lex Gratiæ, sic dicta; quia in ea abundantiùs diffunditur gratia.

2. *In statu gloriæ non est usus Sacramentorum.*

Quibus si addas statum Innocentiæ ante lapsum; & statum Gloriæ post hanc vitam; erunt quinque diversi status. Sed de his posterioribus non procedit quæstio; quia in

in gloria, *ubi venerit quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt*; adeóque & uſus Sacrameotorum.

3\. *Quid de Sacramẽtis in ſtatu innocẽtiæ ſentiat Scotus.*

Pro ſtatu etiam Innocentiæ non fuit congruum (verba ſuntScoti 4.d.1.&q.3.) *inſtitui Sacramentum, ſicut poſt lapſum; quia etſi tunc homo potuerit ex ſenſibilibus cognoſcere intelligibilia; tamen nullum ſenſibile fuit neceſſarium, tanquam conferens ad ſalutem, removendo aliquod impedimentum ſalutis, ut ſcilicet propriè dici poſſit medicina.*

4\. *Mens ejuſdem Doct. ulterius aperitur.*

Nota ſecundò: Scotum abſolutè non negare pro ſtatu naturæ integræ, ſeu Innocentiæ fore aliqua Sacramenta; ſed ſolùm quòd non, ſicut poſt lapſum; hoc eſt, per modũ medicinæ reſtitutivæ ſaoitatis jam amiſſæ; cum quo benè ſtat, quòd fuiſſent vera Sacramenta, ad modum quaſi medicinæ præſervativæ. Qoidquid ſit de hoc; quæſtio potiſſimùm procedit de triplici illo ſtatu naturæ lapſæ.

5\. *Aug. Authoritas de Sacramentis Legis naturæ.*

Nota tertiò: quia Lex Naturæ, ſicut non fuit ſcripta; ſed tradita, ita de ejus Sacramentis in ſpecie oil ſcriptũ habemus; præſertim ante tempus Abrahæ. Unde S. Auguſt. 15. Civ. c. 16. dicit; *Vtrum aliquod fuerit, vel ſi fuit quale fuerit, corporale atque viſibile regenerationis ſignum ante diluvium, ſicut Abrahæ Circumciſio poſtea imperata, ſacra hiſtoria tacet.* Proinde de Sacramentis legis Naturæ non oiſi coojecturis, & congruentijs procedendum erit.

6\. *Fuerũt Sacramenta propria in quovis ſtatu naturæ lapſæ.*

DICO primò: congruentiſſimum videtor, & DEI Bonitati maximè conſentaneum, pro ſtatu cujusque legis inſtitutũ fuiſſe à DEO Sacramentum aliquod propriè dictum, gratiæ cauſativum de præſenti ex upere operato. Eſt Doctoris in 4. d. 1. q. 3. quam ſequitur intrepidè tota ejos ſchola; contra D. Thom. 3. p. q. 62. Bellarm: Comptunum, &c.

7\. *SS. PP. pro concluſione afferũtur.*

Probatur *de Statu Legis naturæ* ex S. Auguſt. lib. 5. *contra Julianum*, cap. 21. dicente: *non ideo tamen credendum eſt, & antè datam circumciſionem, famulos DEI, quandoquidem illis inerat Mediatoris fides, nullo Sacramento eis opitulatos eſſe parvulis ſuis; quamvis quid illud eſſet, aliquâ neceſſariâ causâ Scriptura latere voluerit.* Idem habet S. Greg. lib. 4. *Moral.* c. 3. S. Bernardus Epiſt. 77. &c.

8\. *Scoti congruentia pro eadem doctrina.*

Probatur etiam ratione congruentiali Scoti; nullo tempore dimiſit DEUS cultores ſuos ſinè remadio neceſſario ad ſalutem, hoc enim decet Divinam Providentiam, ordinantem media ſufficientia ad ſalutem omniũ: ſed etiam io ſtatu legis Naturæ fuir oeceſſaria deletio originalis culpæ: ergo etiam pro illo ſtatu fuit ordinatũ à DEO remedium efficax.

9\. *Suadetur ulteriꝰ, in ſtatu Legis naturæ fuiſſe Sacramentum.*

Et quamvis potuerit in adultis Originale deleri per bonum motum intrinſecũ; tamen in parvulis, in qnibus nequit eſſe talis motus, non potuit deleri per actum proprium; ergo per actũ aliorum ad ipſos relatum: jam ſic; ſed non poterat eſſe certũ, quòd actus alterius relatus ad parvulum ſufficeret, niſi hoc fuiſſet inſtitutũ à DEO, acceptante tanquam ſufficientem ad talem finem: Cùm ergo non ſolùm adultis Coltoribus ſuis providerit de remedio neceſſario DEUS; ſed etiam parvulis; & hoc de remedio, de quo parentes poſſent eſſe certi pro parvulis; ſequitur quòd tempore legis Naturæ erat à DEO inſtitutum aliquod remedium, & conſequenter Sacramentum.

10\. *Remediũ legis naturæ non conſiſtebat in interna; ſed externa actione & ſigno ſenſibili.*

Ex his deduco: hoc remediũ efficax ad ſalutem parvulorum conſtitutum, non fuiſſe poſitum in ſolo actu interiori; ſed in aliquo exteriori, & ſenſibili ſigno, fidei Meſſiæ venturi proteſtativo. Ita etiam ſentit Scotus loco citato. Et ratio primò poteſt eſſe; quia per tale remedium parvuli conjongebantur ut membra corpori Eccleſiæ viſibili: ergo congruum fuit, ut hæc conjunctio etiam fieret per aliquod ſignum viſibile, & ſenſibile, & non per internum aliquem inviſibilem actum. Secundò; hoc remedium humano modo debebat applicari infantibus, ſicut applicatur nobis de facto Baptiſmus; ſed humanus modus petit, ut per ſignum externum ſenſibile fiat talis applicatio: ergo, &c.

11\. *Fuit actus proteſtativus fidei in Meſſiâ.*

Quòd autem hoc ſignum fuerit *actus proteſtativus fidei Meſſiæ*: tenet S. Aug. lib 2. *de Nup. & concupiſc.* c. 12. dicens: *Eadẽ fides Mediatoris ſalvos juſtos faciebat antiquos puſillos cum magnis.* Et alij PP. qui pro tali remedio aſſigoant aliquam fidem.

12\. *Sufficiebat fides in Meſſiâ generalis implicita.*

Si quæratur: quænam Meſſiæ fides erat neceſſaria ad validè adminiſtrandũ hunc actum Sacramentalem? ℟. Non fuiſſe neceſſariam fidem explicitam, & infuſam venturi Meſſiæ; ſed ſufficiebat objectiva implicita contenta in generali voluntate faciendi, quod vera faceret fideliũ Congregatio in applicatione talis remedij. Unde poterat ſufficere actus etiam alicujus Infidelis habentis illam fidem: & hinc etiam docet S. Aug. lib. 1. *contra Creſconium* c. 31. Circumciſionem à Samaritano collatam eſſe validam. Ratio Reſponſionis petitur ex paritate baptiſmi; qui ab infideli, non habente niſi implicitam fidem, collatus eſt validus.

13\. *Teſtimonia PP. prò Sacramẽ-*

Probatur *de Statu Legis ſcripta*, Primò; ex omnibus illis Patribus, qoi tenent Circumciſionem in Lege ſcripta deleviſſe originale; adeòq; fuiſſe verum Sacramentũ:

cis Legis Mosaicæ. ità sentit S. Gregorius, Beda, Bern: Prosp. Fulgent: Aug: lib: 3. *contra Julianum c.* 18. & alibi frequenter; & deducit hoc ex ipsa institutione Circumcisionis Gen: 17. *Masculus cujus praeputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima ejus de populo.*

14. *Testimonium ex Jure Pontif.* Probatur secundò: ex Innoc: III. cap: *Majores de Baptismo*; ubi dicit: Baptismū successisse Circumcisioni; & comparat illa verba: *Masculus cujus praeputij caro*, &c. cum illis; *nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c & tandē concludit; quod per utrumq; tollatur Originale: ergo sicut in lege gratiæ Baptismus est Sacramentum; ita in lege scripta, Circumcisio erat verum Sacramentum.

15. *Ratio Scotistica pro eadē doctrina.* Probatur tertiò: ratione Doctoris suprà allata; quia DEUS nullo tempore reliquit humanum genus sinè remedio necessario ad salutem; & maximè illos, quibus ipse dedit legem; ut per ejus observantiam pertingant ad salutem: ergo etiam tempore legis Mosaicæ scriptæ dedit aliquod tale remedium: non aliud, quàm Circumcisionem: ergo, &c.

16. *Etiam in Lege Evāgelica extant Sacramenta.* Quoad *statum legis Gratiæ*, quòd in eo dentur Sacramenta vera, gratiæ causativa ex opere operato; res est certissima; & in Tridentino, alijsq; passim Concilijs definita; ac à tota Ecclesia hactenº custodita sanctè: ostendeturque ex professo infra q. 4. Interim ratio seu Congruentia eadem potest adduci, quæ data est pro prioribus duobus statibus legis, ex Doctore.

QVÆSTIO III.

Resolvuntur Objectiones prioris Quæstionis.

THomas Comptonus Carleton hìc, disp. 67. sect. 1. pluribus contendit Circumcisionem veteris legis non fuisse Sacramentum ex opere operato causans gratiam. Et

I. *Quædam Scriptura rectiº glossantur.* Arguit I. ex sacra Scriptura: quæ ad Gal. 4. vocat Sacramenta antiquæ Legis, & consequenter circumcisionem *infirma, & egena elementa*. Ad Coloss. 2. *Vmbram futurorum*. Item non potuisse accedentes perfectos facere: quæ dici non possent de circumcisione; si ex opere operato contulisset gratiam: ergo, &c. ℞. Has, & similes Scripturas loqui tantùm de Sacramentis veteris Legis, impropriè dictis; cujusmodi erant certæ Purificationes; esus Agni Paschalis, &c. quæ utique etiam in Scotistarum sententia non conferebant gratiam ex opere operato; sed erant egena elementa, umbræ, &c. Quæ Responsio inde deducitur, quòd SS. PP. concedant Sacramēto propriè dicto veteris Legis, puta Circumcisioni, collationē gratiæ ex opere operato; ut facit Innocentius cit: & alij.

2. *Authoritas S. Pauli ad Rom: 3. objicitur.* Arguit 2. Comptonus 3. D. Paulus ad Rom: 3. discurrens de Judæis & Gentilibº ait: *quid amplius Judæo est, aut quæ utilitas circumcisionis? multum per omnem modum, primùm quidē, quia sunt credita illis eloquia DEI*; sed ex his ostenditur primariam utilitatem Circumcisionis respectu Judæorum fuisse, quòd receperint legem, ac eloquia DEI; nullā factā mentione, quòd contulerit gratiam ex opere operato; quod tamen fecisset, si esset effectus ejus præcipuus: Ergo, &c.

Ad eandē Responsio in favorē Circumcisionis. ℞. Neg: min: quia in allegato textu, Apostolus tantùm ostendit quandam utilitatem particularem, & præcellentiam Judæorum, in comparatione Gentilium, qui Circumcisionis non habebant beneficium: per hoc tamen non denegat Circumcisioni aliam utilitatem, & effectum magis principalem, quem alibi exprimit; & ei concedunt SS. PP. Greg. Fulgent: Bern: &c. quēmq; Aug: lib: 16. *de Civ. DEI*, c. 27. deducit, ex ipsa circūcisionis institutione Gen: 17. *Masculus cujus praeputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima ejus de populo.*

4. *Verus sensus quorūdā SS. PP. aperitur.* Arguit 3. ex Patribus: Justino Martyre *in Dialogo cum Triphone*: Irenæo lib. 4. c. 30. Athanasio, Cypriano, &c. qui docent, Circumcisionem esse datā pro signo fidelis populi Abrahæ, ut dignosceretur à gentibus; ergo non causat gratiam ex opere operato. ℞. Neg: Conf: nam Circumcisio dupliciter considerari potest; primò: ut fuit instituta præcisè pro Sacramento conferente gratiam, efficaciter deletivam Originalis peccati; & hæc institutio contigit 400. penè annis ante datā Legem Mosaicam: secundò: quatenus fuit instituta pro signo distinctivo populi fidelis Abrahæ; quod factū est tempore dationis legis Mosaicæ: & de Circumcisione in hoc sensu loquuntur allati Patres: non negantes tamen ipsi rationem alteram, seu vim purgandi ab originali ex opere operato.

5. *Duo fuerunt remedia contra originale in statu legis scripta.* Arguit 4. à ratione: aliud præter Circumcisionem fuit apud Hebræos remediū delendi Originale peccatum; ut patet de fœminis, & morientibus ante octavum diem, quibus Circumcisio applicari non potuit: ergo hæc non fuit tale remedium universale. ℞. Neg: Conf: quia erant remedia duo, ordinata pro lege Mosaica; quibus enim Circumcisio applicari non potuit: prævidit DEUS de reme-

remedium universale. ℞. Neg: Conf: quia erant remedia duo ordinata pro lege Mosaica; quibus enim Circumcisio applicari non poterat, providerat DEUS de remedio legis naturæ, quod pariter erat Sacramentum propriè dictum, sufficiens & applicabile in defectu Circumcisionis; sicut in lege gratiæ in defectu Baptismi fluminis, est sufficiens Baptismus flaminis, vel sanguinis.

6. *Florent. & Trid. Cōc. Vera mens panditur.*

Objiciunt alij Authoritatem Florentini; quod in *Decreto fidei ad Armenos* dicit, Sacramenta novæ legis, multùm differre à Sacramentis legis veteris, eò quòd hæc non causarent gratiam. Et similiter loquitur Trid: Sess: 7. Can: 2. ergo &c. ℞. glossando utrumq; Concilium; dicunt Sacramenta illa differre à Sacramentis legis veteris impropriè dictis, conc: Ant: propriè dictis Neg: ant: Vel certè vult dicere utraq; Synodus, quòd differant multùm; quia quoad modum causandi gratiam differunt; eò quòd antiqua Sacramenta causarent gratiam, dependenter à meritis Christi exhibendis: nova verò dependenter à meritis Christi jam exhibitis; & quia hæc conferunt copiosiorem gratiam, & specialiores Characteres: quàm illa.

QUÆSTIO IV.

Utrum Sacramenta Novæ Legis causent gratiam ex opere operato?

1. *Judicium Lutheri, Calvini, & aliorū, circa efficientiā Sacramentorum.*

HÆc est controversia Fidei particularis contra Novatores tantùm; qui sicut dicunt Sacramenta Novæ, & antiquæ legis, etiam impropriè dicta in nullo, quoad efficaciam differre; ita docent Sacramenta novæ legis ex se nil aliud præstare, quàm excitare fidem Ministri, vel recipientis, quâ solâ justificatur: *Baptismus*, inquit Lutherus lib: *de Capt: Babylonica, c. de Baptismo; neminem justificat, nec ulli prodest, sed fides in verbo promissionis, cui additur Baptismus: hæc enim justificat.* Et Calvinus lib: 4. *Instit:* c. 14. dicit: *Fixum maneat, non esse alias Sacramentorum, quàm Verbi DEI partes, quæ sunt offerre nobis, ac proponere Christum, & in eo cælestis gratiæ thesauros.* Unde vocem illam *ex Opere operato*, velut barbaram irrident; cùm ly *operatum* sit quid passivum; & tamen secundùm nos Sacramentum sit activum gratiæ; ideòq; potiùs dicere deberemus *opus operans*.

2. *Reprimitur irrisio*

Verùm hanc irrisionem irrisit jam olim S. Aug: in psal 138. *melius est*, inquit, *ut nos reprehendant Grammatici; quàm ut non intelligant populi*; & propterea maluit ibidem dicere *ossum ossi*, quam *ossis*. Aptissimè ergo DD Catholici Grammatices leges in hoc spernentes, maluerunt dicere, *opus operatum*; quàm opus operans, nè detur intellegi, effectum istius operis, non solùm Ministro Operanti non esse adscribendum; ut volunt Hæretici; Verùm nec ipsi signo Sacramentali ex vi sua naturali; ut nobis Calumniautes ijdem impoount; sed solùm quatenùs à DEO ad id est institutum, qui verè efficienter, & principaliter operatur effectum Sacramenti; & cujus proinde opus operatum dicitur Sacramentum.

baret per Authorit: D. Aug.

3. *Efficacia Sacramentorum novæ legis concluditur.*

DICO Primò; Sacramenta novæ legis causant gratiam ex opere operato. Est communis omnium Catholicorum.

Probat. primò: maximè de Sacramentis novæ legis; ex Conc: Florentino, & Tridentino, in quibus expressè conclusio definitur. Et quoad Baptismum (de quo æqualiter dogmatizant Hæretici) jam dudum fuit definitū in Conc: Nicæno, Constantinop: primo, Milevitanō, &c.

4. *Blasphem: Lutheri in SS. PP.*

Secundò: adduci possunt infiniti penè SS. Patres. Verùm hos omnes; imò & Christum in illis loquentem, inauditā blasphemiā sprevit Lutherus lib: *contra Cochlæum*, his verbis: *quia si qui sunt ex Patribus, qui senserunt Sacramenta sua virtute gratiam producere; esto etiam Augustinus (ut Cochlæus contendit) nihil moror, hominum sunt dicta sibi ipsis sæpius pugnantium, pleraq; humano sensu extra scripturas docentium.* Simile fermentum habet Calvinus lib: 4. *Instit:* c. 14.

5. *Eadem retunditur.*

At quis sanæ mentis nòn præferret Augustinum Luthero? Torrentem SS. Patrum antiquorum, turpissimæ paludi Novatorum? humanū licèt sensum, à DEO tamen inspiratum Patribus, privato illi sensui Spiritûs privati, Patris errorum, qui in Hæreticis residet? profectò indignos se reddidère hi Novatores, ut cum illis sacris PP: Verbis agatur; non aliter, quàm ad homines (si homines tamen sunt) discurrendo procedam. Itaque.

6. *Instantia ad hominē hæreticum*

In primis: interrogo; si Baptismus (idem dic de alijs) nil aliud præstet, quàm excitare fidem ad verbum Ministri; quare adhibetur Infantibus, surdis, & amentibus, in quibus nulla talis fides excitari potest? Secundò: cur ipsi admittunt Baptismum administratum linguâ Latinâ, etiam non intelligentibus illam linguam, valere? cùm tamen hoc modo nullam fidem, vel in se, vel in Baptisato non intelligente excitare possit. Tertiò: si Sacramenta sint nuda signa, ad excitandam fidem

B

dem per modū Concionis, ùt ipsi loquuntur, quomodò baptisato magis; quàm reliquis omnibus assistentibus prodest Baptismus? utpote io quibus æquè bene potest excitari fides per Ministerium Sacramenti. Quartò: si à fide Mioistri, vel suscipientis excitatâ per baptismum pendeat totus valor Sacramēti; quomodò Novatores non dogmatizant, rebaptizandos esse eos, qui à Ministro Catholico sunt baptisati? Deniq; si Sacramenta non aliter causant fidem, & justificatiooem; quàm more concionis, excitando fidem; ut quid ipsam Concionem majori jure non appellant Sacramentum? ut pote cui maximè proprium est, extrinsecè pulsando, exeitare intus fidem.

7. *S. Scriptura nusquam dicit solā fidem justificare.*

Obijeiunt Hæretiei: omoia illa scripturæ loca, quæ videntur innuere solam fidē justificare: Sed ad hæc in materia de Justificatiune ex professo respōdetur. Pro nune sufficiat; quod sacra scriptura nullibi dicat, solam fidem justificare. Admittimus quidem nos Sacramenta, non esse unieam causam nostræ justificationis, sed instrumentum duntaxat; principalem verò esse DEUM, & Christum; formalem verò gratiā DEI, cujus initium est fides, non exeitata, sed collata, vel aucta per Sacramenta.

8. *Lutherus refellitur.*

Obijcit præterea Lutherus; illud scripturæ specialiter; *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*; & non aòdit, inquit Lutherus, qui non baptisatus fuerit: ergo sola fides, & noo baptismus salvat. ℟. quamvis ibi non addiderit scriptura; benè tamen alibi; dum dixit; *nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu Sancto; non potest intrare in regnum* DEI. Et qoid si simili argumeotandi geoere contra Lutherum quis argueret ex Apostolo 1. Cor: 13. ubi dicit *fidem sinè charitate nil prodesse*: ergo fides nihil prodest. Neg: ergo Con: Lutheri; sed solùm sequitur; baptismum sinè fide non justificare.

9. *Etiam Calvinus.*

Obijcit Calvinus: qui dicunt Sacramenta justificare ex opere operato, abstrahunt homioes à DEO; & faciont, ut in spectaeulo rei corporeæ, non in ipso DEO quiescant: hoc autem est illicitum: ergo &e. ℟. Neg: Maj: nam sicut non abstrahebatur Popolus Israël à DEO, quando DEUS ipse proposuit illi serpentem æneum, ut aspiciendo eum sanarentur; & quando Verbū assumpsit carnem visibilē, quæ velabat Divinitatē; ita non censentur abstrahi homines per applicationē Sacramentorum corporeorum, per quæ DEUS operatur; sed potiùs ad DEI amorem, & cognitionem magis accenduntur; secundùm quod dieit scriptura: *invisibilia per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur*:

10. *Et Kemnitius.*

Obijcit Kemnitius hæreticus: ad Ephe 5. vers: 26. dicitur, *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*; ubi inquit, totam vim baptismi tribuit Paulus verbo; verbum autem operatur excitando fidem; nam *fides ex auditu*: ergo, &c. ℟. per verbum vitæ, ibi omnes Interpretes intelligere, non verbū Concionatorium, ùt vult Kemnitius; sed Coosecratorium, & practicum, formámq; baptismi.

11. *Confutatur Zvinglius.*

Obijcit Zvinglius: Sacramenta sunt res materiales, justificatio est spiritualis; inter quæ nulla est proportio: ergo nequeunt justificationem causare ex opere operato. ℟. primò: non esse oecesse, quòd ioter signum, & signatum, sicut se habet Sacramentum, & justificatio, sit proportio in essendo; maximè in signis ad placitum: quæ enim est proportio inter hæderam, & vinum venale? ℟. secundò: in Sacramentis adesse proportionem in repræsentando, quæ desumitur ex beneplacito DEI instituentis Sacramenta ad talē effectum causandum supernaturalem. Adde in Sacrameotis etiam in essendo adesse quandam proportionem; puta in externa ablutione aquæ, ad internam animæ ablutionem à peccato. In externa Eucharistiæ refectione, ad internam animæ refectionem; & sic de alijs discurrendum.

12. *Quid sit Sacramēta conferre gratiā ex opere operato.*

Nota pro fine: Sacramenta conferre gratiam *ex opere operato*, est Sacramenta infallibiliter conferre gratiam recipienti, nisi ponatur in recipiente obex; quamvis actio conferentis esset peccaminosa, & demeritoria: conferre autem gratiam *ex opere operantis*, est Sacramenta conferre gratiam dependenter à merito, & actionè meritoria conferentis.

QUÆSTIO V.

An Sacramenta Novæ Legis perficiantur rebus, & verbis, tanquam materiâ, & formâ intrinsecâ.

1. *Cur Sacramenta veteris legis non constiterint verbis.*

NOta primò: de Sacramentis veteris legis in confesso esse apud DD: ea noo esse instituta in verbis; sed in solis rebus: cujus rationem reddit D. Thomas; quià, cùm status veteris legis fuerit obscurior; viverèntq; Israëlitæ in umbra legis, non debebant illorum Sacramenta constare verbis, quæ expressiùs significant; quam res: uti contingit jam in lege gratiæ.

Nota

2\. *Quo sensu Materia & forma Sacramẽterum dicantur tales.*

Nota Secundò: Quæstionem hanc procedere de solo *Materiali*, & quò ad esse fundamenti Sacramenti, ùt est quoddã Compositum morale; in quo proinde repetiri debet suo modo materia & forma; *&* quidem materia & forma Metaphorica tantùm, & cum proportione quadam ad materiam primam, & formam physicam: nam illa pars hic vocabitur materia Sacramentalis, quæ erit determinabilis; altera verò forma, quæ erit determinatio prioris.

3\. *OmniaSacramenta novæ legis habent materiam & formã intrinsecã.*

DICO Primò: Sacramenta omnia novæ legis perficiuntur rebus tanquam materià intrinsecà, & verbis tanquam formà; & hoc formaliter, vel æquivalenter. Ita utraq; Schola cum RR. contra Durandum. Scotus eam habet 4. d. 8. q. 1.

Probatur primò: Authoritate Florentini, quod postea quam in *Litteris unionis* enumerâsset novæ legis septennarium Sacramentorum, adjungit hæc formalia: *Hac omnia tribus perficiuntur, rebus tanquã materiã, verbis tanquam formã, & personã Ministri, cum intentione.*

Probatur secundò: discurrendo per singula Sacramenta, quarum materiam, & formam suis locis assignabimus. Pro Baptismo habetur clara authoritas apud Apostolum ad Ephes: 5. *Mundans eam* (intellige Ecclesiam) *lavacre aquæ in verbo vitæ.* Unde D. Aug: generaliter asserit de Sacramentis Tract: 80. *in Joannem: accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentũ:* ergo, &c.

4\. *Unde petenda hujus ratio à priori: & à posteriori.*

Ratio à priori hujus petenda est ex institutione, & voluntate Christi, ordinante res, & verba determinata pro materia, & forma Sacramentorum. Ratio à posteriori potest esse; quia decebat hic modus instituendi statum legis Gratiæ; in quo sicut erat major lux gratiæ; ita clarior esset modus eam significandi per res, & verba simol.

Notanter dixi in Conclusione *vel æquivalenter*: propter Sacramentum Matrimonij, quod non semper perficitur verbis formalibus; sed quandoq; signis & nutibus, qui æquivalent verbis.

5\. *Res & verba sunt in quid Sacramenti fundamẽtaliter sumpti.*

DICO secundò: Res & verba sunt partes intrinsecè componentes Sacramenta omnia pro fundamentali, exceptà Eucharistià, & Pœnitentia. Ita post D. Tho: hic art: 9. Scotus 4. 6. 8, q. 1. expressè, quæ proinde immeritò Thomas Compton hic Disp: 63. Sect. 1. dicit docere oppositum; Scoti verba sunt hæc loc: cit: discurrentis de Sacramento Eucharistiæ: *non est hic aliud tanquam materia, aliud tanquam forma, sicut est in alijs* NB. (scilicet Sacramentis) *quia istud est permanens, & ideo non possunt aliqua verba ad ejus essentiam pertinere.* Ex quibus mens Scoti opposita clarè manifestatur; quòd in alijs Sacramentis res, & verba concedat ad essentiam intrinsecam eorum pertinere; si pœnitentiam adhuc excipias, quoad res, quibus constat.

6\. *Prob: prima pars conclus.*

Probatur prima pars: Authoritate Tridentini, quod sess. 14. cap. 3. docet: *vim Sacramenti Pœnitentiæ præcipuè sitam esse in illis Ministri verbis: Ego te absolvo*: ergo verba hujus Sacramenti sunt pars præcipua, & consequenter intrinseca? sed est eadem ratio de rebus, & verbis aliorum Sacramẽtorum: ergo sunt partes intrinsecè componentes Sacramenta omnia.

Probatur secundò: Materia & forma in compositis physicis sunt partes intrinsecè componentes compositum physicum: ergo cùm Florentinum cit: assignet pro Materia & forma Sacramentorum res & verba, erunt partes intrinsecè componentes Sacramenta omnia. Conf. tenet; quia non est potior ratio quoad hoc de composito physico, quàm de morali.

7\. *Eucharistia nõ habet in esse permanẽti verba, ut formã intrinsecam.*

Probatur secunda *de Eucharistia*: Sacramentum Eucharistiæ juxta Trid. sess. 13. Can. 7. est Sacramentum permanens: ergo nequit constitui ex verbis, tanquam parte componente. Conf. patet; quia permanens ens permanens nequit constitui ex Ente successivo; cujusmodi sunt verba Consecrationis; cùm permanens maneat, corrupto ente successivo: Ergo &c. De *Penitentia*, vide, quæ dico distinct. 9. q. 1. concl: 4.

QVÆSTIO VI.

Utrum Materia & forma Sacramẽtorum sint determinata à Christo.

SEnsus quæstionis est; an Christus substantiam Sacramentorum omnium ita instituerit in specie determinata; ut Ecclesia nullam habeat Authoritatem circa eam mutandam.

1\. *Materias & formas sacramentales specificè determinavit Christus.*

DICO primò: Materiam, & formam omnium Sacramentorum legis novæ in specie ita determinavit Christus, ut quò ad substantiam à nemine possint mutari. Ita post Scotum 4. d. 3. q. 3. communis Theologorum.

2\. *Concil: tradunt conclusionem.*

Probatur primò: ex decisione Florentini, in *Litteris Unionis*; ubi singulis Sacramentis determinatas assignat materias, & formas, veluti à Christo determinatas. Et Trid: sess: 21. c. 2. dicit: Ecclesiam non habere potestatem circa substantiam Sacramentorum: ergo si non ab Ecclesia, minùs ab ullo alio poterunt mutari.

5. Et traditio Eccles: ac Script. Probatur secundò: ex perpetua Ecclesiæ traditione: & ipsa sacra Scriptura; ubi reperiuntur res, & verba, tanquam materia & forma à Christo determinata; & clarissimè quidem pro Baptismo, & Eucharistia: sed non est potior ratio de alijs Sacramentis: ergo, &c.

Probatur tertiò ratione: si Materia, & forma Sacramentorũ à Christo non essent ita determinata, ut quoad substantiam ab aliquo possent mutari; deberet ille mutans posse esse author gratiæ principalis, eam sacramentis alligando; sicut de factò Christus alligavit: sed hoc dici nequit; aliàs creatura attingeret terminum creationis; quod passim negatur. ergo, &c.

4. Ecclesia nõ mutavit substantialiter Matrimonii. Obijcies: Ecclesia mutavit materiam Matrimonij, faciendo in Tridentino, ut Matrimonia clandestina modò sint invalida, quæ ante Tridentinum erant valida: ergo, &c. ℞. Neg. Ant. pro prima parte: nam Materia Matrimonij à Christo determinata, est contractus inter fideles, quem Ecclesia non mutavit; sed apposuit tantùm conditionem Parochi, & Testium, vigore cujus contractus ille censeatur validus: quæ potestas sibi fuit relicta à Christo in bonum Ecclesiæ; sicut potestati humanæ passim relinquitur authoritas apponere circumstantias, & conditiones novas humanis contractibus, ob bonum Reipublicæ.

5. Potest accidentalis mutatio in Sacramentis sinè præjudicio fieri. DICO secundò: Materiæ, & formæ sacramentales a Christo determinatæ non invalidantur, si in eis contingat aliqua mutatio tantùm accidentalis nova. Est doctrina communis Theologorum; & Scotus eam docet 4. d. 3. q. 2.

Probatur: sive pro materia baptismi aqua calida, sive frigida assumatur, tenet valor baptismi. Item sive forma ejus Germanicè, sive Boëmicè proferatur, pariter tenet. Item sive pro materia Eucharistiæ accipiatur panis azimus, sive fermentatus, qui accidentaliter differunt, validè conficitur Sacramentum. Idem dicendum in confectione aliorum Sacramentorum: Ergo, &c.

6. Ponitur generalis regula ad dignoscendas mutationes substãtiales, & accidentales. Nota autem pro Regula generali hic: ad distinguendum, quænam sit mutatio substantialis, & quæ accidentalis materiæ, vel formæ sacramentalis; quòd tunc censeatur adesse *mutatio substantialis*; quando secundùm prudentum æstimationem, facta additione novæ entitatis, non manet ampliùs eadem res in substantia; nec in verbis eadem significatio; v. g. si pro materia Baptismi assumeret quis aquam artificialem rosaceam, expressam ex mixto rosato; vel in forma ejusdem Sacramenti omitteret ly *baptizo*; nec poneretur aliud vocabulum æquivalens. Sed de hoc plura infra de Sacramento Baptismi. *Accidentalis* verò *mutatio* tantum erit; si res maneat moraliter ejusdem speciei; & verba in sua nativa significatione: v. g. si pro materia Calicis Eucharistici sumatur vinum rubrum, vel aliquo modo acre: etsi in forma consecrativa ejusdem omittatur ly *enim*, vel *novi & æterni testamenti*.

QVÆSTIO VII.

Utrum Sacramenta sint causæ physicæ, vel Morales Gratiæ?

1. Dogma fidei, quòd liter Sacra conferant gratiam. Quæstio hæc celebris est in utraque Schola subtili, & Angelica: quam priusquam resolvam,

Nota primò: esse dogma fidei contra hæreses nuper natas, quòd Sacramenta conferant gratiam, non tantùm per excitationem fidei, sed per se verè, & ex propria institutione: quod expressè docet Florentinum: *Hæc nostra*, inquit, *Sacramenta, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt*: Et ratio hoc ostendit: quia Infantibus verè exhibetur Baptismus cum gratiæ infusione; & tamen non excitat in eis actum ullum fidei: ergo, &c.

2. Quid sint causæ physicæ & morales gratiæ. Nota secundò: pro evitanda quæstione Nominali; me *causas physicas* gratiæ appellare illas, quæ per influxum realem proprium, & immediatè à se emanantem, causarent effectum gratiæ: ad quarum rationem requiritur, ut dum physicè causant, verè, & realiter existant. *Causas morales* voco illas, quæ agens Principale DEUM, tantùm tanquam instrumentales causæ moverent ad gratiæ exhibitionem, à solo DEO immediatè physicè producendæ.

3. Sacramenta novæ legis sunt tantum causæ morales gratiæ. DICO primò: Sacramenta novæ Legis non sunt causæ physicæ, sed morales Instrumentales tantùm gratiæ. Ita antiqui ferè omnes Theologi. Scotus 4. d. 1. q. 4. D. Bonaven. Richar. Alensis; quos ex Recentioribus sequitur Lugo, Pasqualigus, Vasq: Conink Amicus, Comptonus, &c. Contra Thomistas & Suar.

Probatur primò: Authoritate Scripturæ, Conc: & PP. efficientiam gratiæ tribuentium immediatè, & proximè ipsi Deo, per ministerium tamen & exhibitionem ipsius Sacramenti, *Salvos nos fecit* (inquit Paulus ad Tit: 3. v. 5) *per Lavacrum regenerationis*. Et alibi ad Ephes. 5. v. 29. *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Conc.

Conc. Mogontinū sub Paulo III. A. 1549. celebratum dicit: *Sacramenta nova legis non esse ritus simplices; sed sacrosancta signacula, & efficacia signa, quæ ritè ea suscipientes gratiam eis conferendo significant; gratiam verò sacramentalem non ex ipsa externarum rerum virtute; nec ex merito Ministri; sed ex interna, & Divina Operationis virtute æstimandam esse.* Unde S. Cyrillus serm: de Bap: dicit: quòd *remissio peccatorum, sive per baptismum; sive per alia Sacramenta donetur, propriè Spiritûs sancti est, & ipsi soli hujus efficientia privilegium manet.* Et Ambros: lib: de dignitate Sacerdotali c. 5. *Homo manum imponit, & DEUS largitur gratiam.* Idem habet Hieron: Aug: &c. Ex quibus omnibus habetur, quòd Sacramenta non causent physicè immediatè gratiā: ergo cùm aliquo modo certò causent, saltèm moraliter causabunt.

4. Accedunt Rationes diversæ. Probatur secundò: omnibus rationibus, quibus à DD. ostenditur nullam creaturam posse esse instrumentum, & causam physicā effectûs supernaturalis, qualis est gratia Sacramentalis, physicè causata à Sacramentis. Deinde contra omnem bonam Theologiam est, plus causalitatis, etiam instrumentalis, concedere Sacramentis in ordine ad justificationem, quàm meritis Christi, à quibus Sacramenta totam sumunt efficientiam; sed merita Christi nullum habent influxum physicū, nec quidem instrumentalem respectu justificationis nostræ: ergo multò minùs Sacramenta: ergo non aliter quàm applicando nobis merita Christi justificant. Maj: patet. Min: est certa, quia Meritum passionis Christi jam est exhibitum, transitq; secundùm sui esse reale physicum, & solùm manet in acceptatione; quod est moraliter manere: ergo non aliter, quàm moraliter potest in gratiam influere.

5. Scoti probatio etiā firmat conclusionem. Probatur tertiò: faciliùs obduramus ora Hæreticis Calumniantibus, nos non DEO; sed symbolis sensibilibus adscribere nostram justificationem; dicendo, quòd Sacramenta non physicè, sed moraliter tantùm causent gratiam modo sequenti, quem Scotus ponit 4. d. 1. 4. 5. *Est ergo, inquit, modus iste, quòd susceptio Sacramenti est dispositio necessitans ad effectum signatū per Sacramentum, non quidem per aliquam formam intrinsecam, per quam necessariò causaret terminum, vel aliquam dispositionem præviam; sed tantùm per assistentiam DEI, causantis illum effectum: Disposuit enim universaliter, & de hoc Ecclesiam certificavit, quòd suscipienti tale Sacramentum, ipse conferret effectum signatum.* In cujus confirmationem Scotus adducit illud Sancti Bernardi Serm: de Cœna Domini; *sicut investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum; sic divisiones gratiarum diversæ sunt tradita Sacramentis: patet,* inquit Scotus, *quòd illa de quibus exemplificat, sint tantùm signa, & non causa physica:* ergo, &c.

6. Alia Ratio efficax Scoti pro morali causalitate Sacramentorum. Probatur quartò: aliâ ratione Scoti citati: Sacramenta, quæ in fieri consistunt, & successivè exercentur, causant gratiam, quando non existunt; gratia enim in fine infunditur post peractum totum Sacramētum: ergo nequeunt esse causæ instrumentales physicæ. Conf: prob: quia nil potest physicè causare, etiam ut instrumentum, nisi actu existat; siquidem ex dictis in Physica, actualis existentia est conditio simpliciter necessaria ad physicam causalitatem. Ant. etiam patet; quia cùm gratia sit forma spiritualis indivisibilis, sicut Anima; ideò producitur in instanti ultimo; sed in hoc jam non est Sacramentum; cùm enim Sacramentum sit ens successivum, v.g. ablutio aquæ in Baptismo, debet desinere per primum non esse sui. Adhuc evidentiùs patet Ant: in Matrimonio, quando contrahitur per Procuratorem; gratia tunc producitur in contrahentibus, quando in ipsis non est amplius materia & forma Sacramenti; materia enim, & forma Matrimonij per Procuratorem contracti est consensus principalis contrahentis, consensu & verbis Procuratoris, tanquam conditione, sine qua non manifestatus, & notificatus alteri conjugi; sed consensus principalis contrahentis sæpè desijt esse, quando Procurator verba absolvit, quibus illum notificat: ergo tunc non est ampliùs Sacramentum existens; & tamen tunc primò causatur gratia; ergo, &c.

QUÆSTIO VIII.

Solvuntur Objectiones Thomistarum, contra priorem quæstionem adductæ.

1. Ex Scoti doctrina non sequitur Sacramenta se habere tàm ut signa Magorum?

Objicies primò pro Thomistica schola: si denegetur Sacramentis causalitas physica, non magis erunt practica signa gratiæ, quàm verba aut signa Incantatorum, quæ eum dæmone ex pacto sunt causæ suorum effectuum morales tantùm; eò quòd dæmon ad eorum præsentiam operatur: sed hoc dici nequit: ergo, &c: ℞. Neg: maj: tametsi enim utraque signa in hoc conveniant; quòd physicè non influant: differunt tamen plurimùm ex alio capite; nimirum ex parte effectûs; cùm illa in effectum supernaturalem

ralem tendant; hæc in naturalem. Item & ex parte modi tendendi; hæc enim nituntur pacto dæmonis fallibili; illa infallibili DEI promissione.

2. *Causalitas moralis, vera causalitas.*

Objicies secundò: Sacra Scriptura, PP. & CC. dicunt, Sacramentis inesse verum influxum, & causalitatem: sed solus physicus est talis: ergo, &c. ℞. Neg: min: nam etiam moralis influxus & causalitas est verus, influxus, & causalitas; quod ostenditur primò, ex S. Scriptura. 2. Reg. c. 12. ubi dicitur: David verè influxisse: & causâsse interfectionem urbis gladio filiorum Ammon; cùm tamen tantùm morali influxu in eam influxerit. Secundò: ex Philosopho, qui 2. *Phys.* & 5. *Met.* recenset causam moralem, inter veras causas.

3. *Non coincidit Doctrina nostra cum dogmate hæreticorũ.*

Objicies Tertiò: Nostra Doctrina videtur coincidere cum novo dogmate Hæreticorum docentium, Sacramenta esse tantùm signa, ad quorum exhibitionem DEUS gratiam causat; quod damnatum est: sed sequela est absurda: ergo, &c. ℞. Neg: sequelam maj: lata enim est disparitas inter doctrinam nostram Orthodoxam, & illam Sectariorum: Hi enim docent Sacramenta esse signa nuda, solùm excitantia fidem justificantem: Nos verò dicimus esse signa practica efficaciter, & ex opere operato causantia gratiam; quod fieri potest per influxum tantùm moralem.

4. *Quo sensu SS. PP. cõparent Sacramenta cum causis natural:*

Objicies quartò: Plures PP. comparant Sacramenta causis naturalibus v. g. igni calefacienti aquam, &c. sic loquitur S. Cyrillus lib: 2. *in Joannem* c. 42. sed causæ naturales, v. g. ignis, physicè causant suos effectus, v. g. calefactiones: ergo, &c. ℞. quòd SS. PP. non intendãt inducere comparationem per omnia, & quatuor, ut solemus dicere, pedibus ambulantem inter Sacramenta, & causas naturales: sed tantùm volunt, quòd Sacramenta tam infallibiliter, etsi moraliter, suum causent effectum, sicut causæ naturales.

5. *Sacramẽt: Eucharistia physicè gratiã non causat.*

Objicies quintò: Sacramentum Eucharistiæ causat physicè gratiã: ergo similiter omnia alia Sacramenta. Prob: ant: in Sacramento Eucharistiæ continetur verè caro Christi, per modum spiritualis cibi, juxta illud Joannis 6. *Caro mea verè est cibus*; ergo causat physicè gratiã. Cons: tenet; quia sicut cibus corporalis physicè dat vitam corporalem; ita spiritualis spiritualem gratiæ: ergo, &c. ℞. Neg: Ant: ad ejus probationem neg: Conq: quia ut caro Christi tanquam cibus det vitam spiritualem propriè, sufficit, quòd ipsam det moraliter; unde, ut sit aliqua analogia carnis Christi cum cibo corporali, non est necesse, ut fundetur in causatione physica; sed sufficit, quòd fundetur in vera collatione vitæ, abstrahendo à modo physico. Tandẽ licèt concederetur de Eucharistia, quòd causet physicè gratiam; tamen de alijs Sacramentis hoc concedi nequit; disparitas est; quia cætera Sacramenta successivè existunt; Eucharistia verò permanenter.

6. *Cur intellect⁹ possit elevari ad visionem, & non Sacramenta ad causandam gratiã physicè.*

Objicies sextò: Intellectus Beatorum elevatur physicè ad eliciendam visionem beatam: ergo à pari etiam sic poterunt elevari Sacramenta: & cùm hoc cedat in æstimationem Sacramentorum, dicendũ est, quòd de facto sic sint elevata. ℞. Neg: Cons: Disparitas est; quia in intellectu præest virtus inchoata, quæ de facili compleri potest per elevans Lumen gloriæ; qualis virtus non est in Sacramentis, ob multas rationes Scotist: priori quæstione tactas. Præterea visio beatifica est vitalis actus; adeóque debet habere principiũ sibi vitaliter correspondens, elevabile ad ordinem supernaturalem; quod dici nequit de Sacramentis.

QUÆSTIO IX.

Quid sit Character: & ubi recipiatur?

1. *Etymon Characteris generalis.*

Nota primò cum Doctore 4. d. 6. q. 9. quòd *Character* sit nomen Græcum, idem significans, quod signum, nota, figura, vel sigillum quodcunque alicui impressum, & affixum; unde notæ, seu signa, & figuræ, quibus litteræ scribuntur, characteres appellantur; & in Apocal: Character bestiæ significat signum, seu sigillum quoddam speciale illius, qui ad familiam bestiæ pertinet.

2. *Propria Characteris acceptio, & ej⁹ proprietates.*

Pressiùs tamen Scotus, & cum eo Theologi, usurpant nomen *Characteris*, pro *signo* quodam seu *Nota spirituali* animabus nostris impressa à DEO; cui hæ proprietates conveniunt. Primò: quòd Character sit forma spiritualis à DEO causata. Secundò: quòd significet gratiam illius Sacramenti, per modum dispositionis. Tertiò: quòd sit indelebilis; quia nullam habet causam demeritoriam destructivã, sicut habet gratia. Quartò: quòd sit signum rememorativũ suscepti Sacramenti. Quintò: quòd sit signum consignativum, id est, signans specialem obligationem animæ ad Christum: Sextò: quòd sit forma assimilativa suscipientis ad alios suscipientes Sacramentum; & distinctiva à non suscipientibus.

3. *Baptism⁹*

Ut certa ab incertis, & communiter concessa à controversis separentur; Nota

Confirmatio, & Ordo Charactert imprimunt.

ta secundò: certum esse apud omnes Catholicos, aliqua Sacramenta, Baptismum videlicet, Confirmationem & Ordinem hunc Characterem imprimere; & definitur in Trid: sess: 7. adversus Novatores cap: 9. his verbis: *Si quis dixerit in 3. Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, Anathema sit.* Et colligitur expressè ex S. Scriptura ad Ephes: 1. v. 13. *in quo credentes signati estis.* Et 2. Cor. 1. v. 22. *qui unxit nos DEUS, & signavit nos.* Ad Ephes: 4. *nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis*: quos textus Ecclesia, & Sancti Patres explicant de signatione facta per Characterem.

4. *Congruentiâ Scoti suadetur hac tria imprimere characterem.*

Congruentiam (ratione enim naturali ut ostendit Scotus, hoc probari nequit) elegantem adducit Doctor 4. d. 6. q. 10. ex humana Politica; nam sicut, qui in Familia Principis benè disposita, vel exercitu benè ordinato ad diversa applicantur officia, diversis notis & Characteribus notari solent: ita in Familia & Exercitu Christi diversi sunt hominum ordines, singuli proprijs characteribus notati; quibus eorum munus cognoscatur: nam per Baptismi Characterem homo adscribitur Familiæ, & militiæ Christi, & ab omni alia extra hanc familiã distinguitur. Per Confirmationis Characterem deputatur homo tanquam Christi miles ad certamen spirituale ad profitendam fidem: Et per characterem Ordinis deputatur homo tanquàm Christi Minister ad Sacramenta dispensanda, & varias actiones sacras obeundas, juxta Ordinum diversitatem.

5. *Ratio Scoti cur alia Sacramenta non imprimant characterem.*

Et hinc deducit rationem Scotus; cur alia Sacramenta, præter hæc tria, characterem non imprimant; uti docet Florent: in *Decreto de Armenis.* Et Trident: sess: 7. Can: 9. supra adductum: Nullus enim habet determinatum gradum in Familia Regis, qui comedit, vel bibit: nec qui post offensam Domini, reconciliatur ei: nec qui multiplicat personas in illa Politia; nam isti actus possunt esse communes omnibus in quocunque gradu: sic in proposito cum alia Sacramenta, nempe Eucharistia, ordinata sit ad nutritionem spiritualem; Matrimonium ad multiplicationem personarũ; Pœnitentia ad reconciliationem; ideo nullum determinatum gradum in familia Christi constituunt, adeòque non imprimunt characterem signativum talis gradûs.

6. *Cur tria*

Et tandem deducit etiam rationem, vel congruentiam; cur Baptismus, Confirmatio, & Ordo sint irreiterabilia; alia verò iterabilia; quia sicut in Politia humana non congruit illas tres dignitates iterari, scilicet receptionem in familiã; promotionem ad militiam, & prælationem ad doctrinam; benè tamen iterari possunt nutritio; & procreatio prolis; & reconciliatio; ita in proposito discurrendũ de Baptismo, Confirmatione, & Ordine.

sint irreiterabilia.

7. *Character produci tur cum gratia.*

Nota tertiò: Certum similiter esse apud Theologos; quòd Character producatur à Sacramento eò modô, & eô tempore, quô producitur gratia sanctificans; sinon adsit obex; Ratio est; quia Character est effectus Sacramenti secundarius, sicut gratia est primarius; ideoq; produci debet ex opere operato; & tunc, quando Sacramentum censetur completum; cum hoc tamen discrimine; quòd gratia non producatur, si adsit obex; Character verò producitur, etiamsi adsit obex, impediens gratiæ productionem.

8. *Character nec est ens rationis; nec denominatio extrinseca*

Nota tandem quartò: certum etiam esse; Characterem non esse Ens rationis; nec denominationem extrinsecam moralem, per quam homo dicitur ad S. actionem deputatus; ut vult Durandus. Ratio est; quia character juxta modum loquendi Concil: & PP. dicitur imprimi animæ nostræ, & esse sigillum spirituale; quod neq; relationi rationis, neq; extrinsecæ denominationi convenire potest; imprimi enim est propriè loquendo formæ realiter inhærentis; formæ verò tantùm denominantis v. g. visionis, quæ extrinsecam denominationem facit in pariete, non.

9. *Scotus est problematicus circa naturam Characteris.*

Verùm, quamvis Theologi conveniant passim; quòd Character sit Ens physicum reale, ab Anima realiter distinctum; disputant tamen quale sit: an sit forma aliqua absoluta de genere qualitatis; an potiùs relativa. Scotus in hac quæstione est problematicus; dicitq; nec unam, nec alteram partem evidenter convinci: probabilius tamen putat esse, quòd sit forma absoluta; Videatur in 4. d. 6. q. 10. nde.

10. *Probabilior sententia adstruitur circa Characteris naturam.*

DICO Primò: probabilius videtur; quòd Character sit in se qualitas absoluta. Ita post Scotum, veteres Scotistæ Maironi[*], Bassolius, Rubion: ex recentioribus, Arectinus, Hicq. Poncius; ex Neutristis Suar: Comptonus, &c.

Probatur primò: tenendo characterem esse formam absolutam de genere qualitatis, faciliùs explicatur Concilia dicentia, quòd Character imprimatur; relatio enim realis non imprimi, sed resultare dicitur. Secundò: quia hôc modô meliùs expli-

explicatur fundamentum proximum earum relationū, quæ in charactere ponuntur, scilicet assimilationis, distinctionis, &c. nam vix intelligi potest, qualiter relatio realis accidentalis, & supernaturalis permanenter & indelebiliter inhæreat animæ, vel voluntati, sinè aliquo absoluto, & supernaturali, ipsi indelebiliter inhærente. Tertiò: quia, ut dicit Scotus, Character est dispositio ad gratiam, quæ est forma absoluta, non quidem dispositio physica; sed moralis ex ordinatione Divina; quam ponere cogruum est, propter gratiæ excellentiam, & naturam quorundam Sacramentorum: sed dispositio debet esse ejusdem rationis, saltem in genere cotis, cùm forma ad quam disponit: ergo Character meliùs ponitur esse forma absoluta.

11. *Character is subjectum immediatum est voluntas.*

DICO secundò: Character immediatè subjectatur, non in ipsa substantia animæ, sed in voluntate. Ita Scotus 4. d. 6. q. 11. contra Ponc: & Thomist: ponentes Characterem in intellectu.

Probatur dupliei ratione Doctoris: Primò; Character est signum, seu fundamentum obligationis animæ ad DEUM: ergò debet immediatè subjectari in voluntate. Cons: tenet; quia voluntas est illa potentia, quæ primò potest obligari ad velle, & vovere vitam Christianam, Sacerdotium, & Confirmationem acceptare, & signis manifestativis ostendere; unde illa, quæ ex parte intellectûs præcedunt, sunt tantùm quædam præambula: ergo, &c. Secundò: Dispositio, & forma ponuntur in eodem subjecto: ergo cùm gratia, & charitas ponantur in voluntate tanquam subjecto, etiam Character, qui est dispositio ad gratiam sacramentalem, debet poni immediatè in voluntate.

QUÆSTIO X.

Solvuntur Objectiones prioris quæstionis: & quædam quæsita circa Characterem expediuntur.

1. *Character potest reduci ad speciē qualitatis, qua vocatur Potentia.*

OBjicies primò contra primam Conclusionem: ad nullam speciē qualitatis reduci potest Character: ergo non est qualitas. ℞. cum Scoto Neg: Ant: quia potest reduci, vel ad secundam speciem, *Potentiam* scilicet: licèt enim Philosophus de sola potentia naturali loquatur, & exemplificet; potest tamen ad secundam speciem *Potentiæ* etiam reduci *Potentia supernaturalis*; sicut & ad speciem *habitûs reducuntur* habitus supernaturales. Similiter posset reduci ad aliam speciem *Habitûs*, vel *Dispositionis*; in quantū revera disponit ad gratiam, per quam anima sit benè constituta.

2. *Quæ sint operationes Characteris.*

Objicies secundò: qualitas absoluta debet habere aliquā operationem sibi propriam; sed Character nullam talem habet: ergo. ℞. dist: maj: mediatè, vel immediatè transeat Major: immediatè semper, neg: Maj: Character ergo mediatè, id est, mediante gratiâ, ad quam disponit, habet omnem operationem, quam ipsa gratia immediatè habet; quod sufficit. Deinde determinat cognitionem illum cognoscentis; item distinguit unum ab altero.

3. *Quatuor rationes adversæ dissolvuntur.*

Objicies tertiò. Concilia, & PP. appellant Characterem signum: sed ratio signi est relativa: ergo ratio Characteris est relativa, & in relatione consistens. Secundò: Relatio servi ad Dominum, est relatio prædicamentalis: sed per Characterem Baptismi, v. g. refertur baptisatus tanquā servus ad Christum: ergo, &c. Tertiò: Forma absoluta est à suo subjecto delebilis; Character verò indelebilis: ergo, &c. Quartò: Character non est intensibilis; aliàs unus homo diceretur magis Christian', vel Sacerdos, quàm alter; quod est falsum: esset autem intensibilis, si esset qualitas absoluta: ergo, &c. ℞. ad primum: Signum posse dupliciter sumi, materialiter, & formaliter; *formaliter* sumitur pro ipsa relatione signi, sicut sumitur causa physica formaliter pro relatione causalitatis; *materialiter* verò sumitur pro fundamento proximo talis relationis, sicut sumitur causa pro sua entitate absoluta. Ad propositum CC. & PP. quando appellant Characterem signum, loquuntur de signo materialiter sumpto, connotante tamen relationem. Ad secundum: nego, quòd Character propriè constituat servum Christi; sed solùm ostendit, Charactere signatum esse servum Christi; sicut in humanis Character militaris non facit militem, sed ostendit esse talem. Ad tertium: etiam relativa forma est delebilis, in qua tamen, secundùm Adversarios, ponitur ratio Characteris. Dico ergo Characterem, etiamsi ponatur forma absoluta, adhuc esse indelebilem de potentia DEI ordinaria, seu ex posita jam ordinatione DEI; est tamen delebilis de potentia DEI absoluta. Ad quartum: contra Lugo, Ponc: &c. dico; Characterem ex natura sua esse intensibilem; cùm sit vera qualitas; tamen de factò omnes Characteres esse æquales; quia secundùm omnes gradus suos, ordinantur, ad denominandum indivisibilter hominē Christianum, vel Sacerdotem.

Ob-

4. Character potest esse protestatio fidei, licèt sit in voluntate.

Objicies quartò pro Thom: contra secundam Conclusionem; Character ordinatur ad protestandam fidem: sed fides est in intellectu: ergo & Character. ℞. Argumentũ potiùs probare oppositum, quòd Character sit in voluntate; quia à voluntate oritur volitio credendi, & protestandi fidem. Deinde crux alicujus Equitis ordinatur, & ponitur in Equite, ut signaculum Christianæ militiæ, manibus exercendæ; & tamen crux manibus non imponitur, sed in pectore geritur: ergo similiter hìc dicendum.

5. Mens Scoti circa Characterem Circũcis: & Remed: legis nat:

Quæres primò: An Sacramenta veteris legis Characterẽ impresserint? communis opinio negat; eò nixa fundamentò, quòd omnia illa Sacramenta à ratione veri Sacramenti defecerint. Scotus verò concedit impressum fuisse Characterem per Circumcisionẽ. Ratio ejus est; quia Circumcisio erat verum Sacramentum, & in lege scripta ita erat janua salutis, sicut Baptismus in nova; & ita distinguebat familiam Dei, & Messiæ venturi, sicut modò Baptismus; & ita per Circumcisionem cõferebatur gratia ex opere operato, sicut modò per Baptismum: ergo, &c. Idem dici potest de Remedio legis naturæ.

6. Christ⁹ nullum habet Characterem.

Quæres secundò: An in Christo fuerit aliquis Sacramentalis Character? ℞. negativè. Ratio est; quia Christus insignit⁹ fuit Charactere Verbi Divini, modo longè perfectiori; ut proinde Characteribus imperfectioribus sacramentalibus eum insignire non congrueret.

7. Beata Virgo habet tãtùm duos Characteres.

Quæres tertiò; an B. Virgo MARIA habuerit aliquẽ Characterem? ℞. Probabiliùs esse, eam saltèm Baptismi, & Confirmationis Charactere signatam fuisse. Ratio est; quia sicut capax fuit primarij effectûs istorum Sacramentorum, puta gratiæ saltem quoad augmentum; ità & secundarij, scilicet Characteris.

QVÆSTIO XI.

Num alicui puræ creaturæ possit communicari authoritas instituendi Sacramenta propriè dicta?

1. Trid: Doctrina de Christo Institutore Sacramẽt:

NOta primò: esse stabilem nostræ fidei articulum, à S. Trident: Synodo Sess: 7. c. 1. declaratum; omnium Sacramentorum novæ legis Institutorem solum, & immediatum extitisse Christum Dominum: Verba Concilij sunt hæc: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a JESU Christo Domino nostro immediatè instituta, anathema sit.*

2. Qualiter secundùm utramque naturam Christ⁹ instituerit Sacram:

Nota secundò: cùm in Christo inconfusè, & impermixtim involvantur ratio DEI, & ratio hominis; proinde dum dicitur Christum esse Institutorem Sacramentorum, in hoc sensu fore intelligendum; ut Christus quatenus DEUS, sit principalis Author, & Institutor; quatenus verò homo sit immediatus determinator illorum signorum sensibilium; & causa merens; ut ad eorum applicationem DEUS conferat gratiam Sacramentalem, & hoc infallibiliter absente obice.

3. Repugnat in creaturam transfundi authoritatẽ primã Dei ad institũ Sacram:

Nota tertiò: pro elucidatione statûs quæst: controversiam præsentem Scholasticam non agitari de primaria illa authoritate, & potestate instituendi Sacramenta, quæ in DEO residet ratione Deitatis: cùm enim hujusmodi potestas DEO sit intrinseca, eam in creaturã puram transfundere nequit cum illa independentia, & perfectione, quà in DEO imbibitur; movetur ergo difficultas de authoritate ministeriali, seu ex commissione, quam habuit Christus inquantùm homo.

4. Nulli puræ creaturæ potest concedi authoritas, etiam delegata instituendi Sacramenta.

DICO primò: nequit communicari puræ creaturæ potestas ministerialis instituendi Sacramenta propriè & completè. Ita sentit post Scotum 4. d. 1. q. 3. Gabriel Duran: Vasq: Contra Suar: Lug: Amicũ, aliósq; Recentiores.

Probatur ex doctrina Scoti; illius propriè est Sacramentum instituere, cujus est non tantùm signum Sacramentale imponere; sed etiam efficaciam illi ad producendum suum signatum communicare; sed solus DEUS potest signis Sacramentalibus communicare efficaciam ad producendam gratiam signatam, dum signis illis infallibiliter assistit: ergo solus DEUS propriè, & completè potest instituere Sacramenta: & consequenter nulli puræ creaturæ potest communicari potestas completè instituendi Sacramenta.

5. Scoti Doctrina promovetur in hoc.

Respondent Adversarij: DEUM, communicando efficaciam ad producendam gratiam, exercere quidem authoritatem principalem, & primariam institutionis Sacramentorum; potest tamen etiam creatura exercere authoritatem delegatam, & secundariam in instituendo Sacramenta; quod sufficit ut dicatur propriè instituere: unde ratio Scoti solùm probat, quòd creatura pura virtute propriâ non possit instituere Sacramenta; bene tamen potestate delegatâ. Contra: Ratio Scoti probat, quòd nec virtute propriâ, nec delegatâ pura creatura possit propriè, & essentialiter instituere Sacramenta; quia licèt institutio simpliciter ad significandum posset delegari creaturæ; non tamen ad

certè, & efficaciter ſignificandum, quæ ſignificatio præcipuè eſt de eſſentia Sacramenti; quia talis ſignificatio efficax requirit determinationem Divinæ voluntatis, volentis producere gratiam Sacramentalem ad applicationem Sacramenti, quæ à creatura provenire non poteſt. Unde

6. *Confirmatur Cōcluſio exēplis Politicis,*

Confirmatur Concluſio primò: in Politicis, etiamſi Rex poteſtatem condendi leges Duci deleget; adhuc propriè, & in rigore Rex, non Dux, dicitur Legislator; quia leges vim obligandi ducunt ex imperio Regis primariò, & impropriè ex voluntate Ducis; ergò à pari DEUS delegans dicendus eſt propriè Sacramentorū Inſtitutor; non verò cratura. Secundò: ſi Teſtator inſtituat hæredem illum, quem Petrus nominabit ex 7. Filijs, non ob id Petrus poſtea denominans Platonem unum ex 7. dicitur propriè illum inſtituere hæredem, ſed tantùm deſignare, quem Teſtator inſtituerat vagè: ergo à pari hìc.

7. *Lugo refellitur,*

Objicies primò cum Lugone: S. Franciſcus dicitur propriè ſuæ Regulæ, & Religionis Inſtitutor; quamvis à DEO tanquàm principali inſtituente, & Summo Pontifice acceperit poteſtatem inſtitutivā: ergo ſimiliter licèt creatura à DEO tanquàm principali cauſa acciperet delegatā virtutē; poſſet propriè inſtituere Sacramenta. ℞. Neg. Conſ. Diſparitas eſt; quia in inſtitutione Sacramentorū præter ſignorum electionem, requiritur in eis efficacia, quam non omnis, qui ſigna eligit, dare poteſt; ſed ſolùm qui eſt Author gratiæ: at ad Religionis inſtitutionem, nil aliud requiritur, niſi determinatio cujuſdam peculiaris modi vivendi, quem Fundator ex Evangelio Sancto hauſit, ſuiſq; ſectatoribus ſequendum determinavit.

8. *Chriſt⁹ quà homo inſtituit Eucharistiam in rat: Sacrif:*

Objicies ſecundò: in hymno Eccleſiæ dicitur Chriſtus quà homo inſtituiſſe Euchariſtiā propriè, quando canitur; *ſic Sacrificiū iſtud inſtituit*: ergo &c. ℞. diſt. Ant: dicitur inſtituiſſe in ratione Sacramenti Neg. Ant, in ratione Sacrificij conc. Ant:

9. *Explicatur D. Auguſt hìc objectum.*

Objicies tertiò; S. Aug: Tract: 5. *in Joannem* dicit; potuiſſe Chriſtum dare authoritatem alicui ſervo ſuo, ut daret Baptiſmum iſtum, tanquam vice ſuâ; & transferre à ſe baptiſandi authoritatem, & conſtituere in aliquo ſervo ſuo: ergo &c. ℞. Auguſtinū tantùm velle, quod Chriſtus ùt Deus potuerit alicui homini ita ſe obligare, ut ſignis ab illo homine conſtitutis alligare vellet efficaciam. Vel certè vult dicere, quòd Chriſtus ùt homo potuerit alteri mereri authoritatem faciendi in Baptiſmo, quod ipſe faciebat; non autem poteſtatem ſimpliciter inſtituendi Sacramenta.

QVÆSTIO XII.

Utrum; & Quæ Intentio Miniſtri ad valorem Sacramentorum requiratur?

1. *Requiritur intentio Miniſtri ad valorem Sacramenti.*

DICO primò; Ad valorem ſacramentorum conficiendorum neceſſariò ſemper requiritur in Miniſtro intentio faciendi, quod facit Eccleſia. Eſt omnium Catholicorum DD.

Probatur: ex definitione Conciliorum: Tridentini ſeſſ: 7. Can: 11. oppoſitū condemnātis; *Si quis dixerit in Miniſtris, dum ſacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, ſaltèm faciendi quod facit Eccleſia, Anathema ſit.* Et Florentini *in Decreto de Armenis*, Concluſionem noſtram expreſsè aſſerentis: ac Conſtantienſis ſeſſ: ult: ergo &c.

2. *Hæc intentio debet tendere in ipſam Sacramentorum confectionem, mediante interno voluntatis actu.*

DICO ſecundò: Hæc intentio Miniſtri requiſita non debet eſſe ſola intentio faciendi meram actionem externam materialiter ſumptam, eo ritu, quo eſt ab Eccleſia præſcripta; ſed quæ tendat in ipſam confectionem Sacramentorum, procedentem ex interno voluntatis actu.

Probatur primò: Concilia ſacra, & Leo X. in Bulla contra Lutherum, reijciunt intentionem illam faciendi, quod facit Eccleſia, quæ tendit in ſolas actiones externas Sacramentales, materialiter acceptas: ſic Tridentinum ſeſſ. 14. Can: 9. dicit; quòd Sacerdos non ſeriò, ſed jocò verba abſolutionis proferens, validè non abſolvat: & tamen hujusmodi habet intentionem faciendi, quod facit Eccleſia quoad actiones externas materiales Sacramenti Pœnitentiæ: ergo hæc intentio Miniſtri nō debet eſſe intentio faciendi meram actionem externam Sacramentalem. Probatur ſecundò: cum tali intentione Miniſtri ponendi actus externos, poteſt conſiſtere defectus ſeriò agendi; imò poteſt ſtare animus merè illudendi: ergo talis non debet eſſe in conficiendis Sacramentis.

3. *Nō requiritur intentio individ: in Miniſt.*

DICO tertiò: Non eſt neceſſarium, dū Miniſter intendit facere, quod facit Eccleſia ut intendat facere, quod facit hæc, vel illa Eccleſia Romana, vel alia; modò intendat facere, quod facit Eccleſia vera, quæcunq; illa ſit. Eſt communior DD.

Probatur: Hæretici de facto talem intentionem particularis Eccleſiæ non habent; imò neque Græci in ſuis Baptiſmatibus adminiſtrandis ad Romanam Eccleſiam aſpiciunt: ſed hi verè baptiſant; ut patet ex Patribus, & Concilio Arelaten-

latensi, qui Arrianorum Baptismum censuerunt validum: ergo &c.

4. *Baptismus collatus cū expressa intentione Eccl.sia Anglicana validus est.*

His addn cum Bellarmino: quòd tametsi Minister axpressè intendat facere, quod facit Ecclesia Anglicana, v. g. vel Lutherana Dresdensis, non impediri valorem Sacramenti. Ratin est; quia intentio faciendi Sacramentum, scilicet Baptismum, continetur in illa intentione generali faciendi, quod facit Ecclesia Christi; licèt enim Anglicana, & Dresdensis erret, & sit veræ Ecclesiæ contraria; nnn tamen est illi contraria in illa generali intentione, quæ pro objecto habet Ecclesiam Christi: imò in isto objecto cum illa convenit; atq; ideò sic baptisans, habet sufficientem intentionem.

5. *Minister respectu ministerij externi agit in virtute propria.*

Objicies primò contra primam Conclusionem: Minister non aliter se habet, quàm ùt instrumentum DEI: sed instrumentum nnn agit virtute propriâ, sed in virtute agentis principalis: ergo multominùs debet habere intentinnem faciendi, quod facit agens principale. ℟. ex Scoto distingvendo Maj: Minister est nudum instrumentum respectu gratiæ causandæ; transeat maj: respectu ministerij externi, puta applicationis signi sensibilis; Neg. maj: quia in ordine ad ablutionem externam, prolationémq; verborum in Baptismo, v. g. agit secundùm virtutem propriam; ac proinde si velit illud ministerium validè, & in ordine ad effectum principalem exercere, debet intendere finem proximum istius ministerij.

6. *Explicat: Innocentij IV. circa intentionē Ministri.*

Objicies secundò; Innocentius IV. in c. *si quis puerum*, Extra de *Baptismo* dicit; aliquem validè baptizare; etiamsi gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia: ergo &c. ℟. Innocentium ad illa verba subjunxisse, *dummodo intendat baptizare*: prioribus ergo verbis vult Innocentius, nō requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quantùm ad omnem effectum Sacramenti, maximè quoad effectum conferendi gratiam, vel abluendi à peccato; non tamen vult, nnn requiri intentionem faciendi illum actum per modum cæremoniæ, & modò, quò Ecclesia facit; ut patet ex posterioribus illis verbis.

7. *Nō est durū Sacramenta pendere ex intent: Ministri.*

Objicies tertiò: nimis durum videtur, quòd salus æterna hominis baptizandi v. g. pendeat ab intentione Ministri, qui facile ex sua malitia potest non habere talem intentionem: unde dicit S. Chrysostomus hom: 85. *in Joannem*; *neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutis nostra Symbola accedentes offendi.* ℟. Neg. Ant.; quia esto Minister esset tam perversus, ut datâ operâ intentinnem omisisset; tamen hoc consolationis habemns, quòd DEUS nnn alligaverit suam virtntem intentioni Ministri, quin possit supplere, & re ipsâ suppleat talem defectum, quàm diu est occultus, respiciens in tali casu non ad perversitatem Ministri; sed ad fidem Ecclesiæ; Ita Respondet Alensis 4. p. q. 13. D Bonaven: D. Thom. &c. S: Chrysostomus ibi per *malitiam*, non intelligit defectum intentionis debitæ; sed tantùm probitatis.

8. *Quid sentiendū de Baptismo Athanasij jocô collato*

Objicies quartò: vulgarem illam historiam de Athanasio adhuc puero, baptizante ex joco, apud Ruffinum lib: 1. *Histor*: c. 14. Et Nyceph: lib: 8. c. 44. qui tamen Baptismus agnitus est ab Ecclesia pro valido; quamvis supponatur non adfuisse intentionem; ergo &c. ℟. Si jocus sit talis, ut non excludat voluntatem, intentionémque per se requisitam ad actum, quamvis præterea intendatur oblectatio, non derogat Sacramento quantum ad valorem: & hoc modo credendus est Athanasius puer baptizasse; secus non. Meritò tamen Aug: lib. 6. *de Bap.* c. 53. non audet definire, an Baptisma collatum per jocum teneat; quia reverà sine speciali revelatione vix sciri potest, an sit debita intentio; ac proinde multò securiùs est rebaptizare in tali casu.

9. *Compton' malè citat Scotū circa intentionem Ministri.*

Thomas Comptonus hìc disp. 63. sect. 3. non rectè allegat Doctorem Subtilem in 4. d. 3. q. 3. quasi cum Gabriele, & Richardo doceret, formam Sacramenti esse invalidam, si quis aliquid, quamvis in se accidentale, addat formæ; putans illud esse essentiale Verum Scotus loco cit: nec apicē habet de doctrina hujusmodi. Deinde mens contraria Doctoris Subtilis aperitur ex pluribus passibus ejus Litteræ, signanter 4. d. 8. q. 1. & 4. d. 3. q. 2. ubi docet, nullam variationem accidentalem annexam formæ Consecrationis, & Baptismi invalidam reddere formam; sed solam substantialē: cùm ergo erronea illius addentis Ministri intentio accidentaliter tantùm annectatur formæ Sacramentali: consequenter censere videtur Scotus, eam non invalidare formam Sacramentalem.

Tandem est communis doctrina apud Scotum, maximè 4. d. 8. q. 2. ignorantiam circa verba essentialia determinata formæ Consecrationis Calicis, & errorem speculativum proferentis formas Sacramentales, non invalidare practicam earum significationem; dummodò omnia essentialia proferantur: sed in præsenti casu esset tantùm error speculativus in addente formæ aliquid accidentale: ergo non redderetur invalida forma.

QVÆSTIO XIII.

Quænam ex his Intentionib⁹, Actuali, Virtuali, & Habituali sufficiat ad Confectionem Sacramentorum? ubi etiam de intentione recipientium Sacramenta.

1. Est quadruplex intentio Ministri.

NOta primò: quadruplicem passim à DD. assignari intentionem in Ministro, exercente actionem Sacramentalem; Actualem videlicèt, Virtualē, Habitualē, & Interpretativā; quarū explicationes hìc subnecto. *Actualis* intentio est volitio actu tendens in confectionem Sacramenti. *Virtualis* est, quæ secundùm entitatem suam actu non existit in Ministro conficiente Sacramentum; sed existit tantùm in effectu, procedente ab actuali intentione: exemplum hujus cape: habeo pro instanti reali A. Actualē intentionem conficiendi Eucharistiam in Missa; pro instanti B. deinde me induo vestibus sacris, & finè oratione actualis intentionis, vel ejus reflexione, celebro Missam, & conficio; dicor tunc cum intentione Virtuali, id est in virtute actualis intentionis conficere Eucharistiam. *Habitualis* ex Scoto hìc, est habitus causatus ex frequentata Actuali intentione, inclinans Ministrum ad similes specie, vel genere actus eliciendos; talis est etiam in dormientibus, & ebrijs: seu, ut alij DD. volunt, *Habitualis* est actus præteritus intentionis, quem aliquando habuit Minister. *Interpretativa* dicitur haberi, quando quis nullam ex præfatis tribus Intentionibus habet, nec unquam habuit; facit tamen ejusmodi actiones externas hujus, vel illius Sacramenti, ut moraliter ab aliis judicetur conficere Sacramentum aliquod, v. g. Baptismi. Nunc ad quæstionem breviter.

2. Nō sufficit habitualis, & interpretativa intentio.

DICO primò: nec Habitualis, nec Interpretativa Intentio sufficit ad validè conficienda Sacramenta. Est communis apud Theologos. Et

3. Probatio de habituali.

Probatur primò de *Habituali*: Sacramentum debet confici cum intentione debita, modo humano, sic scilicet, ut conficiatur liberè ad finem illum, in quem instituit Christus: sed non conficitur sic cum intentione sola Habituali: ergo &c. Prob: min: nam, si secundùm primam explicationem Doctoris suprà datam consistat intentio Habitualis in habitu; certum est, quòd cū tali non conficiatur validè Sacramentum; cùm hæc etiam possit esse in dormientibus; hi enim multa aliquando faciunt ex habitu; quæ tamen neq; ad præmium, neq; ad pœnam imputantur; quia sine deliberatione fiunt: si verò in secunda explicatione sumatur pro actu præterito; similiter certum est, quòd nil conficiatur cum ea; quia talis intentio neq; manet in se ipsa, neq; in aliquo effectu; quia suppono nullam actionē ad Sacramentū ordinatam fuisse, ortam ex tali intentione; aliâs jam esset intentio Virtualis: ergo &c.

4. Non ex eo quòd sufficiat pro applicatione Missæ, sufficit pro cōfectione Sacramēti,

DICES: Intentio Habitualis sufficit, ut applicetur Sacrificium Missæ pro Petro: ergo etiam ut conficiatur Sacramentum. Ant: patet; quia quando quis promittit dicere Missam pro Petro omnibus diebus anni, & statuit id, etiamsi singulis diebus non cogitet de hoc, satisfacit obligationi; modò non retractaverit illam obligationem. Respondet Vasq: disp: 38. Negando Antec: probationis, ℞. tamen Ego cū communiori, conc: Ant. tanquàm praxi magis conforme; & neg: Conseq: Disparitas est; quia promittens celebrare omnibus diebus pro Petro, contraxit obligationem, quæ habitualiter permanet in genere moris; sicut universaliter omnes contract⁹ ratione obligationis moraliter manere dicuntur; ideòq; cùm talis intentio celebrandi, aliquô modô existat, saltèm moraliter, sufficiet pro satisfactione, & applicatione Missæ pro Petro: sed intentio Habitualis conficiendi Sacramentum præterita, nec physicè, nec moraliter existit; quia nulla ex tali intentione præterita orta est obligatio; ideóq; non sufficit ad validitatem conficiendi Sacramenti.

5. Interpretativa Intentio est nulla.

De Intentione *Interpretativa* conceditur ab omnibus; quod non sufficiat ad conficiendum validè Sacramentum; cùm nullô modò habeat rationem veræ intentionis.

6. Et actualis, & virtualis intentio sufficit.

DICO secundò: Non solùm Actualis; sed etiam Virtualis intentio sufficit ad validè conficiendum Sacramentum. Est comunis cum Doctore in 4 d. 6. q. 6. Prob. De *Actuali*, quia hæc est inter omnes perfectissima in ratione intentionis: ergo &c. Probatur etiam de *Virtuali* cum Doctore: Deus non obligavit hominē ad impossibile, vel nimis difficile: sed moraliter impossibilis est continuatio intentionis Actualis in aliqua actione Sacramentali; quia, ut ait Aug: 3. de lib: arb: *non est in nostra potestate, quin visis tangamur*; & experientia docet, objectum sensibile ob concomitantiam, & connexionem appetitûs sensitivi cum intellectivo, voluntatem distrahere, & rationem: ergo stante distractione sufficiet intentio Virtualis. Confirmatur: In alijs actionibus moralibus, & meritorijs, ac contractibus humanis sufficit virtu-

virtualiter intentio, ut validi ſint: ergo etiam in actionibus Sacramentalibus.

7. *Cenſetur intentio virtualis, quæ actionibus diſparatis interrumpitur ad modicum.*

Quæres primò: Utrùm ille cenſeatur habere intentionē virtualem, & verè conficere Sacramentum, qui quidem ex vi actualis intentionis efficit aliquas operationes de ſe ordinatas ad conficiendum Sacramentum; tamen deinde per actionem diſparatam eas interrumpit? Negat Svar: Vaſq: Conin: dicúntq; talem obligari ad novam intentionem actualem eliciendum. Verùm quàmvis hæc Sententia ſit tutior in praxi; tamen eſt nimis rigoroſa. Mitiùs ergo cum Doctore dicendum eſt, talem ſemper habere intentionem veram virtualem, & ſufficientem ad Sacramentum, ſi præceſſerit intentio actualis, quæ necdū fuit revocata; nec interceſſerit valdè notabilis fluxus temporis, v.g. ſi quis dū ſacras veſtes induit ad celebrandum, brevem excipiat nuntium de aliqua re. Ratio eſt; quia cenſetur adhuc moraliter manere intentio prima actualis. Unde hæc doctrina benè notanda eſt à ſcrupuloſis.

8. *In ſuſcipiente Sacramenta ſufficit voluntas habitualis non retractata.*

Quæres ſecundò: Qualis intentio requiratur in ſuſcipiente? ℟. primò: in parvulis nullā requiri intentionē, ut validè, & etiam fructuosè recipiant Sacramenta. Ratio eſt; quia tales ſunt proximè incapaces intentionum; & tamen Eccleſia eis Baptiſmi Sacramentum adminiſtrat.

℟. Secundò: quòd in adultis ſaltèm debeat habitualis eſſe intentio, ſeu voluntas non retractata, quæ ſufficit. Ratio petitur ex Conc: Carthaginenſi III. c. 34. & refertur Can: *Ægrotantes* d. 4. docente; moribundos ſenſibus deſtitutos eſſe baptizandos, ſi id antea petierint: quibus verbis ſupponitur abſque voluntate illa præterita Baptiſmum non valere: ergo talis ſaltèm requiritur.

9. *Diſparitas inter intentionem ſuſcipientis, & Miniſtri.*

DICES: Habitualis Intentio non ſufficit in Miniſtro: ergo nec in recipiente. ℟. Neg. Conſ. Diſparitas eſt; quia Miniſter concurrit per modum cauſæ effectivæ humanō modō, Chriſti nomine præbentis influxum, ad quod requiritur ſaltèm virtualis intentio: ſuſcipiens autem tantùm paſſivè ſe habet.

QVÆSTIO XIV.

Utrùm Infidelitas, & Improbitas Miniſtri impediat Validitatem Sacramenti?

1. *Nec infidelitas, nec improbitas miniſt: ſi alia adſint, valori Sacramenti officit.*

DICO primò: neq; infidelitas, neq; improbitas Miniſtri, ſi cætera requiſita adſint, invalidat Sacramentum. Eſt definitum in Florentino, & Tridentino ſeſſ: 7. c. 12. ubi damnat Hæreticos, qui dicunt, miniſtrum in ſtatu peccati mortalis adminiſtrantem Sacramentum nil efficere.

2. *Oppoſita ſententia AA.*

Concluſio eſt contra Agrippinum Epiſcopum Carthag. primum hujus hæreſis Authorem, quem teſte S. Aug. amplexus eſt S. Cyprian. ejus Succeſſor quoad primam partem; cujus argumenta, & totius litis proceſſum inter ipſum, & Stephanum Papam vide apud Aug: lib: 4. *de Bapt:* & lib. 5. *contra Donatiſt:* c. 25. Eundem reſuſcitarunt teſte eodem Aug. Donatiſtæ, & Begardi, ac Begvini in Germania; ſimiliter & Pauperes de Lugduno.

3. *Concluſio docetur ex CC. Traditione Eccl: & Papa.*

Probatur Concluſio primò: ex allegatis Concilijs. Deinde ex perpetua Eccleſiæ Traditione, quæ docet infidelitatem non impedire validam Sacramentorum adminiſtrationem: quo argumento uſus eſt S. Pontifex Stephanus, dum in Rhemenſi Concil: errorem Cypriani damnaret.

4. *Secundò ratione:*

Probatur ſecundò: Miniſter non ſuâ, ſed divinâ authoritate adminiſtrat Sacramenta, ut colligitur ex illo Joan: 1. v. 33. *hic eſt qui baptizat.* Et ex 1. Cor: 3. v. 7. *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat DEUS*: ergo infidelitas, vel improbitas Miniſtri, ſi cætera adſint, non invalidat Sacramentum.

5. *S. Cyprianus opinionem ſuam erroneā retractavit. Alij PP. explicantur.*

Objicies primò S. Cypriani authoritatem; & aliorum Patrum; qui contrarium docuerunt: ergo &c. ℟. S. Cyprianum fuiſſe quidem aliquando in illo errore; ſed teſte S. Aug: lib: 1. *contra Donatiſtas*, ante mortem eum retractâſſe. Ad alios PP. ℟., ipſos ſolùm velle, quòd Hæretici non validè adminiſtrent Sacramenta, quando non habent intentionem generalem faciendi, quod facit vera Eccleſia.

6. *Status gratiæ requiritur regulariter in Miniſtro ordinario.*

DICO ſecundò; ad licitè, & ſine peccato adminiſtranda Sacramenta, requiritur in ordinario Miniſtro ſtatus gratiæ, niſi adſit caſus extremæ neceſſitatis, vel moralis impoſſibilitas ad ponendū ſe in ſtatu gratiæ. Eſt Scot. 4. d. 1. q. 5. & habetur Can: *per Iſaiam*, & Can: *omnia* 1. q. 1.

Probatur primò: ex illa Scripturæ, *Sancti eſtote, qui portatis vaſa Domini.* Secundò; Miniſtri veteris Teſtamenti pro licitè adminiſtrandis Sacramentis, etiam impropriè dictis, ut benedictionibus, holocauſtis &c. debebant ſe priùs purificare, ut conſtat ex Scriptura: ergo à fortiori Miniſtri Sacramentorum novæ legis, qui adminiſtrant Sacramenta excellentiora, & digniora. Tertiò: Miniſtri ordinarij Sacramentorum, excepto Matrimonio, in ſua ordinatione accipiunt gratiam in ordine ad dignè ea adminiſtranda: ergo hi ſpecialiter

aliter obligantur ea in gratia administrare. Unde S. Greg. Clericos adulterij, perjurij, aut falsi testimonij reos, ait admonendos, & sub interminatione divini judicij obtestandos, ut, si non pœnituerint, in susceptis Ordinibus non ministrent. Et ratio potest ulterior esse; nam sicut, qui indignè manducat corpus Domini, judicium sibi manducat, 1. Cor. 11. ita qui indignè ministrat, judicium sibi acquirit; ergo &c.

7. *In Matrimonij Ministris non requiritur statim gratia.* In Sacramento tamen *Matrimonij* hoc speciale est; quòd ipsi conjuges sibi illud administrent; ac proinde licèt fortè, quà Ministri sunt, non teneantur esse in gratia; quia non acceperunt potestatem administrandi virtute alicujus Sacramenti, sicut Sacerdotes; benè tamen quatenùs passivè recipiunt Sacramentum; sicut omnes Christiani Sacramenta recipientes debent esse in gratia.

8. *Pagan⁹ baptizans nõ debet esse in gratia.* Dixi notanter in Conclusione, *in Ministro ordinario*; quia AA. communiter docent, laicos, & Paganos baptizantes non teneri sub nova mortali esse in gratia DEI. Et ratio est: quia illi nullam recipiunt gratiam, dum accipiunt potestatem baptizandi, sicut Sacerdotes accipiunt.

9. *Neg. prævent⁹ necessitate extremâ.* Dixi etiam: *nisi adsit casus extremæ necessitatis*; quia tunc etiam excommunicatus, vel suspensus canonicè, si non possit pro tunc elicere contritionem de peccato commisso, potest sinè novo peccato administrare Baptismum.

10. *Neg. impossibilitate ligatus.* Dixi ulteriùs: *vel moralis impossibilitas ad ponendum se in statu gratiæ*, si v. g. quis debeat administrare Sacramentum Baptismi puero agonizanti. Ratio Scoti est; quia concurrentibus duobus præceptis incompossibilibus, illud magis obligat, cujus transgressio magis nocet; unde cùm magis noceat transgressio de subveniendo puero morienti, quàm transgressio præcepti de non administrando in peccato, licebit Ministro etiam in mortali constituto Sacramentum administrare.

11. *Scotus negat esse impossibilitatem, si possit conteri.* Nota hìc cum Scoto 4. d. 1. q. 5. non censeri moralem impossibilitatem ad ponendum se in gratia, quando Sacerdos non habet copiam Confessarij, debetq; nihilominus Sacramentum Pœnitentiæ administrare subitò. Ratio est; quia adhoc potest conteri ante ipsam absolutionem dandam, in qua essentialiter consistit ratio Pœnitentiæ, ut est Sacramentum; adeóq; non adest moralis impossibilitas.

12. *Cur Ministri debeãt esse in gratia actu administrantes; & non alij benè operantes?* Objicies primò: non peccat qui in mortali exercet opera Charitatis, vel Fidei professionẽ emittit: sed illi act⁹ sunt excellentiores in suo genere, quã act⁹ Sacramẽtales: ergo neq; peccat, qui in mortali administrat Sacramenta. ℞. neg. Cons: Disparitas est; quia Ministri ordinarij Sacramentorum in ordine ad Sacramentales actiones exercendas acceperunt specialem gratiam simul cum potestate, ac proinde tenentur ea administrare in gratia: non sic est de alijs elicientib⁹ opera Charitatis, vel Fidei.

13. *Nõ peccât Diaconus & Subdiaconus ministrantes in mortali.* Objicies secundò: Subdiaconus solemniter legens Epistolam, Diaconus Evangelium, Episcopus benedicens Chrisma, non peccant novo peccato mortali; etiamsi in mortali exerceant illas functiones; ad quas tamen exercendas in sua ordinatione acceperunt specialem gratiam: ergo pari ratione nec peccabunt Ministri administrando Sacramenta in peccato. ℞. maj: esse satis controversam; nam plures RR: eam simpliciter negant. Sed quia hoc nimis durum est; Respondent alij cum Navarro; tales solùm peccare venialiter. Unde ratio disparitatis est; quòd præceptum de administrando Sacramento in gratia, solùm colligatur extendi in ordine ad substantiam ipsius Sacramenti perficiendam; non verò ad ea, quæ sunt quodammodò accessoria; cujusmodi sunt legere solemniter Epistolam, vel Evangelium &c.

14. *Quid sit faciendũ ministraturis Sacramenta.* Quæres tertiò: Quid ergo facere debeat administraturus Sacramentũ, conscius peccati mortalis? ℞. cum Navarro, & alijs, ad minimũ pro virili debere procurare contritionem: vel saltèm attritionem, quæ cũ valore Sacramenti faciat ipsum contritũ cũ intentione confitendi quam primùm poterit. In Eucharistia verò administranda specialiter disponit Tridentinum Sess. 13. c. 7. dicens; *Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad S. Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab ijs Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hac S. Synodus perpetuò servandum esse decrevit; modò non desit illis copia Confessoris; quòd si necessitate urgente Sacerdos absq, prævia Confessione celebraverit, quàm primùm confiteatur.*

QUÆSTIO XV.

Nonnulla Quæsita circa collationem gratiæ Sacramentorum resolvuntur.

Solent hic AA. tractare de dispositionibus in specie adultorum suscipientium Sacramenta; sed de hoc puncto con-

congruentior infra Dist: 2. *de Bapt.* erit locus. Interim tantùm in generali Nota: determinatum esse à Florentino, & Tridentino Sess. 7. Can: 6. Sacramenta non nisi dignè suscipientibus, & obicem non ponentibus, gratiam conferre. Sed

Quæres primò: An Sacramenta ejusdem rationis, & ordinis inæqualiter dispositis, inæqualem possint causare gratiam? ℞. &

1. Defacto datur æqualis gratia æqualiter dispositis.

DICO primò: Esto defacto gratia æqualis æqualiter dispositis conferatur à Sacramentis ejusdem rationis: de possibili tamen inæqualis conferri potest. Ita Scotus in 4. d. 4. q. 7. contra Recentiores, quoad 2. partem.

Probatur prima pars: quodlibet Sacramentum habet definitum effectum ex certa lege, & promissione DEI, ut docet Tridentinum Sess. 7, Can. 7. de *Sacramentis in genere*: ergo hic effectus debet in omnibus suscipientibus æqualiter dispositis esse æqualis. Consequentia tenet; sicut enim Sacramentorum significatio debuit esse determinata pro singulis; ita & eorū efficientia, quantùm est ex parte Sacramenti: nec circa hoc membrum Conclusionis est controversia scholastica: & Scotus pro opposito immeritò citatur.

2. De possibili tamen conferri potest inæqualis.

Probatur ergo Secunda pars ratione Scoti primò: DEUS prædestinavit diversos Electos ad diversos gradus gloriæ; & hoc ante determinationem Sacramentorum, ad conferendam tantam, vel tantam gratiam; sed prædestinatis ad majorem gloriam potest de possibili conferri major gratia: ergo potest DEUS ex speciali lege inæqualem conferre gratiam Sacramentalem. Probatur secundò ratione ejusdem Doctoris; possunt Ministri Sacramenti, & adstantes recipientib⁹ Sacramenta elicere particularia aliqua, & insignia opera meritoria, eaq; applicando uni, & non alteri recipienti, mereri uni partialem gradum gratiæ: ergo tunc conferetur gratia inæqualis æqualiter dispositis. Antecedens probatur: quia possuntMi nistri, & adstantes, vel parentes baptizando mereri alias gratias extra Sacramentum, ut patet in parentibus S. Nicolai Myrensis (inquit Scotus) qui dicto Sancto adhuc infanti meruerunt gratiam magnam abstinendi, ita ut duobus diebus in hebdomada non tantùm lactatione esset contentus: ergo & in Sacramento posset inæqualis gratia conferenda promereri.

3. Scoti doctrina manutenetur

Recentiores respondent ad hunc Scoti discursum: Neg. Ant: ad ejus probationem Neg. Consequentiam. Disparitatem dant; quia gratia in Sacramento danda est gratia sanctificans, quæ à nullo alio alteri immediatè potest promereri, præterquàm à Christo. Contra est; quòd usus, & exhortatio Ecclesiæ sit, ut oremus pro peccatoribus, juxta illa Jacobi 1. *orate pro invicem, ut salvemini*, utiq; per acceptionem gratiæ sanctificantis. Unde & Patres docent, preces S. Stephani in Conversionem D. Pauli, & consequenter in dationem gratiæ sanctificantis meritoriè influxisse, saltèm de congruo, quod nostra intendit doctrina: unde nil demitur Christo, qui de condigno meruit omnibus gratiam sanctificantem.

contra Recentiores,

Quæres secundò: An Sacramenta præter gratiam sanctificantem, etiam conferant alias gratias? Respondeo, &

4. Sacramenta etiā gratias actuales conferre docet S. Bernard⁹.

DICO secundò affirmativè. Ita Scotus 4. d. 1. q. 4. & communis DD.

Probatur cum D. Bernardo in serm: *de Cœna Domini*, assignante cuilibet Sacramento partialem gratiam actualem: nam per *Baptismum*, inquit, regeneramur: per *Confirmationem*, reddimur fortes ad pugnandum pro Fide vera: per *Eucharistiam* conferuntur subsidia ad perseverandum in gratia, & quæ reprimunt, iræ, invidiæ, & luxuriæ passiones: per *Ordines* dantur auxilia ad dignè obeundas functiones sacras: per *Matrimonium*, ad sustentanda ejusonera, prolem debitè educandam: per *Extremam Unctionem* elargiuntur auxilia ad resistendum tentationibus in agone, ad recuperandam salutem, si magis animæ conducat: &c.

Quæres tertiò: An Sacramenta omnia conferant primam gratiam? Est autem *prima* gratia, Sanctificans gratia collata nobis quo ad primum sui esse: Et *secunda* est hujus augmentum. ℞. &

5. Solus Baptismus, & Pœnitentia conferunt primā gratiam.

DICO tertiò: Vi suæ institutionis solus Baptismus, & Pœnitentia conferunt primam gratiam. Ita Scotus 4. d. 25. q. un: & communis DD.

Probatur: solus Baptismus delet originale, & personale peccatum, si adsit, & Pœnitentia destruit solum personale; & ideò appellantur *Sacramenta mortuorum*, eò quòd evacuatà morte, quam causabat peccatum, vitam gratiæ primæ inducant: ergo &c. Reliqua itaq; quinque Sacramenta solam gratiam secundam regulariter, & ex institutione sua causant, ut communiter tenetur à Theologis. Contingere tamen potest per *accidens*, *& indirectè*, ut instituta ad conferendam primam, conferant secundam, seu augmentum; & è contra illa, quæ sunt instituta ad augmentum; conferant aliquando etiam primam. Ratio est; quia contingere potest ex una

6. Licèt per accidens aliter contingere posfit.

parte ut accedens ad Baptiſma, vel Pœnitentiam ſupponatur eſſe in gratia per actum perfectæ contritionis, in quo caſo hæc duo Sacramenta alioquin per ſe ordinata ad primam gratiam conferendam, conferent ſecundam. Ita Scotus 4. d. 4. q. 6. Ex ex alia parte è contra etiam poteſt accidere, ut aliquis habens aliquod mortale oblitum; putans tamen bonâ fide ſe eſſe in gratia, accedat cum attritione ad aliquod Sacramentum vivorum, maximè Euchariſtiæ, in quo continetur fons omnis gratiæ, recipiet primam gratiam, ſeu remiſſionem peccatorum. Ratio colligitur ex Trident: ſeſſ: 13. Can: 5. dicente; *ſi quis dixerit, vel præcipuum fructum hujus Sacramenti, ſcilicet Euchariſtiæ, eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex eo non alios fructus provenire, Anathema ſit*; quibus verbis abſolutè non negat primam gratiam, ſeu remiſſionem peccatorum eſſe Euchariſtiæ fructum; ſed tantùm negat eſſe præcipuum; tacitè concedens eſſe ſaltem ſecundarium. Quod etiam indicat Eccleſia in illa Oratione: *ſit nobis ablutio ſcelerum, ſit remiſſio omnium delictorum.*

7. *Qualis ſit neceſſitas in ſingulis Sacramentis.*

Quæres quartò: quænam Sacramenta ſint neceſſaria neceſſitate medij vel præcepti? ℞. cum Scoto pluribus in locis: Sacramenta *Baptiſmi*, & *Pœnitentiæ* eſſe neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem; Ratio eſt; quia *Baptiſmus* eſt ſimpliciter neceſſarius pro culpa originali delenda in omnibus. *Pœnitentia* verò pro actuali delendo in adultis. Sacramenta *Ordinis*, & *Matrimonij* ſunt ſimpliciter neceſſaria toti communitati Eccleſiæ; vagè tamen, non determinando perſonas. Ratio eſt; quia nequeunt homines conſequi ſalutem, niſi aliqua Sacramenta recipiant; hæc autem nequeunt confici, & miniſtrari, niſi à Sacerdotibus, & hi non habentur, niſi ex Matrimonio fiat propagatio generis humani. Sacramenta *Confirmationis*, & *Extremæ Unctionis* non ſunt neceſſaria neceſſitate medij, vel præcepti. Ratio eſt; quia ſunt Sacramenta vivorum, ordinata ad ſolum augmentum gratiæ; ergo non ſunt neceſſaria neceſſitate medij: ſolùm ergo obligant ad non contemnendum. *Euchariſtia* tandem eſt neceſſaria neceſſitate tantùm præcepti. Conſtat ex Tridentino Seſſ. 13. c. 9. ſaltèm ut ſemel tempore Paſchæ ſumatur ab habentibus uſum rationis.

QVÆSTIO XVI.

Adſtruitur Septenarius Sacramentorum contra Novatores.

1. *Nomen Septenarij non debet neceſſariò exprimi in Scripturis.*

NOlo hærere hìc in recenſendis Hæreticorum placitis, quæ pœnè infinita ſunt, & quotidie variata: Legatur noſter Caſtro, Vega, Ballarm: &c. Illud tantùm moneo, cùm de certo numero Sacramentorũ agunt Catholici, nõ debere eos multùm eſſe ſolicitos, ut oſtendant ex Scriptura, aut PP. nomen *Septenarij numeri*; quia nec ipſi Hæretici nomen ternarij, binarij, aut quaternarij Sacramentorum ex Scriptura, aut Patribus oſtendunt. Cum Eccleſia Catholica.

2. *Septem tãtùm ſunt Eccleſiæ vera Sacramenta.*

DICO primò: Septem tantùm ſunt Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Ita Tridentinum Seſſ. 7. Can: 1. Florentinum *in Decreto Eugenij.*

Probatur primò: ex conſenſu totius Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ à 600. & ultra annis, etiam ante tempora Magiſtri Sententi: (cui hæretici adſcribunt numerum ſeptenarium) quæ ſeptem præfata Sacramenta, nec plura, nec pauciora tradidit, ut videre eſt apud Magiſtrum Senteot: & omnes retro Theologos, usq; ad hoc ſæculum noſtrum: quod certè Argumentum ſummi ponderis eſſe debet; ſi enim tot centenis annis Doctores Eccleſiæ in tanto negotio erràſſent, proculdubio Eccleſia ipſa hoc tolerans perniciosiſſimè erràſſet, & per conſequens deficeret in ea fides D. Petri, prævalerent portæ inferi, non maneret cum ea Chriſtus uſq; ad conſummationem ſæculi: quæ omnia ſunt falſa: ergò &c.

3. *Lutheri erroneo ſentimini obviatur ex S. Auguſt.*

Dicat hic Lutherus, & Calvinus, *Doctores illi homines fuêre, Sophiſtæ fuêre, qui iſta docuêre, latuit interea Eccleſia in quibusdam Electis, neſcio ubi.* Dicemus & nos cum D. Auguſtino lib: contra Epiſt. Manichæi: *multa ſunt alia quæ in gremio Eccleſiæ juſtiſſimè me tenent; tenet conſenſio populorum, atq; gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata, tenet ab ipſa ſede Apoſtoli Petri, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum, tenet poſtremo ipſum Catholicum nomen.* Dicemus cum eo ibidem c. 5. *Evangelio non crederem; niſi me Catholicæ Eccleſiæ moveret authoritas*; multominùs Sacramenta eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem; niſi eadem urgeret authoritas.

4. *Solidatur Concluſio prior, adducendo inſtitutio-*

Probatur ſecundò: Sacramenta etiam ſecundùm ipſos Adverſarios; ſunt ritus ſeu ſigna quædam ſenſibilia, quæ ex divina inſtitutione annexam habent promiſſionem gratiæ Sanctificantis, quæcunq; demum hæc ſint; ſed in Eccleſia Catholica

ſunt

nem & præcept: de singul: sacræ:

sunt à DEO septem hujusmodi institnta, nec plura, nec paociora: ergo &c. Prob: min: per singula discurrendo. Et primò; de *Baptismo* habetur ritus ad Ephes: 5. v. 26. *mundans eam lavacro aquæ in verbo*: præceptum de ejus usu, quod necessariò præsuppunit institutionem, Matth: ultimo: *euntes in mundum* &c. *Baptizantes omnes gentes in nomine Patris &c.* Promissio ibidē; *qui crediderit, & baptizatus fuerit*, &c.

De Baptismo.

De Eucharistia , habetnr ejus institutio Matth. 26. v. 26. *Accepit JEsus panē, & benedixit, ac fregit*: præceptū, ac potestas conficiendi Luc. 22, v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*; promissio gratiæ Joan: 6. v. 59. *qui manducat hunc panem vivet in æternum.*

De Eucharistia.

De Confirmatione patet ritus Joan: 20. v. 22. ubi Christus mittens Apostolos in mundum, tanquam agnos contra lupos, confortans eos, & confirmans, *insufflavit, & dixit eis; accipite Spiritum Sanctum*: Promulgatio, & gratiæ promissio in Actibus Apostolorum multis in locis, & specialiter cap. 2. nbi Petrus postquàm dixit v. 38. *Pænitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrum in remissionem peccatorum*; subjungit versu eodem. *& accipietis donū Spiritûs Sancti. Vobis enim est repromissio. &c.* & Act. 8. ubi fidelibus jam baptizatis, & nondum Spiritum Sanctum accipientibus Apostoli imponebant manus, & accipiebant Spiritum Sanctum, utiq; Confirmantem illos in gratia, per Baptismum recepta.

De Confirmatione.

De Pænitentia, habetnr institutio, simul & gratiæ promissio Joan: 20. v. 23. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Habetur etiam potestas, & mandatum ibidem v. 21. *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos*, utiq; in ministerium reconciliationis, ùt loquitur Apostolus 2. Cor. 5. v. 18. *DEUS dedit nobis ministerium reconciliationis.*

De Pænitentia.

De Extrema Unctione, habetur ritus Jacobi 5. v. 14. *infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eū, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quod certè tam fideliter non promitteret S. Jacobus, nisi Christi institutionem; ac promissionem in hoc exploratam haberet.

De Extrema Unctione.

De institutione *Ordinis*, patet Luc: 22. v. 19. & Joan. v. 23; in quorum primò datur potestas respectu corporis Christi veri, dum dicitur, *hoc facite in meam Commemorationem*: in secnndo respectu corporis mystici, qnod conflatur ex Fidelibus, dum dicitur, *quorum remiseritis peccata*: in quibus duobus consistit potestas Ordinis. De qua etiam loquitur Apostolus 1. ad Tim. 4. v. 14. *noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.*

De Ordine.

De *Matrimonio*, habetur institutio, vel saltèm approbatio, Matt: 19. v. 6. *quod DEUS conjunxit, homo non separet*: promissio gratiæ colligitnr ex Epistola ad Ephes: 5. ubi habetur, quòd conjunctio viri, & fœminæ significet conjnnctionem Christi, & Ecclesiæ. Unde & ibidē de eo dicitur; *Sacramentum hoc magnū est.* Ex quibus omnibus habetur, quòd illa signa septem, quæ ab Ecclesia proponuntnr, sint vera Sacramenta, & nec plura, nec pauciora, quàm septem.

De Matrimonio.

5\. *Scoti congruentia pro eadem veritate.*

Scotus pro veritate Conclusionis elegantem adducit congruentiam: sicut enim, inqnit, in vita hac corporali quædam requiruntnr ad singulas personas in particulari, quædam ad Communitatem: sic in vita spirituali; & quidem in vita corporali in particulari requiritur primò generatio, sinè qua nemo esse potest; cui in vita spirituali correspondet *Baptismus*, per quem regenaramur, vel potiùs primò generamur in Christo. Secundò requiritur in vita corporali nutritio; cui correspondet in vita spirituali *Eucharistia*, quæ est nutrimentum animæ. Tertiò corroboratio, seu confortatio corporis; cui correspondet *Confirmatio*, per quam in fide roboramur. Quartò infirmo est necessaria medicina corporalis; cui correspondet in proposito *Pœnitentia* contra morbum peccati. Quintò agonizanti necessarium est subsidinm, quo placidè moriatur; cui correspondet *Extrema Unctio*, per quam in mortis articulo juvamnr contra molestias inimici. Pro Communitate autem in vita corporali conservanda necessaria est propagatio naturalis, tam quoad populnm, quàm quòad regentes; cui in vita spirituali correspondet *Matrimonium*, & *Ordo*; matrimonium quidem ad multiplicationem subditorum in Ecclesia; Ordo verò ad habendos legitimos Prælatos.

6\. *Omnia Sacramenta fluxerunt ex latere Christi.*

Objiciunt Hæretici primò: 1. Joan. 19. habetur, ex latere Christi fluxisse sanguinē, & aquam; id est, ut exponunt Christiani, Eucharistia, & Baptismus: ergo non sunt plnra Sacramenta, quàm duo. ℞. non solùm ista duo Sacramenta, sed etiam alia quinque fluxisse ex latare Christi, quantùm ad virtutem, & efficaciam; quàmvis ista dno tanquàm principaliora expressiùs figurentur.

7\. *Bestia Apocalyptica.*

Oijicit secundò Kemnitius: Apoc: 17. vocatur Sacramentum bestia illa, quæ septem capita habebat: ergo septenarius numerus Sacramentorum pertinet potiùs ad

F Anti-

Anti-Christum, qui per illam bestiam figuratur. ℟: neg. Conf: quia ut interpretantur Doctores omnes, non in alio sensu bestia illa dicitur Sacramentum, nisi quatenùs Sacramentum idem significat, quod mysterium.

8. *S. Aug. omnino plura Sacramēta præter Baptismū, & Eucharistiam assignavit.*

DICES: Aug. qui cæteris curiosior fuit in numeris observandis, non observavit septenarium numerum Sacramentorum: unde lib. 3. *De doctrina Christiana* c. 9. facit mentionem de solo Baptismo, & Eucharistia: idem faciunt multi alij PP. ergo &c. ℟. ipsum alibi agnoscere plura Sacramenta; nam Conci: 1. *in Psal.* dicit; *respice ad munera Ecclesiæ, munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris Sacramentis*, S. ergo Aug. & alij PP. veteres non faciunt plerumque mentionem in suis Disputationibus, nisi de præcipuis Sacramentis; vel ijs, de quibus cum Hæreticis suorum temporum disceptabant.

DISTINCTIO II.
DE BAPTISMO.

PRÆNOTATIO.

HÆc est prima post naufragium tabula in lege Evangelica, omniúmq; Sacramentorum novæ legis initium, & janua. Unde ob sui excellentiã varijs etiam nominibus insignitur; primò enim dicitur ad Titũ 3. v. 6. *Lavacrum regenerationis*, quia per illud denuò nascimur in Christo. Secundò: ad Coloss: 2. v. 11. vocatur *Circumcisio non manu facta.* Tertiò: vocatur *Sepultura*, in qua scilicet vet' homo spoliatur peccatis, & resurgit in novitate vitæ: Unde dicit Apostolus ad Rom. 6. v. 4. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.* Quartò: vocatur *Illuminatio*; quia in eo accipimus primò lumen Fidei: unde dicitur ad Hebr: 6. v. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, &c.* id est, baptizati, *& prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Dicitur denique Unctio, signaculum, sigillum, custodia, præsidium, expurgatio, propter similes prærogativas. De hoc sit

QUÆSTIO PRIMA.
De Definitione Baptismi, ejusque institutione.

1. *Propria signific: Baptismi: & aliqua ej' definitiones.*

NOta primò: quòd Baptismus secundùm vim Græci vocabuli, lotionem, immersionẽ, seu lavacrũ importet in communi: in Ecclesia verò ex usu SS. PP. & Theologorũ hoc vocabulum institutum est, ad significandam specialem spiritualem ablutionem animæ; quam præfiguravit Baptismus Joannis, qui erat dispositio quædam ad pœnitentiam, disponentem ad Baptismum Christi. Varias AA. adducunt definitiones hujus ablutionis, seu Baptismi; Ego duas apponam magis celebres. Prima est Catechismi Rom: p. 2. c. 2. dicentis: *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Secunda Scoti 4. d. 3. q. 1. n. 3. cum qua

2. *Scoti definitio.*

DICO primò: Baptismus benè definitur dicendo: *est Sacramentum ablutionis animæ à peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis simul ab eodem abluente, cum intentione debita prolatis.*

3. *Ejus probatio, & explicatio.*

Probatur: quia constat communibus requisitis à Dialecticis ad exactam descriptionem: ergo &c. Præterea Explicatur; ly *Sacramentum* est genus; ly *ablutionis animæ*, designat effectum Baptismi; ly *in ablutione* designat materiam proximam; ly *facta in aqua*, signat materiam remo-

remotam: *ab alio abluente* ostendit Ministrum: *in verbis certis*, denotat formam.

4. Ablutio, & verba simul sunt fundamentum significationis formalis Baptismi.

Nota secundò: Doctores circa præfatam definitionem variare de fundamento proximo relationis, seu significationis Sacramenti, signantis animæ ablutionem. Aliqui sustinent, quòd fundamentum hujusmodi sit ipsa sola ablutio exterior connotando tantùm verba, tanquàm conditionem necessariò requisitã. Alij verò docent, quòd ablutio simul, & verba, ex æquo fundent proximè illam relationem. Hæc difficultas communis est omnibus Sacramentis, in qua licèt Scotus problematicus sit; ego ut probabiliorem eligo illam sententiam, quæ dicit ablutionem simul, & verba ex æquo fundare dictam relationem: tum quia ex æquo illa duo requirit, Apostolus, dum dicit, *Lavacrum aquæ in verbo vitæ.* Tum quia Aug: tract: 80. in Joan: dicit; *verbo Baptisma consecratur, detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Tum tandem, quia, si verba non essent fundamentum significationis, vel pars fundamenti, non possent esse signum, neq; pars signi, adeóq; non viderentur necessaria ad Baptismum.

5. Variant AA. circa tempus Institutionis Baptismi.

Nota tertiò: circa determinatum tempus, quo institutus est Baptism⁹, etiã variare AA. & SS. PP. Magist: 4. d. 3. putat fuisse institutum ante mortem Christi, dũ Christus in Jordane baptizatus est: consentit D. Thomas, Bellarm: &c. Alij dicunt fuisse institutum Joan: 3. quando Christus ad Nicodemum dixit; *nisi quis renatus fuerit &c.* Alij post Resurrectionem Matth. ult. quando dixit Christus Apostolis; *Euntes baptizate omnes gentes*: Ita Leo Papa III. Chrys: Rup. Alensis. &c.

6. Verisimilius est Baptismũ esse institutũ ante mortem Christi.

DICO secundò: Verisimilius est, Baptismum fuisse à Christo institutum ante mortem, licèt certum temp⁹ assignari non possit, in quo fuerit facta talis institutio. Ita Scotus 4. d. 3. q. 4. Faber, Hicquæus, Aretinus, Ponc: Brancatus &c. Estque sententia jam communior cum S. Aug: tract: 5. & 13. & 15. *in Joan. Epist.* Item 118. Origene tom. 7. *in Joan.* Cyril. lib. 2. in Joan. c. 12. & 18.

Probatur ex ipsa Evangelica narratione; quia Joan: 3. habetur, Christum ante passionem, & mortem suam per Discipulos baptizasse: ergo Baptismus fuit institutus ante mortem Christi.

7. Scotus obviat cuidã objectioni bis.

Nec valet dicere cum PP. oppositæ sententiæ: Discipulos tunc baptizantes non dedisse illum Baptismum, qui est Sacramentum novæ legis, sed vel eundem, quem dabat Joannes Baptista, vel alium, qui esset solùm figura, & quasi inchoatio Baptismi veri: Non valet inquam; quia, ut ostendit hic Scotus cit: & prænotavit S. Aug. Epist. 118. & Tol. in c. 3. *Joan. annot:* 32. videntes Discipuli Joannis Discipulos Christi baptizantes, conquesti sunt apud Joannem, quòd ausi sint baptizare: si autem baptizassent Baptismo Joannis, nullam habuissent causam querelæ.

8. Congruentia Scoti & Aug: pro conclusione allegatur.

Probatur secundò Congruentiã Scoti; Christus ante mortem suam congregavit Discipulos, cæpit prædicare suum Evangelium, & pœnitentiam: ergo consentaneum fuit tunc jam instituere Baptismum. Conf: tenet; quia Sacramentum primum novæ legis, quod est Baptismus, debuit cum prædicatione ipsius Evangelij & legis novæ inchoari; cùm sit prima Fidei promissio. Accedit congruentia S. Augustini, allata in Epist: cit: Apostoli erant ordinati Sacerdotes ante mortẽ Christi, nempe in Cœna Domini, ut constat ex Trid: sess: 22. Can. 2. sed Baptismus Christi est janua, ad Sacerdotij, seu Ordinis Sacramentum: ergo Apostoli erant baptizati ante Sacerdotij receptionem: ergo jam fuit institutus Baptismus.

9. Præcluditur evasio quorundã.

Nec valet communis evasio dicentium; Christum in ultima Cœna dispensâsse cum Apostolis, ut in ipsis Baptismus non præsupponeretur tanquàm janua ante cætera Sacramenta. Nil enim cogit nos ad hoc dicendum: & cùm videamus hunc ordinem in alijs Sacramentis esse servatũ; nam priùs fuerunt Apostoli ad Sacerdotiũ ordinati, dũ proferẽtur illa verba: *hoc facite in meã commemoratione*, quàm potestatẽ absolvendi à peccatis acceperint; cùm hanc primò post Resurrectionem acceperint à Christo, quando eis dixit; *quorum remiseritis peccata remittuntur eis.*

10. Scotus refutat diversos modos determinantes tempus institutionis Baptismi.

Quòd verò determinatum tempus assignari non possit ex Scriptura, quo ante mortem Christi Baptismus fuerit institutus; probat Doctor, refutando singulos modos dicendi. Primò: non fuit institutus, ùt volunt aliqui, quando Christus in Jordane à Joanne fuit baptizatus: quia Christus tunc fuit baptizatus Baptismo Joannis, non suo. Secundò: non fuit institutus per illa verba, dicta Nicodemo Joannis 3. v. 5. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* quia, ut inquit Doctor, generale præceptum omnibus necessarium, & solemne, quale est Baptismi, decens non erat institui coram privata persona; & eò vel maximè, quia per Nicodemum talis institutio promulganda non erat: unde ille sermo Christi cum Nicodemo erat per modum simplicis eruditionis in lege nova

de necessitate Baptismi ad salutem ; non antem per modum institntionis ejus; quia nolla ibi præscribitur Baptismo forma.

11. *Non obstātibus PP. quibusdā Scoti sententia est probabilior.*

Objici solent plures SS. PP. docentes ; post Resurrectionem Christi fuisse institntom Baptismnm ; quando Matth: ult: dixit discipulis ; *euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* ergo &c. ℟. pro nostra seotentia æquè haberi plures SS. PP. quos fusè eitat Svar: disp. 19. Sect. 2. Vasq. & alij : ac proinde utraq; sententia est probabilis ; probabilior tamen nostra, ut patet ex Ratiooibns allatis supra.

12. *Salvatur Baptismū esse symbolū mortis, licèt ante Christum institutum.*

Objicies secundò : S. Seriptura ait ad Rom: 6. v. 3. *quicunque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus*: cùm ergo Baptismns sit symbolum mortis, & sepolturæ Christi, non debuit ante mortem Christi iostitui. ℟. Neg: Consequentiam : nam etiam Eucharistia in ratione Sacrificij instituta est ad symbolizandum cruentum Crucis Sacrificium ; & tamen aotè illud fuit institntum : ergo à pari idem fieri potuit cum Baptismo.

13. *Quid Christus in Jordane egerit cum aquis.*

Objicies tertiò : Christus tunc institnit Baptismom, quando in Jordane, tactu muodissimæ carnis suæ vim geoeraodi cootulit aquis, & apparuit supra ipsum visibiliter Trinitas, in cujns oomine exhibetur Baptismus : sed hoc fuit ante murtem ; ergo &c. ℟. Neg. maj. quia Christus in Jordane tactu suæ carnis solùm consecravit aquam, ut sit futura materia idonea Baptismi iostituendi : uode licèt paroerit ibi tota Trinitas ; tameo apparuit soli Joanni, ideóq; fuit apparitio privata, quæ nnu sufficit ad signum solemne factæ institutionis Baptismi, in quo fit Sanctissimæ Trinitatis publiea expressio.

QVÆSTIO II.
De Necessitate Baptismi.

1. *Quid necessitas medij, & præcepti.*

NOta : duplicem hìc considerari posse necessitatem, medij videlicèt, & præcepti. *Necessitate medij* ceosetur aliqoid esse necessariom, quô prætermissô scienter, vel ignoranter, vel nb impoteotiam, salus oullatenùs acquiritur. *Necessitate* aotem *preceoti* judicator aliquid esse necessarium, qnô prætermissô per ignorantiam, vel impoteotiam, adhuc salus acqoiritur.

2. *Adstruitur necessitas medij Baptismi.*

DICO primò : à quo lex Evaogelica cepit obligare, Sacramentum Baptismi in re, vel io voto est regulariter omnibus parvolis, & adultis oecessariom, oecessitate medij.

Probatur primò : quia ita definitur in Trid; sess. 6. c. 4. Flor. *in Decreto Eugenij*, quorum authoritate primò probatur Conclusio.

Prob: secundò ; qnia ita sentiunt SS. PP. & quidem Augustinus Conclusionem probat fermè ubique, ubi contra Pelagiaoos agit, maximè quóad parvulos. Deinde Cypriao. Epst: 59. dicit, universo Concilio visum esse, baptizaodos esse infantes, etiam iotra primum, & secundum diem à nativitate ; *quia*, ioquit, *si fieri potest, quantum in nobis est, nulla anima perdenda est.* S. etiam Bernardus specialiter de Parvulis loqoitur Epist: 240. *Parvulis*, ioqnit, *Christianorum Christi intercluditur vita, dum Baptismi negatur gratia, nec saluti propinquare sinuntur Salvatore licèt piè clamante ; sinite parvulos venire ad me* : ergo &c.

Prob: tertiò Ratione (præter toti⁹ Ecclesiæ coosensū) quia, ut Fides contra Pela: docet, omnes tam parvi, quàm magni (excipe Electam ex millibus) peccaverunt in Adam, pænæ æternæ obooxij : ergo egent de necessitate remedio salutis : sed nullum aliod coogruentiùs assignari potest, quàm Baptismus : ergo &c. Præterea sicut unica via contrahendi originale peccatum, est nasci in Adam, ita unica via restaorandi primam gratiam, debuit esse renasci in Christo per hoc Sacrameotum : ergo &c.

3. *Sufficit autem quandoque Baptismus in voto.*

Dixi notanter in Conclusione : *in re, vel in voto* ; qoia certum est, & omnes PP. docent, in casu, quo Baptismi Sacrameotum re ipsâ ob aliquod legitimum impedimeotom suscipi non posset, sufficere votū ipsi⁹, vel virtoale, vel formale, juxta superi⁹ dicta. Unde & Tridentinum sess. 14. c. 4. docet contritionem sinè Baptismo in re suscepto aliqoando sufficere.

4. *Exponitur circa hoc Augustinus.*

Nec obstat : quòd dicat S. Aug. De *dogmat: Ecclesiasticis* c. 24. Catechumenum sinè Baptismo, quàmvis in bonis operibus defunctum, oon habere vitam æternam : Quia intelligendus est de eo, qui cùm Baptizari potuit, tamen oeglexit.

5. *Non sufficit secundùm Zvinglium ad justificationē descendere ex fidelib⁹ parentib⁹.*

Objicit primò Zwinglius ; eò ipsò qnòd descendamus à pareotibus fidelibus nascimur sancti : ergo Baptismus non est nmoibus necessarius : Prob: Ant: ex illo 1. Cor. 7. v. 14. ubi de conjugibus fidelibus dicitur ; *alioquin filij vestri immundi essent, nunc antem sancti sunt* : deinde per Christum sumus veri filij Abrahæ, in quo nobis beoedixit Dominus Geo. 17. v. 7. *ero DEUS tuus, & seminis tui* : ergo nascimur sancti à pareotibus fidelibus veris Abrahæ filijs. ℟. Neg. Aot: ad primam probam ejns; Respondetur ex S. Aug. lib. 3. *De peccat. merit. & remiss.* sensum illius loci esse, non quòd filij in sui concep-

tione

tione nascuntur sancti, sed quòd postmodùm in lucem editi, eorà, & exemplo parentum sanctificentur per Baptismum, & bona opera: sicut nec vir infidelis, quem ibidem dicit Apostolus, sanctificari per conjugem fidelem, intelligitur sanctificatus hôc ipsò, quòd ducat conjugem fidelem. Quòd etiam per Christum simus Filij Abrahæ benedicti, non aliunde habemus, quàm per Baptismū, in quo regeneramur in Christo.

6. Dei judicia adhuc justa, stante interitu tot parvulorum.

Objicies secundò: si Baptismus esset necessarius necessitate medij, perirent sinè culpa tot millia infantum, præsertim in uteris maternis morientes; quod videtur esse contra DEI misericordiam: ergo ℞. cum S. Aug: *De bono persever.* c. 12. & Prosp: lib. 2. *De vocatione gentium* c. 8. DEI judicia tot parvulos perire sinentis esse quidem occulta; interim tamen justissima; quia tametsi sinè sua culpa non baptizentur; nō tamen sinè sua culpa pereunt; cùm habeant Originale peccatum.

QVÆSTIO III.

De triplici Baptismo Fluminis, Flaminis, & sangvinis.

1. Baptismus triplex.

Nota primò: si loquamur de Baptismo supra definito, unicus tantùm est, dicente Paulo ad Ephes: 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Verùm cùm vocabulum hoc latiorem patiatur sensum; ideò Theologi tres communiter distingvunt Baptismos, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis: de quibus etiam fit mentio in Jure Canonico *de Consec.* dist: 4. *cap. Baptismi vicem. Fluminis*, seu Aquæ est ille Baptismus definitus supra. Baptismus *Flaminis* est desiderium, & votum formale, vel virtuale suscipiendi in re Sacramentum: formale quidem, si quis expressè coperet Baptismum: virtuale, si quis invincibiliter ignorans necessitatem Baptismi, haberet actum amoris supernaturalis, seu contritionis de peccatis, in quo virtualiter continetur quicunq; alius actus DEO placens. *Sanguinis* est Martyrium propter DEUM acceptatum: de quo S. Cypr: *in Exhortatione ad Martyres* dicit: *esse Baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius, quod nos de mundo recedentes statim DEO copulat.*

2. Sufficit quandoq; Baptismus flaminis.

DICO primò: in defectu Baptismi fluminis sufficit Baptisma flaminis ad obtinendam salutem, & justificationem. Est Scoti 4. d. 4. q. 6. & Communis doctrina Catholicorum.

Probatur omnibus illis Scripturis, in quibus promittitur justificatio, & peccatorum remissio hominibus verè pœnitentib⁹: cujusmodi est illa Ezech: 18. *si autē impius egerit pœnitentiam, vitā vivet: & cùm averterit se impius, ab impietate suā animam suam vivificabit.* Sic legitur Act: 10. Cornelium Centurionem ante sumptionem Baptismi fluminis, fuisse justificatum per solum Baptisma flaminis. Consentit doctrinæ nostræ Tridentinum, sess. 14. c. 4.

3. Etiā sanguis est sufficiens.

DICO secundò: etiam Baptismus *Sanguinis* sufficit ad obtinendam justificationem, & salutem; quando non potest applicari Baptismus fluminis. Est pariter recepta doctrina apud Catholicos omnes.

Probatur primò ex S. Scriptura Matth: 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Marci 8. *Qui perdiderit animam suā propter me, & Evangelium, salvam faciet eam*; qui passus loquuntur de Martyrio, ut sufficiente ad salvandam animam: ergo &c. Secundò ex SS. PP. docentibus martyrium conferre gratiam ex opere operato; adeoq; per modum Baptismi sufficientem ad salutem: sic loquitur S. Cyprian: & Aug. lib. 13. *de Civitate DEI* cap. 7. ubi æquiparat, imò extollit virtutem Martyrij, super virtutem Baptismi: ergo &c. Tertiò Prob: ratione: quia valde consentaneum est, divinæ misericordiæ, ut justificet tā bene hos, qui pro DEI honore, proprio consperguntur sangvine; quàm illos, qui aquā baptismali abluuntur: ergo &c.

4. Requisita ad verum martyriū; & primò Fides Catholica.

Quæres autem: quænam conditiones requirantur ad Martyrium, ut habeat vim justificandi adultum existentem in mortali? ℞. primo requiri veram, & *Catholicam Fidem.* Ita S. Aug: lib. 1. de Bapt: c. 11. & fundatur in illo Apostoli, *sinè Fide impossibile est placere DEO*; qualis est sola Catholica: quare licèt Joannes Huss, & Hieron: Pragensis sint Constantiæ cremati pro fide sua Hussitica, non proinde censendi sunt veri Martyres. Sufficit autem mortem subire, vel in defensionem veritatis nostræ Fidei; vel aliarum virtutum, quatenus sunt Fidei nostræ protestativæ; sicut omnium virtutum opera, secundùm quod referuntur ad DEUM, & sunt quædam Fidei protestationes, quibus protestatur homo, se citiùs velle exponere morti, quàm opposito actu peccati DEUM offendere.

5. Secundò, pia voluntas tolerādi mart.

Secundò: requiritur in adultis ad Martyrium, *pia voluntas*, tolerandi mortem pro divina gloria. Ratio est; quia ut loquitur S. Aug: DEUS non salvat nolentes, sed volentes, *non* inquit, *Salvat nos sinè nobis*, hoc est, sinè nostro consensu, & volun-

volnntate, sicot non operatur in nobis adultis Baptismus sine iotentione; talis autem voluntas, debet esse ex motivo honesto, & superuaturali; nàm si fiat ob vanam gloriam, vel aliud hnmanum motivum, oil meretnr. Sufficit antem, ut hæc voluntas sit antecedens, non retractata, seu quæ censetur moraliter manere, licèt non sit actoalis. Ex quo seqnitur, quòd si quis repugnaret Tyranno, quòd non sit Martyr, sed miles victus ab hoste.

6. *Tertiè, dolor de peccatis.*

Tertiò: nt Martyrium conferat primam gratiam ex opere operato, necessaria est aliqua gratia, *& dolor* supernaturalis de peccatis commissis. Ratio est; qoia nil magis, & frequentiùs inculcatur io S. Scriptura, qnàm dolor de peccatis commissis ad veniam impetrandam. Ita ctiam loquitur Trid. sess. 14. c. 4. Dolor antem iste de peccatis cnm martyrio ad justificandum requisitus, non debet esse cootritio, sed sufficit atritio. Ita Scotus hic. Ratio est; quia Martyrium hoc speciale privilegium habet, ut conferat primam gratiam ex opere operato, sicnt Baptismus: ergo sicut ad Baptismnm non requiritnr contritio; sed sufficit atritio; ita de Martyrio dicendnm.

7. *Non tamē semper pænitentia formalis.*

Quartò tandem: quamvis per se sit necessaria formalis pœnitentia peccatornm ante Martyrinm; tamen si ex accidente contingat hominem excusari à culpa omissionis hujusmodi, vel propter naturalem inadvertentiam, vel oblivionem peccatorū, vel quia ex timore mortis, tnnc menti nō occurrerent; vel etiamsi menti occurrerent; tamē propter subitā mortem, non posset contra illa formalem detestationem concipere; probabile est in his, & similibus casibns, solam volootatem morieodi pro Christo esse sufficientem dispositionem ad obtinendam veniam peccatorum, & gratiam ex privilegio Martyrij. Ita Scotns in 4. d. 14. q. 1. Ratio est; quia nullns exclnditnr à regno cœlorum; qui facit illud, quod est simpliciter necessarium, & sibi possibile; sed est possibile aliquem usq; ad instans aliqnod existentem in peccato mortali, ab eo instanti oecessitari deinceps ad toto corde insistendū circa act⁹ distrahentes à cogitatione de peccato commisso, pnta si esset expositns Martyrio arctissimo: ergo &c.

8. *Est verus Martyr, licèt non statim moriatur.*

Nota antem hic: ad Martyrium non reqniri, ut mors statim re ipsâ sequatur; sed sufficit, quòd sit posita causa sufficiens mortis, ex qua connaturaliter sequeretur; nisi impediretur; prout impedita est in tribus pueris Babylooicis, & S. Joan. Evang: misso in oleum fervens, quos Ecclesia, ut Martyres colit.

QVÆSTIO IV.

De Effectibus Baptismi: & an possit reiterari?

1. *Baptismus delet omnē culpam, & pœnam.*

DICO primò: Baptismus ritè, ac sinè obice susceptus, delet omnem culpam, & pœnam, sive temporalem, sive æternam alterius vitæ. Est sententia communis apud Theologos.

Probatur ex determinatione Con. Florentini: quod in *Decreto Fidei* dicit; hujns Sacramenti effectnm esse remissionem omnis culpæ Originalis, & Actualis, omnisq; pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Idē de culpæ Originalis, & Actualis, deletione clarè desinit Tridetinum sess: 5. in Decreto *De peccato Originali*: de pœnæ verò etiam temporalis amotione loqnitur eadem Synodus sess: 6. c. 14. ubi docet; in justificatione impij totam colpam, & pœnam æternam per *Pœnitentiam* dimitti; sed de temporali pœna subjnngit; *qua, nt Sacræ Litteræ decent, non teta semper, ùt in Baptismo fit, dimittitur*: *erge &c.*

2. *Conclusio patet etiā ex Scriptura.*

Probatnr secundò ex Sac. Scriptura ad Eph: 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ad Tit. 3. *salvos nes fecit per lavacrū regenerationis.* Joan: 3. & alibi. Et huc olim collimavit Spiritus Sanctus, quando per os Ezechielis 36. locutus est: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini, ab omnibus inquinamentis vestris*: sed non potest suscipiens Baptisma mundari, regenerari, renasci, si in eo maneat culpa Originalis, & Actualis peccati: ergo &c.

3. *Quo sensu fomes peccati dicitur ab Apostolo peccatum.*

Objicies: remaoet post susceptum Baptismnm in baptizato fomes peccati, & concupiscentia: sed hæc ad Rom. 1. vocatnr peccatnm, seu culpa: ergo &c. Respondeo cum D. Aug: explicando Apostolum: est peccatnm impropriè dictum, concedo Min: propriè nego Min: Vocatur ergo coocupiscentia fignratè tantùm peccatum, vel quia est effectus peccati Originalis; vel quia plerumque est occasio peccati.

4. *Baptismus confert Fidem, Spē, & Charitatem.*

DICO secundò: per modnm effectûs confert etiam Baptismns, Fidem, Spem, & Charitatem, seu gratiam sanctificantem, & characterem. Est Catholicorum doctrina communis.

Probatnr ex Tridentino sess. 6. c. 7. *in ipsa justificatione* impij (quæ habetur per Baptismnm) *cum remissione peccatorum, hac omnia simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem*: ergo &c. Et de characterehabetur sess: 7. can: 9.: ergo &c.

5. *Etiā virtut: morales cōfert.*

DICO tertiò: Virtualiter etiam virtutes morales in Baptismo infunduotur.

Prob:

Probatur: Charitas, quæ in Baptismo infunditur, eminenter omnes virtutes morales continet; inclinat enim animam ad omnes act⁹ virtutū moraliū; teste Apostolo, *Charitas patiens est, benigna est*, ergo &c.

Ad secundum Quæstionis punctum.

6. Et characterem con fert.

DICO quartò: Baptismus semel ritè collatus à quocunq; etiam Pagano Ministro, nō potest licitè, aut validè reiterari, aut denuò repeti. Ita Catholici omnes; contra Donatistas.

Probatur primò: ex diversis Ecclesiæ Definitionibus, Florent: *in Decreto Fidei* sub Eugenio IV. & longè ante Con: Carthag: 1. Can. 1. ubi Patres Concilij definierunt, rebaptizationes esse illicitas, & à Fide Christi alienas. Quod etiam in ipso Conc: Apostolorum Can: 47. traditur. Et ultimò in Tridentino exprimitur sess: 7. *De Sacramentis in genere* Can: 9. ergo &c.

7. Scoti ratio à priori, & posteriori.

Prob: secundò Ratione à priori; quæ loquit Scotus, est voluntas DEI sic volentis, & instituentis, cujus in hoc beneplacitum per Ecclesiæ, & CC. Definitiones nobis satis innotescit: à posteriori verò Congruentiam optimam ducit Scotus ex morbo, contra quem fit Baptismus principaliter, videlicèt ex peccato Originali, quod, sicut non redit, sic nec congruit reiterare Baptismum. Secundò: Baptismus est specialis quædam animæ regeneratio, correspondens naturali generationi in carnalibus: ergo sicut nullus potest denuò generari carnaliter, ita nec spiritualiter regenerari.

8. Pœnæ reiterantiū Baptisma.

Nota deinde pœnas humanas reiterantium Baptismum. Jure Civili L. 2. C. *ne Sanctum Baptisma* statuta est ab Imperatoribus pœna capitis pro reiterantibus. Jure verò Pontificio reiterans fit irregularis; & si hoc solemniter fecerit, illa irregularitas reservatur Sumō Pontifici.

9. Potest Baptism⁹ reiterari stante dubio vero.

DICO quintò: Si tamen subesset verum dubium, an aliquis sit baptizatus, est reiterandus baptismus sub conditione.

Prob: primò: ex c. *De quib⁹ 2. de Baptismo.* Et Conc. Carthaginensi 5. c. 6. Secundò Ratione; quia aliàs deberet quis manere in periculo carendi semper baptismi effectu, nullúmque aliud Sacramentum validè suscipiendi: quæ necessitas excusat ab irreverentia, alioquin per reiterationem Sacramento inferenda; ergo, &c.

QUÆSTIO V.

De Baptismo cum fictione suscepto.

1. Fictio negativa, & positiva quid.

NOta primò: fictionem hic non sumi pro illo actu, qui excluderet interiorem intentionem suscipiendi Baptismum; hôc enim pacto sinè dubio Baptismus, nec esset validus, nec aliquid operaretur: sed capitur juxta phrasim Scoti, & antiquorum Theologorum pro indispositione, effectum Baptismi impediente, quando aliàs Sacramentum esset validum, sumpto nomine ex S. Scriptura Sap: 1. v: 5. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Talis autem fictio, seu indispositio est duplex, *negativa*, ut cùm quis ad Sacramentum indispositus accedit; hoc tamen invincibiliter ignorat: Et *positiva*, quando quis actu peccat mortaliter in Sacramenti susceptione, vel habitualiter voluntariè perseverat in peccato mortali in illa susceptione. Respondeo jam, &

2. Baptismus cum fictione negativâ susceptus quid, & quando operetur?

DICO primò: Baptismus susceptus cum obice, seu fictione negativa, tametsi stante fictione non operetur suos effectus præter characterem, quem etiam in indispositis per peccatum producit; postea tamen recedente fictione per solam attritionem producit gratiam, remittit Originale, & omne Actuale, Baptismum antecedens. Colligitur ex Scoto 4. d 4. q. 1. Est Mastrij; & aliorum communiter TT.

Prima pars: quòd *stante fictione negativâ non operatur suos effectus*, patebit infra, ubi ostendam, quænam dispositiones in suscipiente Baptismum debeant adesse.

3. Per attritionem sufficienter removetur fictio negativa.

Quoad secundam Probatur: attritio est sufficiens dispositio in ipso Baptismo, sicut ostendam alibi, ut Baptismus suos operetur effectus: ergo etiam post Baptismum, non quidem physicè, quod non requiritur, sed moraliter adhuc permanente, dū elicitur attritio circa ipsum obicem. Unde non erit opus pro hoc obice tollendo applicare Sacramentum Pœnitentiæ. Confir: Baptismus debet aliquando operari: ergo si stante fictione non operetur, operabitur postea.

4. Fictio positiva impedit effect⁹ Sacramēti, & debet per contritionē tolli.

DICO secundò: Baptismus susceptus cum obice, seu fictione positiva non operatur suos effectus; nisi recedat, seu tollatur, vel per contritionem, vel attritionem, unà cum Sacramento Pœnitentiæ.

Probatur primò: Authoritate S. Aug. lib. *de Bap. Contra Donatistas* c. 12. Et lib: 3. c. 13. & lib. 6. c. 5. ubi dicit: *Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cùm illa fictio veraci Confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri.* Et habetur *De consecrat.* d. 4. cap 42 quā Authoritatem etiam adducit Scotus locô cit:

5. *Sublatâ fictione positivâ producitur duplex gratia, Baptismalis & Pœnitentialis.*

Ex quibus omnibus habetur: quòd recedente fictione per contritionē, seu Confessionem revera tunc præteritus Baptismos (idem docent AA. de Confirmatione, & Ordine, quæ ob characterem sunt irreiterabilia) quantùm ad remissionem peccati Oridinalis, & omnium peccatorum Actualium quæ Baptismum præcesserunt, & omnis pœnæ, suum operetur effectum. Et cùm dictus peccator baptizatus agat simul Pœnitentiam, ideò à DEO ipsi infunditur duplex gratia, nempe Baptismalis, & Pœnitentialis: per Baptismalem remittitur Originale, & Actualia peccata Baptismum præcedentia, & omnis pœna; per Pœnitentialem verò remittitur illa fictio, seu obex, id est, peccatum illud commissum actualiter in receptione Baptismi, & omnia alia commissa post baptismum, usq; dum contereretur, vel pœniteret. Ita Scotus 4. d. 4. q. 5. Ratio autē est; quare per ipsum baptisma non remittatur fictio; quia magnam irreverentiam talis fictio, & alia peccata sequentia ioferunt Baptismati; cùm sacrilegè impediant ejus effectum; sicut nec Pœnitentia tollit peccatum in actu pœnitentiæ commissum; hoc enim beneficio privatur is qui ei injuriā infert: sicut qui violat Ecclesiam, privatur beneficio immunitatis Ecclesiæ; ergo rationabile est, ut Baptismus non remittat illa peccata, sed aliud Sacramentum Pœnitentiæ.

6. *Quidam casus à Scoto solvitur.*

Ex hac doctrina solvitur ille casus, quem proponit Scotus loeò cit: an, si Baptizatus commiserit septem peccata mortalia, & veniat ad Baptismum de sex tantùm attritus; septimum autem actu placeat, vel de eo nullo modo atteratur, absolvatur vi Baptismi ab omnibus? Solvitur inquam dicendo; quòd licèt recedente fictione illa sex, de quibus est attritus, virtute Baptismi reviviscentis remittantur; tamen quia illud septimum fuit causa fictionis in susceptiooe Baptismi, ideò rationabile est, quòd respectu ejus Baptismus non habeat efficaciam; quia ipsum formaliter impedivit effectum Baptismi; bene tamen respectu aliorum sex: Tollitur ergo hoc Septimum per virtutem Sacramenti Pœniteotiæ.

7. *Non est investigandus ordo prioritatis inter causalitates Baptismi, & Pœnitentia, quando utrumque Sacramentum causat.*

Nota hic: quòd, quando hæc duo Sacramenta in eodem instanti temporis simul suum operantur effectum, non esse exquirendum ordinem prioritatis naturæ in causando, quod uam scilicèt eorum prius causet; uam sunt causæ morales, & motiva à quibus movetur DEUS simul ad causandam gratiam baptismalem, & pœnitentialem in eodem signo, non solùm temporis, sed etiam naturæ. Ratio hujus ex principijs nostræ Scholæ facilè deducitur; quia gratia secundùm Scotistas non habet vim ex natura sua physica producendi remissionem peccatorum, sed tantùm ex DEI instituto, qui per ejusdem gratiæ infusionem intendere potest, quædam peccata remittere, quatenus ea ab uno Sacramento producitur; & alia, quatenus producitur ab alio.

QVÆSTIO VI.
De Materia remota Baptismi.

1. *Materia remota Baptismi est aqua Elementaris.*

DICO primò: Sola aqua simplex naturalis, elementaris, est legitima Materia remota Baptismi. Ita Definitur in Florentioo: Et Tridentino sess: 7. Can. 2. his verbis; *si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atq; ideo verba illa Domini Nostri JESU Christi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.*

2. *Narrantur hæreses oppositæ.*

Conclusio est contra Manichæos; qui teste S. Aug: *De Hæresibus* c. 45. dicebant; aquam, utì & cæteras res corporeas esse à DEO malo, ac proinde non putabant in ea baptizandum. Item contra Celevsianos, & Jacobitas; quorum primi aquam excludebant, alij loco aquæ imprimebaot frontibus Crucis sigoum ferro candente. Item contra Flagellantes, qui in Sanguine humano baptizabaot. Deniq; cootra Lutherum, qui, ut referunt Scriptores, in Symposiacis colloquijs interrogatus, num deficiente aquâ liceret in lacte, aut cerevisia baptizare? Respondit judicio divino id committendum; deinde addidit, quidquid baloei nomine nuncupari potest, esse aptum ad baptizandum.

3 *Allegatur Scriptura pro Conclusione.*

Probationem Conclusionis nostræ colligunt PP. & DD. ex illo Joan: 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.* Item Act. 7. v. 36. *Ecce aqua, quid prohibet me Baptizari?* Ad Ephes. 5. v. 26. *mundans lavacro aquæ.*

4. *Ratio est Voluntas sic instituentis.* *Datur congruentia à Scoto.*

Nec aliter potest probari conclusio inquit Scotus 4. d. 3. q. 3. nisi ex voluntate Christi instituentis aquam veram, & oaturalem pro Materia Baptismi. Subdit tamen hujus Iostitutionis Coogruentias; quia aqua est frigida, floida, lucida, necessaria & communis; quæ proprietates illi humori conveniunt, in quo debet fieri Baptismus; quia baptismus est institut° ad reprimendum æstus concupiscentiæ, ad flectendum rigorem inobedientiæ, ad illustrandam claritatem Fidei, ad introducendum

cendum

cendum in viam salutis, & est communis omnibus, & omnibus necessarius.

5. Plura liquida excluduntur à ratione materia Baptismi.

Ex his sequuntur sequentia Corollaria. Primum: vinum, sangvinem, lac, oleum, lachrymas, salivam, sudorem, urinam, phlegma, & similia corporis humani excrementa. Item liquorem, & succos herbarum, arborum, florum, granorum, & similium; non esse materiam idoneam hujus Sacramenti. Ratio est; quia non sunt aqua naturalis.

Secundum Corollarium: idem de nive, grandine, glatie, sale marino, nisi priùs dissolvantur, esse dicendum. Ratio est; quia licèt sint aqua elementaris, non tamen usualis; quia non sunt fluida aqua.

Tertium Corollorium: idem de aqua artificiali v.g. rosacea, quæ scilicèt fit per expressionem, vel distillationem alicujus mixti; esse judicandū. Colligitur ex cap. penul. *de Baptismo.* Ratio est; quia talis aqua non est elementaris; sed potiùs subtilior, & melior pars substantiæ mixti.

6. Quævis aqua dummodo elementaris, sufficit.

Quartum Corollarium: per oppositum, aquam elementarem, sive calida sit, sive frigida, pluvialis, fluvialis, lacunalis, fontana, marina, acida, dulcis, vel sulphurea (uti est thermarū) pura, & non mixta, turbida, vel parùm lutosa, esse materiam idoneam Baptismi; quamvis extra necessitatem ob reverentiam Sacramenti istæ impuriores non sint adhibendæ. Ratio est; quia in his omnibus qualitatibus manet aqua secundùm rationem veram aquæ.

7. Ponitur generalis regula pro debita materia Baptismi dignoscenda.

Quintum Corollarium: & sit generalis Regula in hac materia, si aqua elementaris sit ita notabiliter admixta, ut mutetur tota species, vel saltem ut liquor magìs participet de alio corpore mixto, ut fit in phlegmate, saliva, cerevisia crassa, & bene cocta: Itē si sit sic mixta, ut tali mixtione impediatur ablutio, v. g. in spongia, vel pasta; tunc non esse materiā sufficientem.

8. Quid de jusculo, & similibus?

Sed quid sentiendum de quibusdam alijs alterationibus, ut de jusculo tenui, cui parùm succi carnei est admixtum; de aqua farinata, cerevisia tenui, & malè cocta, lixivio &c. Respondeo: in his, si necessitas extrema urgeat, posse baptizari; repetendum tamen esse deinde Baptismum cum conditione.

9. Elevsianis satis fit.

Objicies primò cum Elevsianis, & Jacobitis; Baptismus Joannis, & Christi in hoc distinguebantur, quòd prior in aqua tantùm, posterior in Spiritu Sancto, & igne conferebatur, ut habetur Math: 3. Luc. 3. & Joann. 1. ergo Baptismus Christi nō debet fieri in aqua. Respondeo: Neg: Conf. quia in hoc potiùs differunt, quòd Baptismus Joannis in sola aqua fuerit, Christi autem in aqua, & Spiritu Sancto, ut habetur Joan: 1.; quod autem additur, *in igne*, debet intelligi de gratia Spiritus Sancti, in Baptismo data.

10. Etiam alijs Hæreticis.

Objicies secundò: Aqua, quæ fluxit de latere Christi, & in qua designabatur Baptismus, non fuit naturalis, sed phlegma: ergo aqua naturalis non est de necessitate materia Baptismi. Respondeo: Neg. Ant. quia S. Joannes, qui vidit, non phlegma, sed aquam fluxisse, perhibet.

11. Responsio Innoc: de aqua lateris.

Et si petas, quomodo ex corpore humano mortuo possit fluere aqua naturalis? Respondeo cum Innocentio Papa: id vel miraculosè propter mysterium contigisse: vel certè ex mixtis humoribus mirabiliter fuisse resolutam.

QVÆSTIO VII.

De Materia proxima Baptismi: ubi etiam alia quæsita materiam Baptismi concernentia resolvuntur.

1. Ablutio est proxima materia Baptismi.

DICO primò: Materia proxima Baptismi, est ipsa corporis in aqua ablutio, seu immersio corporis. Est communis omnium Theologorum, & Scoti 4. d. 3. q. 3.

Colligitur ex illo Matth. ultimo; *baptizantes eos &c.* id est, abluentes, & patet ex Forma baptizandi usitata; *Ego te baptizo &c.* Unde Magister Sent: citans verba illa Aug: *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, subjungit; *non utique ipsum elementum fit Sacramentum, sed ablutio facta in elemento.*

2. Scotus respondet cuidam dubio inepto.

Ex quibus sequitur: quòd, ut inquit Scot: cit: *nos nō urgeat illa dubitatio* (scilicet Gandulphi in glossa) *detrahe aquam nè fortè asinus bibat Sacramentum: quæ verè est dubitatio asinina: quia illa ablutio* (quæ est materia Sacramenti) *non durat, nisi in fieri*, id est, dum durat actio Sacramenti.

3. Passiva, & activa requiritur ablut: pro Baptismo.

Cœterùm, licèt Conclusio sit communis: aliqualis tamen controversia est de qua ablutione sit intelligenda; an de activa ex parte Ministri, vel de passiva ex parte suscipientis; & quænam ex illis sit subjectum proximum relationis signi Sacramentalis. Ubi tamen omnes conveniunt, utramq; lotionem requiri; quia ut inquit Scotus, *ablutio hic intelligitur non tantùm sicut aqua dicitur lavare corpus quasi formaliter, sed sicut homo dicitur lavare corpus cum aqua, quasi propriè activè; nam solus contactus corporis ab aqua, quæ est quasi ablutio formalis, non est institutum quasi signum* H *vel pars*

vel pars signi, sed ipsa lotio effectivè facta ab abluente: ubi ad lotinnem, ut sit Sacramentalis, expresè requirit Scotus utrumque, & quòd sit lotin passiva corporis, & quòd eadem sit effectivè ab ablnente.

4. *Mens Scoti circa utramque.*

Ex quibus aliqui colligunt: Scotum posuisse lotionem activam in recto pro fondamento proximo relationis signi Sacramentalis. Sed non rectè; quia Scotus, ut ex Littera ejus patet, solùm intendit lotinnem passivam onn esse proximam Materiam, nisi cum connotatione lotionis activæ. Itaq; secundùm Scotum 4. d. 6. q. 2. Materia proxima hujus Sacramenti est ablutin passiva. Ratio est; quia si Baptismus esset ablutin, quæ est actio, sequeretur, quòd si Minister simul plures baptizaret, esset ibi unicus tantùm Baptismus; quia esset unica tantùm actin; quod est falsum: Et è contra, si dun baptizarent unum hominem, sequeretur plura ibi esse Sacramenta; quia ibi plures interveniunt actiones; quod etiam falsum est; quia homo ille tantùm unum susciperet Baptisma, sicut una tantùm est ablutio passiva: ergn &c.

5. *Tā trina, quàm una immersio potest fieri in Baptisma.*

Quæres: Num trina immersio, vel ablutin, spectet ad essentiam Sacramenti; an verò sufficiat una? Respondeo: posse fieri, & sufficere tam trinam, quàm unam immersionem, juxta consvetudinem Ecclesiarum: & quidem sufficere unam, tradit S. Gregorius in Epistola *ad Leandrum*, & habetur de *Consecrat.* dist: 4.

6. *Etiā aspersio, & imersio corporis in aquam sufficit.*

Quæres secundò: An tam per aspersionem, seu affusionem aquæ in corpus, quā per immersionem corporis in aqua, validè conferatur Baptismus? Respondeo: per utramque ablutionem validè conferri; & utrumq; modum in diversis locis servari, juxta consvetudinem Ecclesiarum. Ratin est; quia utrôq; modô habetur vera ablutin.

7. *An semper requiratur emersionis modus in baptizato.*

Quæres tertiò: Num, ubi immersionis modos in aquam est usitatus, sit de necessitate Sacramenti, ut post immersionem, sequatur emersio; vel etiam valeat Baptismos, si projiciatur, & submergatur infans in puteom cum prolatione verborum. Recent: Svar: Vasq: Laym: & alij tenent, non esse de necessitate emersionem; sed valere Baptismum per projectionem in puteum; quamvis sit projectin illicita, & iniqua.

8. *Scoti responsio probabilior.*

Opposita Sententia Scoti est 4. d. 4. q. 3. & est communis Antiquorū; quem sequuntur Richard: Palud. Aliacen: Sylv: Armilla Ponc: Arret: &c. Ratin Scoti est; quia ablutio Baptismalis ordinatur ad vitam, & non ad mortem per se loquendo; nec verisimile est, Christum pro Materia hujus Sacramenti, Materiam ordinâsse, quæ ex natura sua est illativa mortis corporalis, qualis est illa submersin pueri in puteom. Secundò; talis submersio infantis in puteum secundùm communem loquendi modum non dicitur ablutin, sicut debet esse Baptismus validus; nam in communi loquendi modo id dicitur ablui, & lavari, qood vel non totum immergitur, vel immersum emergit statim; sed in infante projecto in puteum hoc non habetur: ergn &c.

9. *Non debet esse immersio totius corporis.*

Quæres quartò: utrum aspersin aquæ, vel immersio debeat fieri in totn corpore? Respondeo Negativè: & patet ex praxi totius Ecclesiæ; quæ abluit in omnibus solum caput. Et colligitur ex Scriptura; quia quando in die Pentecostes Act: 2. fuerunt baptizata tria millia ab Apostolis, non est verisimile, quòd quoad totum corpus omnes fuerint aspersi, vel immersi.

10. *Aliqui AA. putāt sufficere tactū aquæ etiā in minima parte corporis baptizandi.*

Quænam autem pars Corporis necessariò debeat tangi aquâ, ut dicatur Baptismus validus? variant AA. Vasq. Henriq: Diana, & alij RR. dicunt ad validum Baptisma sufficere, tangere quamcunque, etiam minimam partem. Ratin eorum est; quia sicut homo dicitur tangi, & vulnerari, in quacunque parte tangatur, vel vulneretur; ita etiam dicetur ablotus in quacunq; parte minima.

11. *Scoti opinio circa partes baptizabiles.*

Opposita Sententia est Scoti 4 d. 4. q. 3. docentis; non esse certitudinem, neq; tutum, quòd Baptismus datus in parte minima, vel minùs principali parte corporis, valeat; unde si in ea baptizetur in necessitate infans, nec dum effusus ex utero, postea egressus debet sub conditione rebaptizari. Habetur Extra: *De Baptismo & ejus effectu* cap: *de quibus*: ita etiam D. Thomas Svar: Valentia, Bona; Sylv. Rosella, & alij Summistæ. Ratin est; qoia hoc Sacramentum sicut summè est necessarium, ita cum maxima securitate tradendum est, nè periculo exponatur anima infantis. Minùs autem principales partes exemplificat Scotus, manum, vel pedem: quare si de his dubitârint AA. à fortiori dubitandum erit de digito, auricula, &c.

12. *RR. Paritas nulla.*

Nec ratin alterius Sententiæ RR. urget: quia licèt in qualibet minima parte dicatur vulnerari homo: non tamen dicitur secundùm communem loquendi modum ablui in minima parte.

13. *Baptizatio capillorum non sufficit pro Baptismo vero.*

Ex his sequuntur duo Corollaria. Primum: quòd si soli capilli abluerentur; infantem non esse validè Baptizatum; Ratin est; qoia capilli, nec animantur; nec sunt pars aliqua infantis; sed meræ superfluitates. Secundum: nullum esse Baptismum

tismum hominis, si solæ vestes ipsius aspergantur; sed opus est, ut ipsum corpus aspergatur, juxta S. Aug: hom: 80. *in Joan. Quæ est ista virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat.*

14.
Modica aquæ quantitas est sufficiens ad baptizandum.

Quæres quintò: an sufficiat quæcunq; modica aquæ quantitas, v. g. duæ, vel tres guttæ? Negant aliqui, ut Bonacinna, Granad; Laym:, & alij RR: Ratio eorum est; quia ad Baptismum requiritur contactus successivus, & tanta aquæ quantitas, quâ possit denominari ablutus. Affirmant alij, etiam si sit unica tantùm gutta; dummodò fluat, ac extendatur per alias corporis partes; alioquin si in aliqua parte sisteret, verè non ablueretur, nec baptizaretur. His videtur favere Doctor, dum ait in 4. cit: in die Pentec: fuisse homines circa ter mille baptizatos; quod fieri non potuisset, si cuilibet notabilis pars aquæ in totum corpus debuisset effundi: sufficit ergo præcisè omnes aspergere in facie, vel capite. Ratio etiam est; quia Baptisma est Sacramentum necessitatis: ergo dicendum est, etiam modicam aquæ quantitatem, dummodò sufficiat ad abluendum, sufficere.

QVÆSTIO VIII.
De forma usitata Baptismi.

1.
Assignantur legitimæ forma Baptismi.

NOta hîc; de fide esse, legitimam Formam Baptismi esse illam, quæ habetur Matth: ultimò: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti*; sicut & illam aliam Græcorum; *Baptizetur servus Christi in nomine Patris &c.* Latinis tamen de factò non licèt uti illâ Græcorum; quia fieret cum scandalo, & contra Ecclesiæ Latinæ consvetudinem.

2.
Cur Græci in tertia persona baptizent.

Quare autem Græci utantur illâ aliâ formâ in tertia persona? rationem deducit Doctor 4. d. 3. q. 3. ex eo, quod refert Paulus Corinth: 1. ortum fuisse dissidium inter Christianos; gloriabatur enim unusquisque de Ministro sui Baptismi, unde dicebant; *Ego sum Pauli, ego autem Apollo; ego verò sum Cephæ*; & sic videbantur virtutem Baptismi adscribere Ministro: unde reprehendit eos Apostolus dicens: *Nunquid divisus est Christus?* ad tollendum ergo hoc schisma inter eos, ordinatum fuit, ut Minister non exprimeretur in propria persona; quo scrupulo cessante tolli potuit illa Græca forma; nam Latina est institutioni Christi magis conformis; & significat Baptismum ministerialiter tantùm procedere à Ministro.

3.
Quæ exprimenda in Forma baptismi.

DICO primò: Ad essentiam formæ Baptismalis ex Divina institutione, & seclusâ speciali dispensatione, necessariò proferenda sunt verba; quæ non solùm actionem Ministri, personam item suscipientis; verùm etiam probabiliùs tres Divinas Personas directè exprimunt. Est communis.

4.
Debet exprimi actio Ministri.

Prob: prima pars quoad *actionem Ministri*; quia ita habetur in Conc: Florentino, *in Decreto Eug.* Et est Ratio; quia, cùm Minister humanò modò agere debeat, debet convenienter exprimere aliquid confitens ipsius actionem. Unde secundùm multos est invalidus Baptismus, si dicatur: baptizat te Christus in nomine Patris &c. quamvis alij oppositum sentiant; eò quòd & hic attentis circumstantijs ministerij, Ministri exprimatur actio.

5.
Actio Ministri potest exprimi duobus modis.

Nota tamen; non referre, quantùm ad substantiam Formæ, sive verbis indicativi modi fiat; uti nos Latini facimus dicendo: *Ego te Baptizo*, sive ut Græci, verbis Imperativi modi: *Baptizetur servus Christi*; sive etiam deprecaturijs: dummodò verè actionem ministri designent. Similiter Nota: non esse opus, ut exprimatur ly *Ego*, vel *Nos*, vel *A me*, vel *A nobis*.

6.
Persona baptizati debet exprimi necessariò.

Quòd etiam *persona baptizati* per pronomen aliquod secundæ, vel tertiæ personæ, singularis, vel pluralis numeri (quod non refert ad substantiam Formæ) sit exprimenda, docent omnes. Ratio petitur ex usu universalis Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ: & colligitur ex illo Matth: ult: *Baptizantes eos.* Tandem verba Formæ debent designare eum, super quem cadit actio Ministri: unde non valet ista forma, *Ego baptizo in Nomine Patris &c.*

7.
Tres Personæ Trinitatis debent exprimi.

Prob. secunda pars; quòd *tres Personæ debeant exprimi*: quia ita patet ex institutione Christi, quæ legitur Matth: ultimò: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.* Item ex Jure Can: cap: *si revera*, de *Consecrat:* dist: 4.

8.
Scoti Congruentia pro expressione trium Personarum.

Congruentiam Scotus addit; quia decuit; ut in Forma, quâ datur Sacramentum primum, & initiativum fidei, exprimeretur causa principalis gratiæ, & effectiva Baptismi, primùmque ac præcipuum fidei mysterium, quod est DEUS Unus, & Trinus; talis autem est forma in qua fit expressio trium Personarum; ergo &c. Deinde sicut inquit Doctor, Judæis datum est aliquod signum, signans Essentiam Divinam sub propria ratione, quod ipsi vocabant DEI *Tetragrammaton*; ita Christus dedit Ecclesiæ nomina significantia Personas sub proprijs conceptibus.

QVÆSTIO IX.

Quid sentiendum de Baptismo collato in Nomine Christi tantùm?

1. *Erat licitº Baptismus olim in nomine Christi collatus.*

DICO primò: temporibus Apostolorū licitè, & validè administrabatur Baptismº, soliº Christi nomine expressū: an verò nunc idē licitè, & validè fieret, nō determino. Prima pars est expressè sententia S. Ambrosij, Bedæ, Bellar: Hugonis, &c. Ex quibº censent Ambros: & Mag: Baptismum non solùm in nomine Christi collatum; verùm etiam in nomine solius Patris, aut solius Spiritûs Sancti validum esse: quidquid sit de hoc.

2. *Scriptura adducuntur pro Baptismo in nomine Christi.*

Probatur primò ex Scriptura Act. 2. v. 38. dicitur: *Baptizetur unusquisq; vestrûm in nomine JESU, in remissionem peccatorum.* Et Act: 8. v. 16. *sed baptizati tantùm erant in nomine Domini JESU.* Item Act. 10. v. 48. *Jussit eos baptizari in nomine Domini JESU.* ergo &c.

3. *Bellarminus rejicitur hic.*

Nec satisfaciunt Bellarm: & alij, dicendo: quòd Apostoli dum dicuntur baptizâsse in nomine Christi, vel in fide, & authoritate Domini JESU; vel baptismo instituto ab ipso; vel denique in nomine Christi, sed non solius, aut cum exclusione Patris, aut Spiritûs Sancti, baptizarint; sed fortè sic: ego te baptizo in nomine Patris, & Filij ejus JESU Christi, & Spiritus Sancti; ad recommendandum magis Nomen JESU, quod tunc temporis erat odiosum multis. Non, inquam, satisfaciunt; quia si sic liceret verba tam clara extorquere; possem & ego similiter eludere verba illa Matth: ultimo: *Baptizantes eos in Nomine Patris, &c.* id est in fide, vel authoritate Trinitatis; aut in Baptismo, cujus causa principalis est Trinitas; vel deniq; in alio nomine explicitè, vel implicitè tres Personas significante; quô etiam modò hoc nomen Christus significat implicitè Patrem ungentem, Filium unctum, & Spiritum Sanctum, quô ungitur.

4. *Patres approbant Baptismū in nomine Christi collatum.*

Accedit authoritas DD. qui loca allegata interpretantur ut jacent: unde ex eis Prob: secundò conclusio, ex Hilario lib. *de Synodis* dicente: *ne postremò Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti jussi, tantùm in JESU nomine baptizaverunt.* Ambros lib. 1. *de Spiritu Sancto*, c: 8. *ex his apertè intellexisti, in nomine Christi verum Baptismum tradi.* Simile habet Beda in cap. 10. Ac S. Bern: Epist: 340, Hugo Victorinus lib: 2. *de Sacramentis.*

5. *Testimonium Juris Canonici pro Baptismo in nomine Christi collato.*

Prob: tertiò: ex Nicolao I. Papa, qui ad consulta Bulgarorum respondit, & habetur, *de Consecrat:* dist: 4. can: *à quodam Judeo*, his verbis: *A quodam, inquit, Judeo, nescitis utrùm Christiano, vel Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de eis sit agendum, consulitis; hi profectò si in nomine Sanctissimæ Trinitatis, vel tantùm in Christi nomine, sicut in actis Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemq; sunt, ut exponit Ambrosius) constat eos non esse denuò baptizandos.* Et in eadem fuisse sententia Stephanum Papam tradit Cypri: in Epist. *ad Julianum*: ergo &c.

6. *Relinquitur indecisum, num defacto valeat Baptismus nomine Christi collatus.*

An autem defacto idem validè fieret; dixi: *me non velle determinare*: tum quia non constat, quando sit revocata dispensatio semel facta Apostolis, pro Nominis JESU promulgatione, exaltatione, & propagatione fidei JESU. Tum quia graves DD: secuti S. Ambrosium putant, factum illud Apostoli non tam in speciali dispensatione fundatum esse; quàm in ipsa Christi institutione; existimant enim baptizandi formam sub nomine Christi in re, vel quoad valorem æquivalere Formæ, in qua exprimuntur tres simul Personæ. Et ideo donec Ecclesia rem determinaverit, neq; nos determinare debemus. Propter tamen dubium ex diversitate opinionum, censet Scotus rebaptizandum esse sub conditione eum, qui in solo Christi nomine nunc baptizaretur.

7. *Bellarmino respondetur.*

Objicies cum Bellarm: Act: 19. v. 3. cum quidam Paulo dixissent; *neque si Spiritus Sanctus est, audivimus; in quo ergo*, interrogat, *baptizati estis?* insinuans in forma Baptismi tunc solitum esse, exprimi Spiritum Sanctum; adeòq; etiam Patrem, & Filium; cùm nunquàm legatur Baptismus traditus nomine solius Spiritûs Sancti: ergo &c. Respondeo: ex illa Pauli interrogatione solùm colligi, Baptismum Christi nunquam solitum dari, nisi vel exprimendo in ipsa Forma tres Personas: vel certè in prævia instructione ad Baptismi collationem fieri solita; quod sufficiebat, ut Paulus meritò interrogaret, in quonam baptizati essent illi, qui nunquam de Spiritu Sancto audierant. Adde statim ibidem subjungi de ijsdem, *his auditis Baptizati sunt in nomine Domini JESU.*

8. *Quidam alij Canones contrarij objiciuntur, & solvuntur.*

Objicies secundo: inter Canones Apost: canon 48. sic habet; *si quis Episcopus, vel Presbyter ex Domini ordinatione non baptizaverit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; vel in trium principij expertium, vel trium Filiorum; vel trium Paracletorum; deponatur.* Et canon 49. *Si quis Episcopus, vel Presbyter non tria unius mysterij Baptismata,*

mata perfecerit, sed unum Baptisma, quod datur in mortem Domini; depenatur: non enim dixit in mortem meâ baptizate; sed ambulantes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Deinde non est verisimile, quòd ipsi Apostoli usi fuerint aliâ formâ ab ea, quàm ipsi alijs tam strictè præscripserant: ergo &c.

Respondeo: istos Canones solùm contra Hæreticos illius temporis latos esse, qui nec alterâ formâ ritè utebantur, ut patet ex verbis ultimis primi citati Canonis; & ex illis alterius Canonis, *sed unum Baptisma, quod datur in mortem Christi*; quibus non solùm excludiitur ab eis Trinitas Personarum; verùm etiam Divinitas Christi, quasi jam esset mortuus; & ideo nec juxta instructionem Christi, nec juxta dispensationem à DEO factam, ritè baptizabant; quia secundùm neutram licuit positivè excludere unam Personam Divinam, prout isti faciebant. Quod ergo in fine posterioris Canonis ponitur; solùm significat, formam illam à Christo institutam esse ordinariam; adeoq; nisi ex speciali dispensatione; vel saltem non exclusis alijs Personis, nemo validè potuit in nomine Christi baptizare.

9. *Duo Pontifices objiciuntur contra Baptismum in nomine Christi collatum.* Objicies tertiò: Pelagius Papa in Epist: *ad Gaudentium*, (quæ tamen non extat in Tomo Concil: aut Epistolarum; sed solùm refertur à Gratiano cap: *si vera*) scribit eos, qui in nomine solùm Christi, unâ etiam mersione, asseruntur baptizati esse, sine cujusquã dubitationis ambiguo denuò baptizandos, in nomine Sanctissimæ Trinitatis. Idem habet Zacharias Papa Epist: 11. quæ est ad *Bonifacium Cantuariensem*: ergo &c.

10. *Quibus D. D. aliqui bene respondent.* Respondet ad hæc Canus, & plures alij; dictos Pontifices in illis suis Decretis, suas sententias, tanquàm privatas personas pronunciàsse, velut magis in praxi tutas, sicut revera sunt; nõ verò pro dogmate fidei ab omnibus eredendas.

11. *Vasquez sine ratione censurat non nullos Doctores; unde rejicitur.* Hæc solutio, quàmvis optima, valdè displicet Vasquez, eamq; notat erroris, ac temeritatis, omninò contendens, sententiã Pontificũ esse fidei dogma: quia, inquit, quoties Pontifices in rebus fidei, vel morum respondent ad interrogata, etiam privatarum Ecclesiarum, censentur pro Universa Ecclesiæ sententiam proferre. Sed vix dignum Theologo hoc est judicium: nam si ita est; ergo perniciosè erravit Nicolaus Papa, præfatorum Pontificum successor, oppositam sententiã clarissimè docens, ut admittit ipse Vasq: imò etiam definiens; si vera sunt, quæ Vasq: dicit. Ad hæc Respondet Vasq: Nicolaum ibi tanquàm privatum Doctorem suam sententiam protulisse; & hoc ipsum, quia ignorabat suorum Antecessorum Decreta.

12. *Duo inconvenientia committit Vasq. in sua Responsione.* Contra: hâc responsione duo inconvenientia committit Vasq: unum; quòd dicat Nicolaum Papam loqui tanquàm Doctorem privatum, cujus contrarium docuit supra de Zacharia Papa, dicens: quòd dicta Pontificum nequaquam sint dogmata privata. Alterum est; quòd dicat Pontifices (qui in scrinio pectoris sui habent omnes Leges, & Decreta Antecessorum suorum Decreta ignorare, in re tanti momenti. Sed etsi Nicolaus Decreta Pelagij ignoraret; nunquid etiam Pelagius ignoravit Stephanum suum Antecessorem docuisse, Baptismum in nomine solius Christi datum, esse validum? His accedit; si Pelagius sententiam fidei ibi tradidit; sequitur etiam de fide esse, quod trina immersio sit adhibenda: siquidem eodem verborum tenore de trina mersione, ac de invocatione Trinitatis loquitur: sed sequela est falsa: ergo &c.

13. *Cur duo Pontifices decreverint, rebaptizandos baptizatos in Christi nomine.* Deniq; quare non possemus explicare Decreta dictorum Pontificum dicendo, ea procedere contra Hæreticos suorum temporum, qui fortassis in forma ab ipsis adhibita, addebant aliqua verba, quæ pugnabant contra veram fidem Trinitatis; sicut faciebant Eunomiani; negantes consubstantialitatem Spiritûs Sancti, & tantùm in Domini morte baptizantes. Similiter Cataphryges, & Paulinianiste, qui, quia ob similem errorem, nullâ verâ formâ utebantur, jussi sunt in Concilio Niceno rebaptizari. Item quidam Arriani, propter errorem de consubstantialitate Filij, & Spiritûs Sancti, baptizabant sub tali formâ: baptizo te in nomine Patris per Filium, in Spiritu Sancto; ac proinde in Conc: I. Arelatensi jubetur interrogari Arrianus ad Ecclesiam redeuntes, sub qua forma verborum fuerint à suis baptizati: poterat ergo consimilis casus Pelagio, & Zachariæ contigisse, ob quem meritò decrevissent, Baptisma collatum esse simpliciter invalidum: quod certè sanius est de ipsis sentire, quàm præcipitando sententiam asserere; eos simpliciter definijsse rem in omni casu, contra tot aliorum Pontificum expressam sententiam.

QVÆSTIO X.

Ponuntur Regulæ generales pro solvendis dubijs occurentibus circa formam Baptismi.

PRo solutione casuum, circa administrationem Baptismi occurrentium, pono ex Scoto sequentes Regulas. Prima continetur hoc versu:

Nil formæ demas, nil ponas, nil variabis;
Transmutare cave, corrūpere verba, morari.

1. *Mutatio substantialis in forma irritat Sacramentum.*

Itaq; omnis mutatio formæ Baptismi, si fit juxta modos recensitos *substantialis*, reddit Sacramentum irritum; secùs si fit tantùm *accidentalis*; Ita Theologi omnes. Et patet ex praxi Ecclesiæ. Ratio etiam est; quia in cæteris rebus mutatio substantialis, & non accidentalis, destruit ipsam rem: ergo & hìc.

2. *Est mutatio substantialis quādo sensus legitimus corrumpitur.*

Contingit autem primò mutatio *substantialis*: quando tanta ponitur verborum diversitas, ut forma, juxta communem usum, & æstimationem hominum, fit alterius nominis, & rationis ab illa forma, quam Christus præscripsit; seu quando corrumpitur per *additionem*, vel *omissionem* verborum, verus, & legitimus sensus formæ, qui est anima verborum: sic non validè baptizaret, qui diceret; *Ego te baptizo in nomine Patris increati, & Filij creati, & Spiritûs Sancti*; ratio est; quia illa additio *Filij creati* tollit veræ, & increatæ Trinitatis invocationem, quæ est de substantia formæ Baptismi. Similiter invalidè baptizat, dicens; *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, & Beatæ Virginis*; si intendat Baptismum dare æquè authoritate Beatæ Virginis, ac Sanctissimæ Trinitatis. Si autem ly *Beatæ Virginis* addatur solius devotionis, vel intercessionis gratiâ, est validus; cum fit mutatio tantùm accidentalis. Similiter etiam invalidè baptizat dicendo; *Ego te in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti*; quia ly *Baptizo* omissum, falsum significat, & immutat substantialem formæ sensum.

3. *Item quando invocatio Trinitatis non adest.*

Censetur secundò mutatio *substantialis*, invalidans formā usitatam Baptismi fieri: per *variationem* verborum, non significantium explicitè invocationem trium Personarum; v.g. si dicatur, *Baptizo te in nomine Domini*; vel *in nomine Christi*; *in nomine DEI unius, & Trini*; vel *in nomine Trinitatis*; *aut in nomine Prima, Secunda, & Tertia Persona*; *aut in nomine Ingeniti, Geniti, & Doni*: Ratio est; quia hæc, & similia verba non exprimunt sufficienter mysterium Trinitatis, secundùm proprietates Personales; neq; emanationē uni⁹ Personæ ab altera. De his tamen formis est dubiū.

4. *Diversa resolutiōes circa formā Baptismi.*

Probabiliter tamen secundùm aliquos valeret Baptismus: si dicatur; *Baptizo te in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati*: in praxi tamen est abstineodum ab hac forma. Ratio est; quia his nominibus sufficienter exprimi videtur Trinitas, secundùm proprietates Personales, & originationis unius ab alia Persona. Valet etiā si quis ex ignorantia invincibili linguæ Latinæ verteret formam dicendo; *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spirita Sancta*; habetur expressè *de Consecrat*: d. 4. Valet item si in lingua Latina omittatur ly *Ego*; Item si omittatur ly *In*; uti ostendit Coniok, & cæteri apud ipsum: licèt quoad ly *In* omissum contrarium sentiat Angelus Sylvester, & Præpositus; quia datur intelligi, quòd Minister baptizet vice Patris, & Filij, quod non est verum. Si omittatur copula *Et*, non vitiat probabiliter formam veram Baptismi: Ratio est; quia consvetum est Latinis, ut dum pluribus idem tribuitur, copula *Et* subintellecta, id faciat solo commate mediante. Ly *Amen*, etiam finè veniali peccato potest omitti, cùm in Ritnali Romano non addatur.

5. *Transpositio nimia facit mutationem substantialem in forma.*

Contingit tertiò mutatio substantialis per *transpositionem* verborum tantam, ut ex communi hominum æstimatione, non maneat idem sensus; v.g. si dicat: *Te Patris ego baptizo in nomine Filij, & Spiritûs Sancti*. Esset tamen mutatio accidentalis, si ita transponantur verba; *Te ego baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti*.

6. *Etiam interpositio notabilis.*

Contingit quartò substantialis mutatio; per *interpositionem*, seu moram talem, ut moraliter non censeatur coalescere in unam orationem; v.g. si uno verbo formæ prolato, post *Miserere* integrum subjungatur alterum; vel si inter verba formæ tam multa misceantur extranea, ut moraliter loquendo, ex tot disjunctis non coalescat unum membrum orationis.

7. *Pariter corruptio depravans sensum debitum.*

Contingit quintò mutatio substantialis; per *corruptionem*, si verba ita corrumpantur, ut ne quidem in materia, & circumstantijs, in quibus proferuntur, reddant debitum sensum, apud audientes; quod maximè fit, quando corruptio fit in principio dictionis; ut si dicat; *Ego Baptizo in nomine matris*; loco Patris: secùs si in fine.

Quod hactenus dixi de mutatione substantiali formæ Sacramenti Baptismi; pari ratione dicendum est de mutatione formæ cujuscunque alterius Sacramenti.

Muta-

8\. *Accidentalis mutatio formæ per additionem non invalidat Sacramentum Baptismi.*

Mutatio è contra *Accidentalis*, quæ non invalidat Sacramentum, contingit primò; si verba quæ adduntur, vel omittuntur, non falsificant, neque sensum legitimum mutant, v. g. si addatur sic: *Baptizo te in nomine Patris omnipotentis, & Filij JESU Christi, & Spiritûs Sancti*: imò etsi intentio fiat inducendi novum ritum; modò adsit intentio faciendi, quod Christus instituit, aut vera Ecclesia facit.

9\. *Nec si accipiantur Synonyma in forma.*

Secundò: contingit mutatio tantùm *accidentalis*; si locò verbi consveti ponatur Synonymum v. g. *abluo* locò *Baptizo*; aut verbum activum mutetur in passivum, prout Græci dicunt; *Baptizetur servus Christi*. Debent tamen Synonyma æquè distinctè idem significare; ideoq; non valet Baptismus collatus in nomine Trinitatis, ut dixi, sine expressione singularum Personarum.

10\. *Nec si fiat trãspositio modica, vel interpolatio exigua.*

Tertiò: si transpositio verborum relinquat eundem sensum, v. g. si dicatur: *in nomine Filij, & Spiritûs Sancti, & Patris te baptizo*.

Quartò: si partes formæ notabiliter non interponantur; aut verba interjecta ex communi apprehensione non tollant sensum consvetum, & veritatem debitam propositionis, v. g. si quis inciperet orationem, & per modum parenthesis diceret; *taceto, vel recedito*, ut rectè notat Scotus hic d. 3. q. 2. num: 11.

11\. *Vel idiomatis diversitas.*

Quintò est variatio tantùm *accidentalis*; si mutetur idioma. Ratio est; quia in forma linguæ Latinæ miscetur verbum Græcum *Baptizo*; & tamen est Baptismus validus. Item, si ex scrupulositate, balbotie, aut imperitia verba corruptè proferantur; ut dixi supra de illa forma: *Ego te baptizo in nomine Patria* &c. modò juxta communem apprehensionem adhuc generent in audientibus eundem sensum; Ratio est, quia, ut loquit Scotus, *non voluit DEUS omnino determinare hominem ad verba in Sacramentis ultra illum modum, quò verba sufficiunt ad exprimendum illum conceptum*; qui non obstante barbarismo, seu vitio Latinitatis, sufficienter exprimitur; quamvis ab his maximè sit cavendum, in verbis Sacramentalibus ob reverentiam Sacramenti.

12\. *Qualesit peccatum, mutare formã, vel applicare materiam dubiam.*

Nota: mutationē substantialem formæ cujuscunque Sacramenti esse grave semper peccatum, nisi excuset indeliberatio. Accidentalis autem aliquando est mortale, aliquando veniale. Præterea ille qui applicat materiam, vel formam dubiam, peccat mortaliter; quia sinè ratione exponitur Sacramentũ periculo invaliditatis, & proximus carendi fructo Sacramenti.

13\. *In conficiendis Sacramentis tutior opinio eligenda.*

Secunda Regula generalis in hac materia est; In omnibus dubijs circa materiam, & formam cujuscunque Sacramenti via tutissima, quantùm fieri potest, eligenda est, vel saltē, quæ viæ tutissimæ proxima est. Hinc quia aliqui Theologi formam illam, *In Nomine Genitoris, Geniti, & Spirati*, æquivalere putant formæ ordinariæ, & alij hoc negant probabiliter cum Scoto, eò quòd ly *Geniti, Genitoris, &c.* sint nomina solas proprietates notionales, non verò Personales exprimentia, ideò illa prior forma nunquam adhibenda est; cùm sit minùs tuta.

14\. *Quando conditionatè repetendꝰ Baptismus.*

Tertia Regula generalis; cessante impossibilitate cautè supplendum est, quod impossibilitas prohibebat; adeóque si dubitetur de valore baptismi, debet sub conditione repeti, dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti*.

15\. *Sanctꝰ potest baptizari.*

Quæres: An baptizari possit Sanctus, non habens, neque actuale, neque originale peccatum? Respondeo affirmativè. Probatur: ad salvandam veritatem practicam formæ Baptismi non requiritur, nisi materia cum applicatione debita formæ, intentione ministri, & aliquali consensu baptizandi, & deinque, quòd aliquem effectum in eo sortiatur: sed hæc omnia possunt haberi circa Sanctum, etiam B. Virginem: ergo, &c. Min: patet; quia in D. Virgine pro effectu sacramentali correspondet character, in alio autem sancto augmentum gratiæ; pro materia potest correspondere aqua, cum applicatione debitæ formæ, intentione Ministri, & consensu baptizandi: ergo, &c.

16\. *Conc: Constant. exponitur.*

DICES: Conc: Constantinop: in symbolo suo dicit: *Confiteor unum Baptisma in remissionem, &c.* ergo ubi nullum est, aut fuit peccatum, v. g. in B. Virgine, non verificatur practicè forma Baptismi. Respondeo: Concilium solùm velle, quòd communiter Baptisma sit ordinatum in remissionem peccatorum; quia communiter applicatur tantùm peccatoribus. Vel volt dicere; quòd Baptisma, quantùm est de se, sit institutum, ut tollat peccata; si adsint; vel aliquando adfuerunt; cæterùm, si inveniat subjectum sine peccato, non producit tunc hunc effectum, sed alium, id est, vel augmentum gratiæ, vel characterem.

17\. *Disparitas inter Pœnitentiam, & Baptismũ quoad formas*

DICES: Forma Pœnitentiæ non sortitur practicè suam veritatem, neque potest applicari justificatis, & Sanctis: Ergo à pari nec Bap. Respondeo Negan: Conse. quentiã: disparitas latissima est; quia ex vi formæ, Sacramentũ Pœnitentiæ dicit expressum ordinem semper ad peccatum præte-

applicatas justis. præteritum, ut patet ex illis verbis, *Absolvo te*: nam includit rationem judicij, in quo adesse debent accusator, reus, judex, testes, & objectum, circa quod fit accusatio, id est, peccata aliqua: Baptismus autem ex sua ratione non importat aliud, quàm nitorem, & munditiem rei lotæ; sive id fiat per amotionem sordium inexistentium; sive per additionem pulchritudinis, quæ antea non inerat, quorū quodlibet causat Baptisma in subjecto proportionato; quod sufficit ad veritatem practicam Sacramenti.

QUÆSTIO XI.

De Dispositionibus adultorum recipientium Baptisma.

1. Solus viator in Adam natus potest baptizari. Suppono tanquam certum apud omnes; omnem, & solum hominem viatorem, natum in Adamo, & seminaliter propagatum, nondum baptizatum, ordinariè esse capacem Baptismi. Et desumitur ex cap. ult: Matth: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Et Mat: ultimo: *Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* Solùm ergo hîc inquirendum restat, de conditionibus baptizandorum adultorum.

2. Quid Positivè, & Negativè dissensus. Nota autem primò: per adultum hîc intelligi; hominem ratione utentem; vel aliquando usum; qui dupliciter potest intelligi non consentire in Baptismum; *Positivè*, & *Negativè*. *Negativè*; quando actu nunquam consentit, esto nec positivè unquam dissenserit. *Positivè*; quando actu non vult suscipere Baptismum: quod adhuc dupliciter potest contingere. Primò, absolutè dicendo: *nolo baptizari*; secundò conditionatè solùm; ut si quis ob metum mortis verè consentiret in Baptismum, eâ tamen conditione tacitâ, vel expressâ, quòd si aliter posset salvare vitam, non vellet baptizari. Jam

3. Positivè dissentiens nequit baptizari. DICO primò: Adultus positivè, & absolutè dissentiens, non potest validè baptizari. Ita Scotus 4. d. 4. q. 4. Et est communis Theologorum; contra Glossam de *Consecrat.* dist: 4: dicentem: sufficere intentionem Ministri, quidquid intendat suscipiens; & contra Cajet: 3. parte q. 68. art: 7. docentem: ex parte suscipientis sufficere, quòd nunquam in eo præcesserit, consensus positivus contrarius.

4. Scoti ratio pro hoc dicto. Probat: Scotus Conclusionem; DEUS nullum adultum invitum; vel aliquô modô non volentem vult adscribere suæ familiæ: quia Proverb. 23. v. 26. primum quòd à nobis exigit, est cor; *præbe fili mi cor tuum mihi*: cujus est ulterior ratio; quia propterea DEUS, os homini sublime dedit, cœlūq; tueri; ut non quasi bos mutus ad stabulum, sed ut agens rationale per suam cooperationem, & consensum duceretur ad beatitudinem; qui autem sinè ullo consensu baptizaretur, veluti jumentum traheretur: ergo &c.

5. Secundùm quid dissentiens validè baptizatur. DICO secundò: simpliciter consentiens quàmvis secundùm quid, & conditionaliter dissentiens, validè baptizatur; modò intendat verè suscipere Baptismū eô modô, quô Ecclesia intendit dare. Ita Scotus, & communis, DD.

6. Conc: Tolet. authoritas, et ratio pro Conclusione. Colligitur ex quodam Concilio Tolet: allegato in cap: *Majores*, ubi sic habetur; *illi, qui jam pridem ad Christianitatem coacti sunt, quia jam constat Divinis Sacramentis associatos, oportet quod fidem, quam necessitate susceperant, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur.* Et ibidem dicitur *quod qui terroribus, & suppliciis violenter attrahitur, ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum.* Ratio etiam est; quia talis simpliciter in tali casu consentit, non minùs, quàm qui in naufragio projicit merces, simpliciter voluntariè projicit, esto secundùm quid involuntariè, & cum expressa voluntate, quod non vellet projicere, si aliter se salvare posset: sed ad validam susceptionem Baptismi, sufficit consensus simpliciter: ergo &c.

7. Virtualiter dissentiens validè baptizatur. DICO tertiò: non consentiens solùm negativè, si tamen virtualiter, vel habitualiter consentiat verum Baptismum suscipit, v. g: adultus, qui non consentit actualiter, nec dissentit actualiter, quia est distractus à consideratione Baptismi, consensit tamen virtualiter, dum veniret ad Ecclesiam eo fine; ut baptizetur; aut saltem habitualiter, quia scilicèt priùs habuit voluntatem Baptismū suscipiendi, & post talem consensum non habuit dissensum contrarium: verum suscipit Sacramentum. Primum probat Doctor sic: quia DEUS neminem obligat ad impossibile, vel nimis difficile, quale est, non distrahi actualiter in suscipiendo Baptismum; ergo sufficit consensus virtualis. Secundum etiam ostendit; quia talis consensus habitualis sufficit homini, qui, postquam habuit assensum, cadit in amentiam; ut docet Innocentius 3. cap. *Majores de Baptismo*: ergo etiam sufficit utenti ratione.

8. Merè negativè se habens ad Baptismū, non baptizatur. DICO quartò: Adultus ratione utens, qui merè negativè se haberet ad Baptismum, omnino non consentiens unquam, neq; dissentiens, non reciperet Baptismum. Ita Scotus hîc, & alij.

Probatur primò ex praxi Ecclesiæ; quæ nullum

nullum baptizat adultũ, rationis compotem, nisi priùs interroget: an velit suscipere Baptisma: ergo &c. Deinde: Matth. ultimo exigitur à baptizandis Fides, ut dicetur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit &c.* quæ sinè consensu in mysterium Baptismi haberi non potest: ergo &c. Tandem: receptio Baptismi est opus voluntarium, & liberum, & meritorium: ergo ad eã debet aliqualis cooperatio voluntatis, seu consensus accedere. Hoc quantùm ad primam dispositionem necessariam in adulto, ratione utente, ut validè suscipiat Baptismum, scilicet *consensum.*

9. *Fides est dispositio necessaria, ad baptizari debitè.* Secunda Dispositio in adulto baptizando necessaria est *Fides.* Colligitur ex illo Matth. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Debet autem hæc Fides esse actualis explicita, de præcipuis Fidei mysterijs, quorum capaces sunt Catechumeni, ad minimum autem de Trinitate, Incarnatione, vita æterna, & alijs, de quibus in materia de Fide ago, ostendendo quæ nam mysteria sint necessaria necessitate medij in credentibus.

10. *Etiam voluntas servandi Fidem Christi requiritur in adulto baptizando.* Tertiò: si contingat adultum ad Baptisma accedere sine mortali, non est quidem necessaria Pœnitentia; cùm non habeat ejus materiam; sed tamen præter consensum commonem in Baptisma; & Fidem ante dictam, requiritur *voluntas profitendi,* & propositum servandi legem Christi. Ratio est; quia in tali baptizando requiritur aliqua conversio ad DEUM nova; quæ haberi nequit sinè volontate, & proposito novo de observanda ejus lege: ergo &c.

11. *Etiã Pœnitentia requiritur in adultis.* Quartò: in adultis accedentibus cum mortali actuali, necessaria est *Pœnitentia,* ac displicentia peccatorum commissorum. Colligitur ex illo Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrum.* Definitum etiam est in Concilio Carthaginensi 4. cap: 85. Et Tridentino sess: 6. c. 6, *de Justificatione.* Debet autem hæc Pœnitentia esse positiva; neq; sufficit negativa. Ratio est primò: quia Tridentinum citatum requirit, & exemplificat plures actus positivos, necessarios ad Pœnitentiam, disponentem ad justificationem, nempè *odium peccati, animi pium dolorem* &c. Sufficit tamen ut hæc Pœnitentia sit solùm attritio, ut ostendit Scotus 4. d. 4. q. 5. Ratio est; quia Baptismus est institutus à Christo, ut per eum remittantur originale, & actualia peccata, si adsint; unde dicitur *primum Sacramentum mortuorum*: ergo habet ex vi institutionis, quòd conferat primã gratiã justificationis: sed hanc nõ conferret, si esset necessaria semper contritio, quia sola contritio sinè Sacramento est collativa primæ gratiæ justificationis: ergo sufficit etiã attritio pro Pœnitentia, disponente ad justificationem. Ratio est secundò; quia juxta Trid: cit: cap: 4. ad justificationem acquirendam per Sacramentum Pœnitentiæ sufficit attritio: ergo multò magis sufficit in Baptismo.

12. *Scotus male intellectus à nonnullis, elucidatur.* Nota autem: Pœnitentiam hìc necessariam, debere esse actum supernaturalem, ex viribus gratiæ, & motivo aliquo supernaturali elicitum. Ratio petitur ex principio generali, in materia de Gratia, & Justificatione tradi solita, contra Semipelag: errorem. Colligitur etiam ex Tridentino cit: Can: 3. dicente: *si quis dixerit sinè inspiratione, & adjutorio Spiritûs S. pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur anathema sit.* Neq; hanc Orthodoxam veritatem unquam negavit Scotus; ut ei quàm plures, parum in ejus lectura versati, imponunt; nam quando 4. d. 14. q. 2. dicit; *Hominem ex naturalibus posse habere attritionem, cum communi influentia*; ly *ex naturalibus* non intelligit, de naturalibus intrinsecis, id est naturæ viribus sibi relictis; sed de naturalibus extrinsecè motis, & adjutis à DEO supernaturaliter; talia enim auxilia gratiæ indicare voluit, cùm dixit: *Ex naturalibus cum communi influentia*, hoc est cum auxilio generali; quò vocantur omnes homines sufficienter; unde nomine *influentiæ generalis* non intelligit concursum generalem ordinis naturæ, omnibus causis secundis communem; sed influentiam generalem ordinis gratiæ auxiliorum sufficientium; quæ sunt omnibus communia: ita phrasim hanc Scoti exponunt, Faber, Vulpes, Mastrius, Centinus, Vega. &c.

QVÆSTIO XII.

De Baptismo parvulorum expositorum, & monstrorum.

1. *Anabaptistarũ error.* NOta primò: Errorem Anabaptistarum (quorum origo fuit circa Annum Domini 1527.) docentium, non licere quemquam baptizari, nisi in ea ætate, quâ per se possit petere Baptisma, & intelligere, quid ipsi conferatur, & per se respondere: contra hos

2. *Diversa CC. docent parvulos posse baptizari.* DICO primò: Parvuli ante usum rationis sunt baptizandi. Est Catholica communis veritas. Et

Probatur primò: ex diversis Definitionibus Conciliorũ; maximè Braccarensis Can: 1. Milevitani 2. Can: 2. quod citatur in Clementina prima *De Sum. Triu.* & *Fide*

K

Fide Catholica. Tridentini sess:7. Can. 12. dogmatizantis; *si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi in ea ætate, quâ Christus baptizatus est, Anathema sit.*

3. *PP. & Praxis Ecclesiæ stant pro parvulis Baptizandis.*

Probatur secundò ex perpetua Ecclesiæ praxi; & SS. PP. sic S. Aug: lib: 10. super Genesim c. 23. ait: *Consvetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis, nequaquam spernenda est, nec ullò modò superflua putanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset.* Idem habet Orig: lib: 5. *in cap. 6. ad Rom.* D. Bern. & alij: ergo &c. Colligunt autem Sancti Patres, & Doctores hanc necessitatem ex illo Evangelij; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poterit introire in regnum DEI.*

4. *Circa temp⁹ determinatum baptizandi parvulos, duo responsa dantur.*

Quæres primò quò determinatò tempore obliget præceptum baptizandi parvulos? Respondeo per sequentia. Primò: Parentes obligantur ad baptizandos parvulos, etiā in primo nativitatis instanti, si periculum mortis ipsorum adsit. Ratio petitur ex lege charitatis, & pietatis parentum erga proles. Secundò: si nullum subsit periculum mortis parvulorum, dico, nullum extare præceptum positivum Divinum, de baptizando statim post nativitatem infante: quia nec Scriptura ulla, nec Traditio Divina hoc exprimit; solo ergo Jure Ecclesiastico, fundato in consvetudine recepta Ecclesiæ, à tempore Apostolorum deductâ, & constitutâ, infantes ante usum rationis sunt baptizandi. Quò verò die post ortum, relinquitur prudentum judicio.

5. *Adulti statim tenentur ad Baptisma, dū usum rationis attingunt.*

Sed quid de adultis sentiendum? Respondeo: eos teneri ad Baptismum, quàm primùm ad usum rationis venerint; si eis innotescat Baptismi necessitas, ac utilitas, & adsit occasio recipiendi Baptismum. Ratio est; qui si tales adulti tunc statim non teneantur ad suscipiendum Baptismū, nullum exinde aliud tempus poterit pro ipsis assignari, usq; ad finem vitæ, quò tenerentur: sed hoc est inconveniens: ergo &c. Poterunt nihilominùs hujusmodi adulti, propter rationabilem causam, aliquamdiu differre Baptismum: exempli gratiâ, ob majus bonum ipsius baptizandi; aut etiam aliorum, qui ob tam subitam Baptismi susceptionem paterentur fortassis persecutionem, &c.

6. *Resolvitur quid cum monstris humanis agendum,*

Quæres secundò: Quid sit agendum cum nato monstro humano? Respondeo cum Scoto 4. d. 6. q. 2. quòd debeat fieri diligens inquisitio per Medicos, & alios expertos, an habeat duas animas; quòd si ex certis, vel probabilibus indicijs id deprehendatur, debet tunc utraq; pars cum sua anima baptizari. Vel si dubium sit, esse unam, vel plures animas, tunc una pars principalis absolutè debet baptizari; altera verò sub conditione. Probabile autem indicium duarum animarum erit; si habeat duo capita, vel duas spinas dorsi, vel duplex cor: in adultis verò evidens erit signum, si habeat diversos, & contrarios actus intellectûs, & voluntatis; prout refert Scotus fuisse in Francia monstrum, habens duo capita, quorum unum expressit nolle de eo, de quo alterum expressit velle; unum enim voluit sobriè vivere, & castè, aliud epulari, & lascivire. Si autem monstra sint dubia, num sint homines, vel bestiæ; si caput, & pectus, sub quo cor latitat, humanam formam habeant; baptizari possunt. Secùs si bestialem formam præseferant.

7. *Quid agendū cum expositis Scotus resolvit.*

Quæres tertiò: quid sit agendum cum parvulo exposito? Respondeo cum Scoto; aut inveniuntur in eo certa signa, quòd non sit baptizatus, prout mulierculæ consveverunt apponere salem, vel schedulas, vel quid simile: vel si nulla inveniantur, tunc sub conditione baptizari potest, ut Leo Papa rescribit *De Consecrat:* dist: 4.

8. *Assignantur diversa differentiæ inter Joānis, & Christi Baptisma.*

Quæres quartò: quæ differentiæ fuerit inter Baptismū Joānis, & Christi? Respondeo sequentes. Prima: Baptismus Joannis non conferebat gratiā ex operato, sicut confert Baptismus Christi; constat expressè ex Trid: sess: 7. de *Baptismo.* Secunda: Baptismus Joannis fuit à puro homine institutus, & promulgatus; Baptismus Christi non. Tertia: Baptismus Joannis non erat sub præcepto; Item pro solis adultis; Baptismus Christi est sub præcepto; etiam pro parvulis. Quarta: Baptismus Joannis non imprimebat characterem, poteratq; iterari; Baptismus Christi imprimit characterē, & non potest reiterari. Quinta; Baptismus Joannis non conferebatur in nomine Sanctissimæ Trinitatis; Baptismus autem Christi sic confertur. Sexta: Baptismus Joannis secundùm Layman à solo Joanne poterat conferri; Baptismus Christi ab omnibus. Has, & alias differentias notabiles inter utrumque Baptisma, vide apud Layman, & alios.

QUÆSTIO XIII.
An liceat baptizare parvulos Infidelium invitis parentibus.

1. *Adulti Filij Infideli um possūt invitis parentibus baptizari.*

Nota primò: Quæstionem hic consultò moveri de parvulis tantùm filijs Infidelium, non de adultis: quia hi, si petierint, possunt licitè invitis parentibus baptizari: sunt enim sui juris in ijs, quæ ad salutem spectant, magisque tenentur

tenentur obedire DEO, quàm parentibus.

2. Quid nomine Infidelis hic veniat. Nota secundò: Me cum Theologis per Infideles hìc intelligere solos non baptizatos; non verò Hæreticos, & Apostatas: cùm enim hi adhoc maneant Ecclesiæ subjecti, sicut ipsi ad fidem servandam cogi possunt, ita & eorum filij, qui ratione parentum manent Ecclesiæ subjecti.

3. Agonizantes parvuli Infidelium possūt baptizari. Nota tertiò: cum communi DD. Parvulos Infidelium agonizantes absque controversia posse baptizari parentibus invitis. Ratio est; quia lex charitatis erga proximum salvandum hoc petit.

4. Duplex subjectio Infidelium distinguitur. Nota quartò; Infideles, de quibus hìc est quæstio, vel esse subditos Principibus Christianis, vel non: si eis non sint subditi, quoad civilem potestatem, communis Theologorum tenet, non licere infantes contra eorum voluntatem baptizare, tametsi oppositum Arretino nostro etiam nō improbabile videatur. Quæstio ergo hìc movetur de filijs Infidelium subditorum Christianis dominis; in quo iterum distingvunt Theologi; aut enim sont tales Infideles subditi tanquam *Cives*, vel tanquam *mancipia*, & *servi emptitij*: si hôc secundò modò subjectentur Infideles Principibus Christianis: communis Doctorum tenet, eorum filios, licitè posse invitis parentib⁹ baptizari. Et patet ex praxi ab Ecclesia toleratâ, quâ constat Maurorū, & Turcarum filios, in bello justo captos, contra parentum voluntatem baptizari à dominis. Et ratio est; quia justè possent domini vendere hujusmodi filios, & abstrahere à parentibus: ergo etiam absque periculo apostasiæ eos baptizare.

Controversia ergo hìc potissimùm excitatur de parvulis, seu filijs Infideliū Christianis Principibus civiliter subjectorum. Ad quam

5. Parvuli Infidelium subditorū civiliter possūt baptizari invitis parētibus. DICO primò: Parvuli Judæorum, & Infidelium subditorum Principibus Christianis etiam civiliter tantùm, possunt licitè baptizari invitis parentibus, maximè adhibitâ cautelâ, nè à parentibus in odium Baptismi trucidentur; vel ne sub eorum cura relinquantur. Est Scoti 4. d. 4. q. 9. Mayronis, Rubinnis, Bassolij, Fabri, Poncij, Hicquæi, Bracati, Mastrij, & communis Scotistarum, piaque magis doctrina; contra Thomistas, & Recentiores Vasq. Suar:, & Comptonum.

Prob. ratione desumptâ ex Sco: cit: quādo dominia sunt subordinata, obediendū est domino superioris contemptò præceptò inferioris, si illi contradicat; juxta illud D.Aug. Hō. 6 De *Verbis Domini*: *si aliquid jubet potestas, quod nō debes facere, hìc sanè contemne potestatē, timendo potestatē majorē*: sed Deus habet superi⁹ jus, & Dominiū in parvulos, quàm parentes; maximè in ijs, quæ spectant ad salutem spiritualem animæ ipsorum: ergò magis est obediendum DEO præcipienti, parvulos baptizari per illud: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* ergo ipsis invitis possunt baptizari. Confirmatur: si Infidelis parens parvuli, vellet ipsum occidere, aut à periculo mortis corporalis nollet eum liberare, dum posset; potest licitè, imò debet Princeps Christianus liberare eum, etiam cum injuria parentis: ergo à fortiori, cùm parvuli Infidelium sint in manifesto periculo occisionis animæ, seu damnationis, nolintq; parentes ipsis subvenire; licitè poterunt à Principibus Christianis ipsis invitis baptizari.

6. Scoti specialis doctrina circa parvulos. *Imo quod plus est*, inquit Scotus, *videtur religiosè fieri, ut & ipsi parentes cogerentur minis, & terroribus ad suscipiendum Baptisma.* Unde in Conc. Tolet: 4. multum commendatur pietas Assebuci Hispan: Regis, quòd Judæos coegerit ad Fidem, & Baptismum suscipiendum; indeque vocatur à Concil: *Religiosus Princeps*.

QVÆSTIO XIV.

Solvuntur Objectiones contra priorem doctrinam adductæ: & quæritur an, justificatus debeat baptizari?

1. Non fit injuria parentibus, si filij abstrahātur pro Baptismo. ARguit primò Comptonus, Disp: 69. sect: 3. pro sua opposita sententia, infantes absq; injuria non posse abstrahi à parentibus; & jure naturæ, eorū curæ, ac dispositioni subesse: adeóq; non posse eos ipsos invitis baptizari. Respondeo; Negando Consequentiā: nam tametsi subtrahendo filium fieret injuria parentibus, & læsio patriæ potestatis juræ naturæ eis concessæ; tamen facere aliquid circa filium secundùm Fidem Christiā, quod pater fieri non vult, non affert injuriam parentibus. Ratio est; quia patria potestas est Divinæ potestati subordinata, eiq; cedere debet, contrarium aliquid præcipienti, uti hìc fieri, supra ostendi. Quod autem filij jure naturæ curæ, & dispositioni parentum subesse dicantur; intelligendum est tantùm in ijs, quæ non repugnant legi Divinæ; aut non sunt contra expressam voluntatem Conditoris legis istius; in alijs verò, quæ sunt contra expressam voluntatem DEI, Authoris legis Naturæ, filij curæ, & dispositioni parentum

rentum non subsunt. Ad propositum; licèt jure naturæ filij curæ, & educationi parentum subsint, habeantq; parentes jus in filios: si tamen perniciosè abutantur hàc eurâ, & potestate, atq; jure, uti fit in casu nostræ sententiæ, non censentur filij ampliùs subesse huic potestati.

Deinde concedit Comptonus cit. num: 1. Hæreticorum filios posse licitè baptizari, parentibus reluctantibus, absq; injuria formali, aut læsione curæ jure patriò ipsis debitæ: ergo etiam Infidelium filij poterunt licitè baptizari. Probatur Consequentia, quia utrobiq; adest jus naturæ, concedens patriam potestatem; Baptismus enim, sive Fides semel suscepta ab illis Hæreticis parentibus, non aggravat legem naturæ, neq; præjodicat juri parentum in filios, cùm Fides confirmet legem Naturalem: ergo si primi Filij possunt baptizari; poterunt & secundi invitis parentibus absq; injuria formali.

2.
Non fit Sacramento irreverentia per Baptismū filiorum Infidelium.

Arguit secundò Comptonus cit: n. 4. Hujusmodi Baptisma fit cum injuria Sacramenti, & includit sacrilegium: nam ut habetur in Tolet: Conc: 4. *Moraliter loquendo fieri non potest, ut infantes baptizati, & sub parentum cura educati, eosdem cum ijs errores adulti, non profiteantur*: ergo &c. Respondeo: Negando Antecedens: nam si adhibeantur illæ cautelæ in Conclusione nostra specificatæ, quæ à Christianis Principibus de facili adhiberi possunt, neq; injuria Sacramenti, neq; sacrilegium ullum committetur. Imò: tametsi illæ cautelæ non applicentur, & parvulus juxta Tolet: cit. ijsdem cum parentibus erroribus fortassis involveretur, posset adhuc Baptismus parvulo conferri licitè, sinè injuria formali Sacramenti; nam sicut non fit injuria Sacramento Confirmationis, Encharistiæ, & Pœnitentiæ, quæ conferuntur ijs, qui timentur relapsuri, & apostaturi: ita nec Sacramento Baptismi in casu timendæ apostasiæ in ætate adulta. Præterea; juxta Dianam parte 3. Tract 4. Resol: 7. Laymannum, & cæteros DD. Baptizari possunt proles Hæreticorum sinè sacrilegio, etsi sub cura parentum relictæ timeantur inficiendæ hæresi; ergo idem in casu nostro dicendum.

3.
Cur Principes Christiani tolerēt tot Infideles in suis terris?

Objiciunt tertiò alij: si infantes Judæorum, & Infidelium possent licitè baptizari invitis parentibus, idq; laudabiliter, & religiosè fieret; quare Principes Christiani, etiam ipse Sum: Pontifex permittit tot Judæos, & Infideles in suis ditionibus manere, nec eorum infantes invitis parentibus curat baptizari? aut quà conscientiâ possunt tot millenas animas parvulorum permittere ex malitia parentum æternaliter damnari, cùm ipsis per Baptisma possent subvenire? Respondeo: viderint ipsi Principes Christiani, quare tot Judæos, & Infideles in suas admittant Provincias, cum libero exertitio suæ Sectæ. Crederem tamen ipsos in eo excusari, quòd eos primò admiserint hàc intentione principali, ut paulatim ad Fidem nostram amplexandam illos inducerent, habitâ conversatione cum Christianis, & visis bonis exemplis: & quidem Sum: Pontificis hæc absolutè principalis fuit intentio; unde certis temporibus cogit Judæos ad accedendas publicas conciones Catholicas, solitas fieri in eorum Synagogis.

4.
Cur Principes non curent baptizari Hebræos parvulos.

Quòd autem infantes horum non curent baptizari: ideò fortassis faciunt; quia ex tali praxi essent infantes in manifesto periculo mortis, à parentibus pluribus intentandæ. Adde multa quanduque religiosè, & licitè fieri posse, quæ semper nun expediunt fieri.

Ad alterum Quæstionis punctum.

5.
Omnis viator debet baptizari.

DICO primò: post Evangelij promulgationē tenetur regulariter quilibet viator, justificatus, si commodè fieri possit, Baptismū suscipere. Est Scoti 4. dist: 4. q. 6.

Probatur primo: Lex Baptismi promulgata, est generalis, & habetur Joan: 3. ergo omnes obligat, etiam justificatos. Secundò: quilibet viator tenetur esse membrum Ecclesiæ militantis, per internam, & externam communionem; sed fit tale per Baptisma: ergo &c. Unde S. Aug: Epist: 108. tradit etiam ipsos Apostolos fuisse baptizatos; Petrum quidem à Christo, à Petro Andream, Joannem, & Jacobum, & ab his cæteros, ut habet Nicephor: lib 2. *Histor.* c. 3. Et Scotus hoc idem supponit de Beata Virgine, quòd fit à Filio suo Baptizata; nisi fortassis, inquit, fuisset ab hac lege generali, sicut à lege incurrendi Originale, excepta.

QVÆSTIO XV.
De Ministro Baptismi.

1.
Quivis homo potens abluere potest esse Minister Baptismi.

DICO primò: Quivis homo potens abluere, & proferre verba formæ, cum intentione debita, cujuscunque statûs, sexûs, conditionis, aut Religionis sit, potest esse Minister extra-ordinarius hujus Sacramenti. Ita definit Florentinum in *Decreto Eugenij.* Idem etiam docuit Nicolaus Papa in cap. *à quodam Judæo, De Consecr: d. 4.*

Prob: conclusio exemplo Ananiæ Act: 9. baptizantis Paulū; cùm tamē secundùm Interpretes, nec Sacerdos, nec Diaconus

fuerit

fuerit. Ratio à priori non debet esse alia, quàm voluntas DEI; nobis manifestata ex praxi Ecclesiæ. Congruitas verò est, summa necessitas huj⁹ Sacramenti, ob quā nō debuit in casu necessitatis coarctari ad illos Ministros in particulari.

2. *Episcopi, et Sacerdotes sunt ordinarij ministri Baptismi*

DICO secundò: soli Episcopi, & Sacerdotes sunt Ministri ordinarij Baptismi solemniter administrandi: Diaconi verò per potestatem delegatam ab Ordinario.

Prima pars habetur in Florent: cit: in *Decreto Eugenij*: eamque tradit Clemens Rom: lib: 3. *Instit. c.* 11. Congruitas secundùm Scotum hujus partis est, *quia per Baptismum recipitur baptizatus in collegium Ecclesiæ militantis; receptio autem alicujus in collegium pertinet ad Præsidentem, & habentem authoritatem in collegio*, cujusmodi sunt in proposito Episcopi, & Sacerdotes: ergo &c.

3. *Diaconus est minister delegatus.*

Secunda pars patet ex Pontificali Romano; ubi in Ordinatione Diaconi committitur ipsi munus prædicandi, & baptizandi tanquam Sacerdotum delegato: ergo &c.

4. *Calvino respondetur.*

Objicit Calvin: præceptum illud Mat: ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* est datum solis Apostolis, & Sacerdotibus: ergo &c. Respondeo: ex Antecedente: solùm haberi, quod ordinariè, & citra casum necessitatis sit Minister hujus Sacramenti Apostolus, & eorum successor Sacerdos; cum quo tamen stat, quòd in casu necessitatis quisq; rationis compos, possit esse Minister, qui potens est abluere.

5. *In Baptismo non remittuntur peccata à Sacerdote ut Judice.*

DICES: soli Sacerdoti commissum est dimittere peccata; sed in Baptismo remittuntur peccata: ergo &c. Respondeo cum Scoto: dist: Maj: per modū judicis, & arbitri, ut fit in Pœnitentia conc: Maj: aliter. nego Majorem.

6. *Certus ordo Ministrorum baptizantium.*

Nota primò: hunc ordinem inter Ministros esse servandum: ut præsente Episcopo, vel Parocho non baptizet alius Sacerdos, vel Diaconus: nec præsente Diacono Subdiaconus, aut alius inferioris ordinis Clericus: nec præsente Clerico laicus, nec præsente viro fœmina: nec præsente Fideli infidelis, Hæreticus, vel Apostata.

7. *Nemo se ipsum valet baptizare.*

Quæres primò: An possit quis se ipsum baptizare: Respondeo quòd non; *quia in Baptismo*, inquit Scotus, *celebratur illa spiritualis generatio, de qua Veritas ait*: oportet nos nasci denuò: *ergo sicut in carnali generatione alius est, qui gignit, & alius qui gignitur, ita & in sacramentali.* Hinc Alex: 3. de quodā Judæo, qui inter alios Judæos existēs, in articulo mortis se ipsū baptizavit, sic rescribit: *si talis continuò decessisset, ad patriam protinùs evolâsset, propter Fidem Sacramenti, non propter Sacramentum Fidei.*

8. *Un⁹ potest plures simul baptizare.*

Quæres secundò: an possit unus plures simul baptizare? Respondeo cum Scoto, & communi quod sic; quia re ipsâ ità practicatum est novissimè in conversione Indorum; & videtur etiam practicatum esse Act: 2, ubi Apostoli tria millia hominum baptizârunt uno die; quod vix fieri potuit, nisi baptizando plures simul. Ratio etiam est; quia taliter baptizans potest applicare omnia necessaria tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ, puta plures aspersiones, dicendo: *baptizo vos* &c. ubi ly *Vos*, de quo solo hic est difficultas, ut notavit Scotus, includit in se singulare pluries geminatum, & ita æquivalet ista forma *Baptizo vos*, pluribus, & replicatis propositionibus *baptizo te.* Monet tamen Scotus extra necessitatem hoc non esse practicandum; cùm sit contra Ecclesiæ communem morem.

9. *Non tamē possūt plures unum baptizare*

Quæres tertiò: an plures possint eundem simul baptizare? Respondeo: casum esse de raro contingentibus; & ideo breviter cum Scoto dico; non posse duos sic baptizare, ut unus intingat, alter formam proferat; quia tunc proferens verba nō potest cum veritate dicere *Baptizo te.* Sed quid si abluens esset mutus, & proferens mancus nullô modô potens intingere, dicerentq; juxta formam Græcam, *baptizetur Servus Christi*, nec esset ullus mortalium præsens, & instaret articulus mortis infantis? Respondeo: si casus talis contingeret, fortè non illaudabiliter sic facerent ille mutus, & mancus; consulenda tamen foret Ecclesia de validitate Sacramenti. Cæterùm si duo simul, & ex æquo abluerent, & verba proferrent, teneret quidem Baptismus; sed tamen probabiliter unus solus baptizaret, cum effectu Sacramentali, quem DEUS determinaret; sicut contingit de duobus Sacerdotibus simul unam hostiam consecrantibus.

10. *Fratres Min: ordinariè prohibētur baptizare.*

Nota secundò: cum Pontifex in tota Ecclesia, Episcopus in sua Diœcesi, Parochus in sua Parochia, sint Ministri ordinarij Baptismi, mortaliter peccare quoscunque alios, si absque licentia, vel reali, vel rationabiliter præsumpta extra casum necessitatis baptizent. Constat ex Concilio Florent: *in Decreto Eugen.* Ratio etiam est; quia taliter baptizans usurpat sibi jus alienum invito ordinario quod fieri nequit sinè mortali, si materia sit gravis: ergo &c.

11. *Possunt ta-*

Nota secundò: Nobis Fratribus Minoribus non esse absolutè interdictum per Regulam

men in certis casibus.

gulam baptizare; verba enim illa Regulæ, *& non fiant Compatres virorum, vel mulierum &c.* intelligenda sunt de compatribus quoad elevationem â fonte Baptismatis, ut declaratum est in Capitulo Generali Anno 1499., Mechlinij celebrato: tamen nos nunquam baptizare debemus extra casum necessitatis; vel absque licentia expressa Parochi; & in absentia tã Parochi, quàm aliorum Sacerdotum sæculariũ.

12. *Tenet Baptismus in quo Minister loco Ego ponit Nos te baptizamus*

Quæres quartò: si baptizans authoritatem præseferendo dicat: *Nos te baptizamus*, an verè baptizet; Resp: affirm.: quia illa particula *Nos*, etsi in plurali prolata, significat tamen singulare, ex communi Magnatum loquela; quia significat unum ministrum, adeoq; non variatur essentialiter forma Baptismi.

QUÆSTIO XVI.
De Cæremonijs Baptismi, & Patrinis.

1. *Cæremoniæ sunt adhibendæ in solemni Baptismo.*

DICO 1. In solemni Baptismo est adhibenda Cæremonia. Prob: quia aliquæ cæremoniæ sunt institutæ à Christo, quæ dicunt aliquid essentiale, ijsq; omissis redditur invalidus Baptismus; v.g. contactus aquæ in Baptizando; aliquas verò instituit Ecclesia ad majorem hujus Sacramenti reverentiam reconciliandam; & ex his aliquæ sunt universales, statutæ pro omnibus Ecclesijs â Summo Pontifice; aliæ sunt particulares, institutæ ab Episcopo pro una Diœcesi, & hæ servandæ sunt â Diœcesanis.

2. *Quid, & quot sint cæremoniæ Baptismi.*

Nota autem cæremonias nil aliud esse, quàm actus externos Religionis, ad DEUM colendum accomodatos. Ex his aliquæ præcedunt Baptismũ, & sunt sequentes. Prima est *petitio in Ecclesiam*, quam faciunt illi, qui cupiunt baptizari, & vocantur Catechumeni. Secunda dicitur *Scrutinium*, quô Catechumeni examinantur, an firmiter, & sincerè credant? Tertia est *abrenunciatio Sathanæ*, & operibus ejus sæpiùs repetita. Quarta *Fidei professio* facta. Quinta *signum Crucis* in fronte, & pectore â Sacerdote impressum. Sexta *Exorcismus*. Septima est *sufflatio*, quâ significatur dæmonis expulsio, & afflatio boni spiritûs. Octava *gustus salis*. Nona *saliva*, quâ tanguntur nares, & aures, & dicitur *Epheta*. Decima *impositio manuũ*, & benedictio Sacerdotis. Undecima *unctio* in scapulis, & pectore. Duodecima *abstinentia* vini, & carnium ante Baptismum: Hæ omnes præcedunt Baptismum. In ipso Baptismo prima est, *nominis impositio*; secunda *Patrinorum assignatio*, tertia *immersio*, seu *aspersio*. Post Baptismum prima Cæremonia est *osculum pacis*; secunda *unctio Chrismatis* in vertice baptizati; tertia *gestatio vestis candidæ* per 9. dies: Quarta *datio cerei accensi* in manus baptizati: Quinta in Occidente dabatur lac, & mel gustandum.

3. *Omissæ Cæremoniæ debent suppleri.*

DICO secundò: quando in casu necessitatis confertur Baptismus, omissis Cæremonijs ab Eccesia præscriptis, postea supplendæ sunt Cæremoniæ, si commodè fieri possit. Patet ex praxi Ecclesiæ.

4. *Omittens Cæremonias peccat mortaliter*

DICO tertiò: si omittantur Cæremoniæ ab Ecclesia additæ, tenet quidem Baptismus, sed peccatur mortaliter contra Religionem ab omittente, nisi parvitas materiæ excuset, vel necessitas manifesta. Ratio est; quia vergit in contemptum Ecclesiæ præcipientis, vel scandalum populi talis omissio.

5. *Patrinꝰ debet adesse in Baptismo.*

DICO Quartò: In Sacramento Baptismi requiritur etiam Patrinus ordinariè, ut licitè administretur. Ratio desumitur ex præcepto Ecclesiæ, quod habetur c. *vos autem*, dist. 4. de Consecrat.

6. *Quod munus Patrini?*

DICO Quinto: munus Patrini est; suscipere sub suam curam tanquam parens Spiritualis infantem, quoad res spirituales, præsertim quoad instructionem Symboli, & Orationis Dominicæ. Ratio hujus desumitur ex mente, & praxi Ecclesiæ. Liberantur tamen Patrini ab ista obligatione, ubi est consvetudo, ut baptizati in rebus Fidei instruantur â Parochis, vel parentibus, vel pedagogis.

7. *Quamdiu obligatio instructionis duret in Patrino*

Quæres quamdiu duret obligatio in Patrino de instruendo baptizato? Respondeo: quamdiu baptizatus est rudis; quò tamen semel instructô cessat ea obligatio; cùm non censeatur ampliꝰ opus habere instructione.

8. *Privatꝰ ratione, nequit esse Patrinus.*

DICO sextò: nemo carens usu rationis potest esse Patrinꝰ. Ita Navar: Henr: Ratio est; quia talis nequit deinde baptizatum instituere. secundò: quia aliàs comitteretur Baptismus irreverentiæ, & scandalo.

9. *Conditiones Patrini.*

DICO septimò: Quicunque ratione præditus, quocunque ætatis tempore, potest esse Patrinus; si certæ conditiones adsint.

Probatur; qui enim habet usum rationis, potest satisfacere obligationi; & præcepto de baptizatu instruendo, & aliunde ex nullo jure habetur determinata ætas in Patrinis: ergo &c. Certæ autem conditiones quæ debent adesse; sunt primò: ut Patrinus intelligat Sacramentum Baptismi. Secundò: ut sciat res necessarias nostræ Fidei quas docere est obligatus.

10. *Non bap-*

DICO octavò: non baptizatus nequit esse

tizatus ne quit eſſe Patrinus.

eſſe Patrinus, Colligitur expreſsè ex Jure Eccleſiaſtico cap. *in Baptiſmate* d. 4. *de Con.*

Ratio eſt: quia non videtur idoneus ad inſtruendum alium in Fide, qui Baptiſmo caret. Unde ſequitur; ſi non baptizatus teneat defactò baptizandum, etiam cum intentione eſſendi Patrinus, tamen reverà non erit Patrinus, nec contrahet cognationem ſpiritualem.

11. *Qualis intentio debeat eſſe in Patrino?*

DICO Nonò: Ut aliquis ſit verus Patrinus, debet habere intentionem ſuſcipiendi id munus. Ita Laym: & alij.

Ratio eſt; quia ut aliquis ſpondeat, ſubeatq; munus, debet id ſcire, & velle; in hoc autem eſt poſita intentio: ergo &c.

12. *Qui repellantur à munere Patrini?*

DICO Decimò: Hæretici, Apoſtatæ, & qui ſunt infames, nequeunt licitè ſuſcipere Patrini munus, Ratio eſt; quia tales videntur inepti ad munus inſtructionis in materia Fidei, & morum: ergo &c.

13. *Clauſtralibus prohibitum fuit Patrinos agere.*

DICO Undecimò: Olim fuit Religioſis Clauſtralibus per SS. Canones prohibitum agere Patrinos.

Conſtat ex cap. *placuit communiter* 6. q. 1. Item c. *non licet* 5. d. 4. *De Conſecrat.* c. *Monachi* eadem diſt. 4. *Monachi ſibi Compatres, & commatres non faciant, nec oſculentur fæminas.*

14. *Quinam dicantur Clauſtrales?*

Quæres: Quinam cenſendi ſint Clauſtrales, ſeu Monachi? Reſpondeo illos; quorum inſtitutum eſt, vitam ſolitariam agere; cujuſmodi ſunt Carthuſiani, Benedictini, Ciſtercienſes. Ratio autem concluſionis eſt; quia tales Clauſtrales Monachi non habent occaſionem inſtruendi baptizatum. Deinde nolunt SS. Canones, ut Monachi occaſione inſtructionis, cum commatribus fœminis faciant ſuſpecta conſortia. Quid vero dicendum de ijs defactò, infra d. 3. q. 6. reſolvam.

15. *Parens elevans prolem ſuam in neceſſitate nō contrahit cognationem.*

DICO Duodecimò: Parens in caſu neceſſitatis agens propriæ prolis Patrinum, nullam contrahit cognationem ſpiritualem cum conjuge, ideòq; non impeditur ad petendum debitum conjugale. Ita Fillincius cum alijs. Ratio eſt; quia nullum jus antiqvum, vel nuvum facit mentionem de hujusmodi cognatione ſpirituali contracta: ergo favores ſunt ampliandi in illo parente.

16. *Neq; elevans cum ignorantia juris, vel facti.*

DICO Decimo tertiò: parens extra neceſſitatem ſuſcipiens ſuam prolem tanquam Patrinus ex ignorantia Juris, vel facti, ſimiliter non contrahit cognationem ſpiritualem. Ratio eſt; quia tunc cenſetur involuntariè id munus agere, adeoq; carere intentione requiſitâ ad hoc, ut evadat Patrinus.

17. *Parens maliiosè elevans de Baptiſmo prolem peccat mortaliter, & nequit debitum petere.*

DICO Decimo quartò: parens caſum ſciens, & malitioſè ſuſcipiens ſuam prolem in Baptiſmo, peccat mortaliter, & ſecundùm multos nequit petere debitum; ſed tamen poteſt reddere. Ita Layman: cum D. Thoma.

Probatur: quia tunc facit contra prohibitionem in re gravi, ita ut contrahat cognationem ſpiritualem cum conjuge, ideoque non poteſt petere debitum ſinè mortali; poteſt autem reddere; imò debet; quia conjux non debet privari ſuo jure, quod habet ad petendum debitum conjugale. Eſt tamen etiam probabile, quod poſſit petere parens; quia nullum exſtat Jus in contrarium.

18. *Duo tantùm debent eſſe Patrini.*

DICO Decimo quintò: Patrini nequeunt eſſe plures duobus. Ita Laym. &c. Patet ex Triden. ſeſſ. 24. c. 2. Poteſt etiã eſſe unicus, vel unica; unicus, quando eſt maſcul⁹; unica, quando eſt fæmella. Quando ſunt duo Patrini mas, & fæmina, poteſt eſſe maritus, & uxor ſimul.

19. *Plures duobus Patrinis non contrahunt cognationem ſpiritualem.*

Ex his habetur, quòd ſi plures, quàm duo accedant, & ſuſcipiant baptizandum, non eſſe Patrinos, nec contrahere cognationem ſpiritualem. Ratio eſt; quia hæc omnia pendent à Jure Eccleſiaſtico poſitivo, quod ſtatuit illos plures in tali caſu nō eſſe Patrinos.

20. *Neceſſitas excuſat præſentiã Patrini.*

DICO Decimo ſextò: in caſu neceſſitatis non eſt neceſſariò adhibendus Patrinus. Ratio eſt; quia nullum exſtat præceptum Eccleſiæ circa hoc: ergo &c.

21. *Corollaria prioris doctrina.*

Ex quo ſequitur primò: quòd ſi quis in caſu neceſſitatis tangat prolem, vel ſuſcipiat â manibus baptizantis caſu, & ſinè intentione, non eſſe Patrinum; quia non fuit ad hoc deſignatus, nec voluit eſſe.

Sequitur ſecundò: ſi quis in tali privato Baptiſmo animo, & intentione debitâ ſuſcipiat, contrahere veram cognationem ſpiritualem. Ita Laym:, & Suar. Ratio eſt; quia habet omnia requiſita ad eſſe Patrinum, vultq; ſuſcipere in ſe onus inſtruendi, quod Eccleſia deſiderat: ergo &c.

22. *Secluſa neceſſitate nō debet adhiberi Patrinus Hæreticus.*

DICO Decimo ſeptimò: peccat, qui baptizante Sacerdote Catholico adhibet Patrinum Hæreticum abſque neceſſitate. Ita communis. Ratio eſt; quia talis Hæreticus non ſolet ſpondere ex corde de inſtruendo infante in rebus veræ Fidei; adeòque eſt periculum nè Infans deinde deficiat ad Fidem ſui Patrini.

23. *Poteſt tamen ob gravem cauſã*

DICO decimo octavò: Accedente gravi causâ poteſt ſine peccato adhiberi Patrinus Hæreticus. Ita Laym. qui docet eam eſſe praxim, quam viri docti æquè, ac pij, tam in ſuperiori, quàm in inferiori Germania exercuerunt.

24. *Nullo Jure*

Probatur primò, quia nullo Jure expreſsè prohibetur Hæreticis exercere mu-

probibet adstare Patrinum Hareticũ, tempore necessit.

nus Patrini. Secundò: Quando nuper in Statibus suæ Majestatis Cæsareæ facta fuit reformatio generalis, & expulsis Prædicaotibua, introducti Catholici Sacerdotea, Baptismus semper in principio fuit collatus à Cstholico Sacerdote, assistentibus Patrinis Hæreticis; alij enim non eraot præ manibus: sed de hac praxi nullus fuit hactenùs argutus sub mortali, ob rationabiles, & graves causas: ergo &c.

25. *Catholici possunt esse Patrini in Baptismate Luthe rano.*

DICO decimo nonò: Baptizante Ministro Hærætico prolem Hæreticorum, potest Catholicus esse Patrinus. Probatur: per tale enim munus Catholicus nullatenùs cooperatur ad aliquid contra Sacramentum Baptismi, neq; contra Ecclesiam: & ex alia parte impeditur Patrinus Hæreticus, qui tacitè promitteret se in Hæretica Fide suceptum puerũ instructurum; quod nefas est.

26. *Cum solis Hæreticis denominatis sũt Catholicis interdicta Commertia.*

Nec valet dicere: esse Fidelibus prohibitum, commercia habere cum Hæreticis in rebus Sacris; cujusmodi est agere Patrinũ. Respondeo enim cũ Hosticosi; hujusmodi commercia solùm esse prohibita cum Hæreticis denominatis, & denunciatis nominatim; quales non sunt nostri Hæretici tolerati in Germania, de quibus debet intelligi conclusio.

27. *In quibus exercitijs non liceat communicare cum Hæreticis.*

DICES: esse universaliter prohibitum agere, & communicare in exercitio hæretico, etiam cum Hæreticis non deountiatis: ergo &c. Respondeo distingvendo Ant: communicare in exercitio hæretico, quod videtur esse contra exteroam Fidei Catholicæ professionẽ: concedo Ant: quod non videtur esse nego Ant: agere ergo Patrinum in casu posito noo est communicare in exercitio pugnaote cum vera Fidei Catholicæ professione.

28. *Datur cautela Catholicis Patrinis respectu Hæreticorum.*

DICES secundò: Patrinus Catholicus in tali casu ceosetur approbare ritus hæreticos Baptismi: sed hoc non licet: ergo &c: Respondeo Neg. Maj. sed habet se tantùm permissivè ad illud, quod non potest, nec tenetur impedire. Quod si tamen in aliquibus circumstantijs esset quasi tacita approbatio rituum hæreticorũ, vel si oriretur scandalum ex assistentia Patrini Catholici, non deberet Catholicus agere Patrinum; nisi præmitteret protestationem, se velle agere munus Patrini modò Catholicò.

DISTINCTIO III.

DE CONFIRMATIONE.

PRÆFATIO.

MAgnæ excellentiæ, ac efficaciæ Sacramentum Confirmationis censeri debet; nam Eug: 4. *in Decreto ad Armenos* dicit: *Nos per Confirmationem augeri in gratia, & roborari in Fide*: Similia habet Melchiades Papa in *Epistola Decretali*, directa ad Episcopos Hispan:; quæ igitur circa ea scitu digniora occurrunt, sequentibus aperiam.

QVÆSTIO I.

De Definitione, & Institutione Sacramenti Confirmationis.

1. *Definitur Confirmatio.*

DICO primò: Confirmatio bene definitur dicendo: *est Sacramentum, quô homo viator baptizatus innungitur in fronte ab Episcopo, cum Chrismate, & præscriptâ verborum formâ, ad Fidei robur consequendum.* Est conformis Scoto 4. d. 7. q. 1. Probatur primò ex sufficientia conditionum Logicarum pro exacta definitione, quas hæc habet.

2. *Explicatur ejus Definitio.*

Probatur secundò: eam explicando: dicitur: *esse Sacramentum, quô homo viator baptizatus*; ut signetur subjectum capax. Dicitur *innungitur*, ut signetur materia proxima, quæ est unctio: Dicitur *Chrismate*, ut sigoetur materia remota: Dicitur *ab Episcopo*, ut signetur minister hujus Sacramenti: dicitor *certâ verborum formâ*, ut ostendatur Sacramenti hujus forma, quæ

consistit

consistit in verbis ab Episcopo prolatis: Additur *ad Fidei robur acquirendum*, ut significetur hujus Sacramenti finis, propter quē est institutum, ad roborandum nimirum in Fide.

3. *Haeretici negant Confirmationem esse Sacramentū.*

Hæretici nostri temporis, ut veteres plures omittam, negant Confirmationem esse propriè dictum Sacramentum à Christo institutum; sed dicunt fuisse institutum, à Melchiade Papa, qui vixit Anno 311. contra quos.

4. *Est tamen Sacramentum propriè dictū.*

DICO secundò: Confirmatio est propriè dictum Sacramentum novæ legis, à reliquis sex distinctum.

Probatur prima pars ex Tridentino sess. 7. Can: 1. dicente: *si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potiùs verum, & proprium Sacramentum, Anathema sit.*

5. *Ut patet ex S. Scriptura.*

Probatur secundò ex Sacra Scriptura; quia Act. 8. v. 17. Apostoli; *imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, Item 19, v. 6. *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* Sed non est verisimile Apostolos fuisse usos tali cæremonià ad conferendum Spiritum Sanctum, nisi esset propriè dictum Sacramentum, conferens efficaciter Spiritûs Sancti gratiam: ergo &c.

6. *Calvini depravata expositio Scripturarum retunditur.*

Respondet Calvinus: dicta loca esse intelligenda de Spiritu Sancto accepto in Baptismo; vel per *Spiritum Sanctum* intelligi dona gratiæ gratis datæ; vel certè illud fuisse speciale privilegium tempore Apostolorum, ut visibiliter daretur Spiritus Sanctus; non quia Confirmatio esset Sacramentum propriè. Contra primum; Scriptura Act: 19. & 8. clarè, & expressis terminis attribuit impositioni manuum acceptionem Spiritûs Sancti, & non Baptismo: ergo debet litteraliter, ut jacet, Scriptura allata intelligi. Contra secundum; gratiæ gratis datæ non erant tunc dona omnibus baptizatis communia, ut patet 1. ad Cor: 12. v. 29. *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores?* sed Spiritus Sanctus est omnibus communis, daturque singulis baptizatis, intelligendo per Spiritum Sanctum gratiam sanctificantem, & corroborantem in Fide, ut explicat Christus Luc: 24. v 49. *vos autem sedete in Civitate quoadusque virtute induamini ex alto*: ergo per Spiritum S. in locis allegatis non benè intelliguntur gratiæ gratis datæ. Contra tertium; non est ratio restringendi dationem Spiritûs Sancti ad tempora tantùm Apostolorum, saltem insensibilem; cùm promittat nobis Christus, quòd nobiscum erit, utpote per gratiam, omnibus diebus usque ad sæculi consummationem: ergo &c.

7. *P.P. pro Conclusione adducuntur.*

Probatur tertiò: ex SS. PP. quos sufficientè citant Recent: Ego paucos, brevitati studens, solidiores tamen, adduco. Primò: Clemens Rom: lib. 3. *Const*: expressam de Sacramento Confirmationis facit mentionem. Secundò: S. Hieron: contra Luciferianos inquit: *An nescitis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manum imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum, etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret.* Tertiò dicit S. Augustinus lib. 2. contra Epistolam Petiliani c. 104. *Sacramentum Chrismatis in genere sensibilium signorum, sacrosanctum est, sicut Baptismus.* Idem habet Cyrillus Hierosolym: & alii passim: ergo Confirmatio est Sacramentum propriè dictum.

8. *Confirmatio est distinctum ab aliis Sacramentum.*

Probatur etiam *secunda pars*: ex communi Ecclesiæ consensu; & diversis Conciliis, maximè Florent: & Trident. Ratio etiam est; quia Confirmatio constat materià, & formà diversà à cæteris Sacramentis, ut patebit infra: ergo est distinctum ab aliis sex Sacramentum. Item; præstat ab aliis diversum effectum; ut patet ex Eusebio Gallicano, dicente; *In fontis plenitudine tribuitur gratia ad innocentiam*; *in Confirmatione augmentum gratiæ ad pugnam &c.* ergo est distinctum Sacramentum.

9. *Ex Fabiano Papa, patet Confirmationem in Cœna Domini institutam.*

DICO tertiò, Confirmatio fuit instituta à Christo probabiliùs in Cœna Domini. Ita Conink Præpositus, & alii. Fundamentum præcipuum desumitur ex Fabiano Papa Epist. 2. *ad Orientales* c. 1, dicente; *In illa die Dominus JESUS postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes (sicut à sanctis Apostolis nostri prædecessores acceperunt, nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit*: quod totum deinde confirmavit Catechismus Romanus: ergo tunc designatà materià Confirmationis, à Christo probabiliùs instituta est Confirmatio.

10. *Hujus institutionis congruentia.*

Ratio etiam congruentiæ accedit: quia nullum tempus fuit magis idoneum pro institutione hujus Sacramenti collativi Spiritus S. quàm illud in nocte Cœnæ, in qua toties promisit Spiritum S. ergo &c.

11. *Diversæ opiniones AA. rejiciuntur circa tempus insti-*

Deinde: si aliquo aliò tempore esset instituta Confirmatio, maximè quando Christus Matth. 19. imponebat parvulis manus; ut quidam volunt; sed tunc non; quia illi parvuli necdum erant baptizati. Nec est institutum in die Pentecostes, ùt volunt alii; cùm ibi neque materiæ, neque formæ Confirmationis appareat vestigium; & Christus tunc jam ascenderat cœlos;

M

titionis Confirmat:

los; non videtur autem ascendisse, nisi consumatò Ecclesiæ ædificiò, cujus præcipuæ columnæ sunt Sacramenta. Neque tandem Joan. 20. ut arbitrantur complures, quando Christus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* quia neque ibi est vestigium materiæ, aut formæ; maximè cùm ibi instituatur Pœnitentia, juxta Trid. Sess. 6. c. 14.

12. *Basil: Pontius malè allegat Scotum.*

Ex dictis patet: Basilium Pontium immeritò dixisse, *quòd non videatur reprehensione carere Scotus* d. 7. q. 1. in 4. ubi videtur docere; quod non constet ex Scriptura, institutionem hujus Sacramenti esse à Christo factam; sed haberi ex doctrina Patrum: Scotus enim locô citatô solùm dicit; *quod tempus, & modus hujus institutionis in Scriptura non legatur*; quod ex dictis hactenus, & discordia AA apparet esse verissimum.

QVÆSTIO II.

De Materia remota Confirmationis.

1. *Variæ sententiæ circa remotam Materiam Confirmationis.*

DE materia tam proxima, quàm remota hujus Sacramenti variæ sunt opiniones. Quidam Canonistæ dicunt, impositionem nudam manuum esse totam materiam. Alensis, & S. Bonaven: dicunt, in primitiva Ecclesia impositionem manuum fuisse materiam; sed deinde in Concilio Meldensi ex inspiratione Spiritûs Sancti fuisse additum Chrisma. Alii, ut Cajet. & Navar. concedunt Chrisma benedictum ex oleo, esse materiam essentialem; sed negant mixtionem balsami; Alii aliter.

2. *Determinatur Chrisma esse Materiam remotam Confirmationis ex CC.*

DICO primò: Materia remota Confirmationis ex institutione Christi est Chrisma. Est S. Thom: Scoti 4. d. 7. q. 1. & Rich:

Probatur primò: ex definitione Florentini *in Decreto Eugenii*: & Tridentini Sess. 7. Can. 2. *de Confirmatione*.

Probatur secundò ex perpetuo usu, & traditione Ecclesiæ, quæ satis constat ex vetustissimis Pontificibus, & Patribus; Cornelio Papa Epist. *ad Fabianum Episcopum Antioch.* Dionysio Areopagita lib. de *Ecclesiastica Hierarchia* c. 4. Concilio Laodicensi c. 48. Cypriano, & aliis, quos vide apud Bellarm.

3. *Traditione, & SS. Patribus.*

4. *Et Scriptura.*

Colligitur etiam probabiliter ex Scriptura ex illo 2. Cor. 1. v. 21. *Qui unxit nos DEUS, & signavit nos*: Quem locum Patres communiter intelligunt de Confirmationis unctione per Chrisma.

5. *Congruentia ad idē.*

Ratiò etiam congruentialis à Scoto adducitur; quia Chrisma habet similitudinem cum effectu Confirmationis; oleum enim nitorem habet, & supereminet cæteris liquidis; & est materia proxima incendii: per primum significat castitatem, seu munditiam; per alia duo significat charitatem; & balsamum, quod habet bonum odorem, significat bonam famam; juxta illud 2. Cor: 2. *Christi bonus odor sumus.* Per Chrisma ergo Confirmationis significatur, quòd Confirmatus debeat habere munditiam, & charitatem, & bonam famam; quia sine his non est multùm proficua Confirmatio Fidei Christianæ.

6. *Apostoli ex dispensatione solâ manuū impositione usi sunt in confirmando.*

DICES: Apostoli contulerunt hoc Sacramentum per solam manuum impositionem sine Chrismate, ut videtur Act. 8. & 19. ergo Chrisma non est materia remota necessaria Confirmationis. Respondent Recentiores cum Bellarm: Con: & aliis; Neg: Ant. & dicunt quàmvis Scriptura non faciat mentionem de Chrismate, sed de sola manuum impositione, tamen etiam Chrismatio adfuit, ut colligitur ex vetustissimis Patribus. Respondeo tamen aliter cum Scoto 4. d. 7. q. 1. Concedendo Ant: & Negando Consequentiam: nam dici potest, ut notat Scotus, Apostolos ex speciali dispensatione, & privilegio Christi solâ manuum impositione usos fuisse, pro Materia Confirmationis, pro eo solùm tempore, quò Spiritus Sanctus supra Fideles sub visibilibus signis descendebat; quando verò hujusmodi signa cessarunt, usi sunt etiam Apostoli Chrismate. Ita sentit etiam D. Thom. q. 72. art: 2. ad 1. D. Bonav: Svar: Amicus &c.

7. *Scriptura consentiēt circa solā manuum impositionem.*

Et ratio desumitur primò: ex Act: Ap: 8. & 19. ubi solius manûs impositionis fit mentio; si autem simul adfuisset Chrismatio, Scriptura tacuisset præcipuum, & illud tantùm expressisset, quod ad collationem Spiritûs Sancti concurrebat tantùm commoditatis gratiâ, cùm sufficisset digito frontem tangere. Secundò: desumitur veritas hujus Responsionis ex ipso Florent: quod in Decreto *de Armenis* dicit; de solis Apostolis legitur, quòd per manûs impositionem Spiritum Sanctum darent; locò autem illius manûs impositionis datur in Ecclesia Confirmatio; hoc est sacri Chrismatis unctio: Unde etiam in Pontificali Romano desacto hujus manûs impositionis nulla prorsus fit mentio. Et in Græco ritu præter Chrismatis unctionem, nulla alia manûs impositio adhibetur.

8. *Etiam Florent: & Græcus ritus.*

9. *Chrisma debere esse ex oleo & balsamo simul resolvitur.*

DICO secundò: Ad valorem materiæ Confirmationis requiritur, ut Chrisma sit confectum ex oleo olivarum, & balsamo simul. Ita D. Bonaventura, Alensis, D. Thom: Scotus in 4. d. 7. q. 1. contra Navar: Sotum Covar; Talent: Barb: &c.

Pro-

10. *Et probatur ex Florentino, & Fabiano Papa.*

Probatur primò axFlorent: in *Decri Eug:* ſecundò:exFab.Papa cit: ſupra;& perpetua Eccleſiæ Praxi. Nec explicari poteſt Conc. de neceſſitate præcepti tantùm debere eſſe admixtum balſamũ;Tum quia ſic dicendo ravocari poſſet in dubium Materia cujuslibet Sacramenti, ex pluribus conſtans. Tum etiam;quia Florent: non declarat Materiam neceſſariam neceſſitate præcepti, ſed eſſentialiter neceſſariam, ſicut declarat Formam eſſentialiter neceſſariam ibidem. Tandem Concil: loquitur, abſolutè, & ſinè limitatione; quod non facit, cùm tractat v.g. de Materis Conſecrationis Calicis; quam abſolutè dicit eſſe vinum de vite; & addit deinde etiam eſſe neceſſariam admixtionem aquæ, neceſſitate præcepti; Materiam verò Confirmationis dicit abſolutà eſſe Chriſma ex oleo, & balſamo confectum; non verò oleum, cui admiſceri debet balſamum.

11. *Accedit ad idem Tridentinum.*

Confirmatur ex Trid. Seſſ. 7. Can: 2. ubi ſupponit Materiam Confirmationis eſſe Chriſma, quod utique ſignificat compoſitum ex oleo, & balſamo, ùt exponit Catechiſmus Rom: Et ratio eſt; quia ſi Chriſma non ſignificaret unguentum ex oleo, & balſamo ſimul, ſed oleum purum, non magìs hoc Sacramentum, quàm Extrema Unctio, Chriſma appellari deberet. Accedit quòd plures SS: PP: ab Hicquæo noſtro citati hic, nomine Chriſmatis intelligant compoſitum ex oleo, & balſamo ſimul; ut eſt Greg: Papa in cap. 1. *Cant:* Cyprian: Serm: *de unctione Chriſmatis &c.*

12. *Num Papa Innoc. III. ſenſerit iterandam Confirmat: in ſolo oleo datam?*

Objiciunt Adverſarii primò: Innocentius 3. cap: *Paſtoralis*, de *Sacramentis non iterandis*; conſultus: an is, qui in Confirmatione non Chriſmate, ſed ſolò oleò fuiſſet unctus, deberet ſecundò Confirmari? Reſpondet, *In talibus non eſſe aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum*: ergo cenſat Pontifex etiam ſolum oleum eſſe Matariam aſſentialem Confirmationis.

13. *Reſolvitur affirmativè.*

Reſpondeo Neg: Conſequentiam; quia Pontifex ſolùm hic intendit (ùt colligitur ex illa particula *cautè*) non eſſe iterandam ſolennitatem Sacramenti propter ſcandalum; ſed eſſe ſupplendam privatim, dando Sacramentum de novo quoad ſubſtantialia, quod aliàs fuit dubium, aut potiùs nullum. Quod autem fuerit nullum ante Chriſmatis unctionem patet, ex illo verbo, *Non iterandum; quod enim non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, ut videatur iteratum*, inquit cap: *ſi multa* 113. de *Conſecrat:* d. 4.

14. *Obviatur Inſtantia quorundã balſami carentiam allegantiũ.*

Objiciunt ſecundò: Matariæ Sacramentorum dabent faciliter haberi poſſe: ſed balſamum difficulter habetur:ergo &c. Reſp: Neg: Min: nam noſtris temporibus in bona, & magna quantitate adfertur ex Indiis: quod licèt ſit diverſum ab illo Palæſtino, quo uſus eſt Chriſtus; tamen ex Declaratione Pauli III. & Pii IV. eſt verum balſamum. Deinde non requiritur niſi modicum quid pro mixtione ad oleum; quod proinde facilè poteſt haberi ubique ab Epiſcopis; & ideo rationabiliter Fabianus Papa reprehendit illos Epiſcopos, qui ſingulis ſolùm trienniis renovant Chriſma, volens ut ſingulis annis renovetur.

15. *Conſecratio Chriſmatis qualiter neceſſaria?*

Nota hìc: Conſecrationem, ſeu benedictionem Chriſmatis ab Epiſcopo factam, eſſe neceſſariam neceſſitate etiam Sacramenti pro Materia eſſentiali Confirmationis. Ita Faber, Aretin: Hicq: Ponc: &c. Conſtat ax Florentino in Decreto *de Unione Armen:* Secundò; ex perpetua Eccleſiæ praxi: Tertiò; ex conſenſu SS: Patrum. Congruentiam dat Scotus 4. d. 7. q. 1. quòd Chriſtus contactu ſuæ carnis mundiſſimæ omnem aquam conſecraverit in uſum Baptiſmi; non ſic autem Materiam illam Confirmationis; & ideo requiritur hìc ſpecialis ſanctificatio. Unde Eccleſia diſpenſare nequit, ut miniſtretur Confirmatio ungventò non conſecratò.

16. *Poteſt ſimplici Sacerdoti committi conſecratio Chriſmatis.*

Quæres: an hæc benedictio poſſit ex commiſſione Papæ ſaltem fieri à ſimplici Sacerdote? Reſpondet negativè Svar: Con: Barb: Herincx & Ponc: Ego tamen cum Cajet: Vict: Valent: Amico & aliis Recentioribus Reſpondeo affirmativè; Et proculdubio hæc fuit Scoti ſententia, qui d. 7. hìc q. 1. ab initio quæſtionis dicit, Chriſma debere, eſſe ſpecialiter benedictum ab Epiſcopo, val ab alio, cui talis ſanctificatio poterit committi; ſequuntur eandem Hicq: Aretin: Branc:

17. *Si poteſt committi Confirmatio: ergo & conſecratio Chriſmatis*

Probatur: quia non poteſt ſufficiens ratio reddi, cur Sum: Pontifex non potuerit aliquando in caſu naceſſitatis adminiſtrationem hujus Sacramenti ſimplici Sacerdoti committere, ut teſtatur Flor: cit: & non poſſit eidem Matariæ conſecrationem committere; cùm majus ſit illud, quàm hoc: ergo &c.

18. *Rejicitur hìc quadã inſtantia.*

Nec valet, quod aliqui afferunt pro diſparitate; quòd nimirùm in facultate miniſtrandi hoc Sacramentum legamus aliquando fuiſſe diſpenſatum; non autem in facultate benedicendi Chriſma: Non valet inquam; quia hoc non probat poteſtatis defectum in Papa, ſed negationem duntaxat facti.

19. *Gloſſantur CC.*

Contra noſtram Reſponſionem Objiciunt Advarſarii; Concilia, & Canones declarantes, hanc eſſe propriam Epiſcopi

circa consecrationẽ Chrismatis

functionem; ac proinde prohibitam Præsbyteris. Sed citati Canones non solùm hoc asserunt de confectione Chrismatis, sed etiam de ejus ministerio; & tamen ex commissione Papæ ministerium potest fieri à simplici Sacerdote. Volunt ergo Canones, & Concilia ordinariè confectionem esse functionem propriam Episcopi; extraordinariè verò etiam poterit esse functio simplicis Sacerdotis, sicut est ejus administratio.

QUÆSTIO III.

De Materia proxima, & Forma Confirmationis.

1. Assignatur Materia proxima Confirmationis ex Florent.

DICO primò: Materia proxima Confirmationis est Unctio cum Chrismate, facta in modum Crucis pollice dextro Episcopi, in fronte confirmandi. Ita communiter Doctores.

Patet ex Florentino cit: & Ritualibus: ac praxi Ecclesiæ: Florentinum habet sequentia verba; *Ideo in fronte, ubi verecundiæ sedes est, Confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè Crucem ejus, quæ Judæis est scandalum; Gentibus autem stultitia, secundùm Apostolum, propter quod Crucis signô signatur.*

2. Unctio debet esse in fronte confirmandi necessario.

Ex his colligitur cum communi; Unctionem frontis confirmandi pertinere ad substantiam Sacramenti: ita Scotus 4. q. 1. d. 7. colligitque rationem ex perpetuo usu Ecclesiæ; unctiones verò alias, quæ in Orientali Ecclesia teste Cyrillo Hierosol: olim adhibebantur, etiam in oculis, naribus, & ore, fuisse tantùm accidentales.

3. Unctio virgulâ facta, valida est.

Colligitur secundò: Unctionem factam aliò digitô, quàm pollice; vel etiam factam virgulâ, non invalidare Confirmationem, quàmvis peccaretur. Ratio est: quia talis unctio adhuc censeretur esse vera unctio; adeóque forma circa illam varificari potest; sicut injectio manûs in Clericum censetur vera, & sufficiens ad incurrendam censuram vi Can: *si quis suadente* &c. q. 4. etsi fieret pede, vel instrumentò.

4. Exprimitur Forma Confirmationis.

DICO secundò: Forma essentialis Confirmationis est: *signo te signô crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Ita expressis terminis Florentinum *in Decreto*; & Pontificale Romanum. Patet: quia per eam exprimitur materia proxima, & remota, causa instrumentalis, & principalis, subjectum, & effectus Sacramenti Confirmationis: ergo &c.

5. In quibus verbis essentialiter consistat Forma Confirmationis.

Quæres: An omnia hæc verba sint essentialia? Affirmant Svar: Conink Aversa Aretinus, & RR. passim. Ego cum Hicq: Ponc: & Amico Respondeo Negativè: Sufficit enim, ut essentialiter exprimatur in Forma ista causa principalis actûs Confirmationis, seu Ministri, ùt applicati ad personam, cui confertur, ut sidicatur: *Consigno te in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Ratio mea est: quia forma, quâ utuntur Græci, hæc est: *Signaculum doni, vel donationis Spiritûs Sancti*; in qua subintelligitur ly *accipe*, vel *donetur tibi*; & traditur à sexta Synodo Generali Can: 95. quæ hactenus à nullo Græco est revocata in dubium, tanquam non sufficiens; & tamen non habet omnia illa, quæ habet nostra Latina Forma: ergo &c. Confirmatur: Clemens VIII. in *Bulla unionis* inter Græcos & Latinos, hujus Formæ Græcæ meminit, eamque ut validam supponit: unde refert Amicus, decisum esse Romæ in S. Congregatione, hanc Græcam Formam esse validam; in qua tamen plura verba nostræ Formæ non habentur: ergo &c.

6. Invocatio Trinitatis implicita sufficit in Forma Confirmat.

Quæres secundò: An invocatio Trinitatis explicita requiratur de necessitate Sacramenti, in Forma Confirmationis? Affirmant Theologi multi. Respondeo tamen; implicitam sufficere ad valorem Sacramenti hujus, ut explicetur implicitè; sicut fit in Forma Græca per illam particulam *Spiritûs Sancti*, cui appropriatur effectus hujus Sacramenti. Ratio est; quia forma Græca est valida; & tamen ibi implicitè tantùm exprimitur Trinitas, quatenùs Spiritus S. est Donum Patris, & Filii. Deinde illa Forma est valida, in qua exprimitur causa principalis; sed sinè explicita invocatione Spiritûs S. exprimitur causa principalis Sacramenti, nominando solum Spiritum Sanctum, qui est DEUS: ergo &c.

7. Apostoli quandoq cum Forma, quandoq sinè Forma confirmabãt.

Quæres tertiò: An Apostoli ullam Formam adhibuerint in Confirmandis Fidelibus? Respondeo cum distinctione; quòd quando confirmabant Apostoli per solam manuum impositionem; ut supra ostendi esse factum; tunc non adhibebant Formam ullam Latinam, vel æquivalentem; quia non aderat debita Materia Chrismatis, circa quam proferretur Forma: unde non conficiebant Apostoli tunc Sacramentum, sed tantùm ex speciali dispensatione conferebant effectum Sacramenti, scilicet Spiritum S. Quando verò Confirmabant cum applicatione Chrismatis, adhibebant Formam, vel Latinam, vel æquivalentem; unde dicitur Act: 8. v. 15. quòd *oraverunt pro illis*, exprimendo scilicet aliqvam devotam Formam Confirmationis.

QUÆ-

QVÆSTIO IV.

De Ministro Confirmationis.

1. Episcopus est Minister Ordinarius Confirmationis.

DICO primò: Ordinarius Minister Confirmationis est solus Episcopus. Probatur primò ex Definitione Florentini, & Tridentini sess: 7. Can: 3. de Confirmatione sic loquente: *Si quis dixerit S. Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, Anathema sit.*

2. Ubi patet ex Canonibus.

Probatur secundò ex pluribus aliis Decretis, quæ referuntur de *Consecrat*: d. 5. ergo &c.

3. Et Actis Apostolorum.

Colligitur etiam ex Actis Apostolorum; ubi soli Apostoli, tanquam Episcopi, leguntur contulisse Confirmationem: nam cap: 8. multis à Philippo Diacono baptizatis in Samaria, missi sunt eò Apostoli ad Confirmandum eos. Similiter Act: 19. soli Apostoli leguntur confirmâsse: ex quibus locis Innoc: I. Epist. 1. c. 3. Item Eusebius Epist: 3. *ad Episcopus Tuscia, & Campania*; Innoc: cap: un: *de sacra unctione* §. penultimo; & Florent: deducunt; solis Episcopis competere, tanquam Ordina- Ministris Confirmationis ministerium: ergo &c. Conclusio etiam patet ex Greg: Mag: cap: *pervenit* dist: 95. Gelasio cap: Presbyteros d. 95: Chrysostomo hom: 18. *in Acta Apostolorum*: ergo &c.

4. Tolet. Concil: exponitur circa Ministrum Confirmationis.

Objicies primò: Concil: Toletanum I. cap: 10. dicit: *Statutum est, Diaconum non Chrismare, sed presbyterum absente Episcopo*: ergo absente Episcopo Presbyter simplex potest chrismare. Respondeo: Concilium non agere de Chrismatione Confirmationis; sed de unctione baptizati in vertice; de qua loquitur Innoc: I. Epist: 1. c. 3. dicens: *Presbyteris, seu extra, seu præsente Episcopo, cùm baptizant, Chrismate baptizates ungere licet.*

5. Qualis olim Ecclesia consuetudo in ungendo vertice.

Nota: Olim non fuisse solitos Presbyteros baptizare præsente Episcopo; nisi de ejus licentia; & per consequens nec ungere Chrismate in vertice; ut patet ex Leone Epist: 88.

6. Etiam Degradatus Episcopus validè Confirmat.

Nota secundò: quemlibet Episcopum, etiam excommunicatum, Hæreticum, vel degradatum, validè hoc Sacramentum Confirmationis conferre. Ratio est; quia est actus Ordinis, non Jurisdictionis; actus autem Ordinis à nemine auferri potest; cùm pendeat à solo Christo: ergo &c.

7. Confirmandus debet esse subditus Episcopi.

Nota tertiò: ad licitè conferendam Confirmationem, Confirmandum debere esse subditum Episcopi Confirmantis; nisi Confirmatio conferatur de expressa, vel saltèm præsumpta licentia alterius Episcopi, cui subditus est Confirmandus.

8. Extraordinarius Minister Confirmationis potest esse simplex Sacerdos.

DICO secundò: Minister Extraordinarius ex commissione Summi Pontificis, potest esse simplex Sacerdos. Ita D. Thom: Alensis, S. Bonav: & Scotus 4. dist: 7. q. 1. Quem proinde Comptonus disp: 70. sect: 2. malè citavit in oppositum: Verba Doctoris loco cit: sunt hæc: *Minister est Episcopus, vel alius, cui committi poterit.*

9. Presbyteri Sardiniæ olim Confirmabant

Probatur primò ex facto Gregorii Magni; qui lib: 3. *Epist*: 26. Indict: 12. & refertur cap: *pervenit*, dist: 95. concessit Sacerdotibus Sardiniæ licentiam Confirmandi, in absentia Episcoporum. Cujus facti mentionem facit Florent: in Decreto *de Armenis* dicens; *Legitur tamen aliquando per Apostolica Sedis dispensationem, ex rationabili, & urgente causa, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc ministrâsse Confirmationis Sacramentum*: quod non improbatur à præfato Concil: ergo &c.

10. Etiam Ecclesia Orientalis.

Probat secundò Hicquæus Conclusionem ex multis Patribus dicens; fuisse consvetudinem antiquam Ecclesiæ Orientalis, approbatam in Florent: & Canonibus Concilii Nicæni; quòd rarò, aut nunquam Sacramentum Confirmationis fuerit ab Episcopis administratum; quia conferebatur simul cum Baptismo, qui à Sacerdotibus simplicibus administratur. Circa quod videatur S. Ambrosius in *cap*: 4. *ad Ephes*: & S. Augustinus lib. *Quæstionum de veteri, & novo Testamento* cap: 101.

11. Et FF: Minores ex concessione Adriani.

Probatur tertiò ex Adriano VI, qui facultatem Confirmandi dedit Fratribus Minoribus, in Indiis degentibus: cujus concessio authentica dicitur esse in Conventu nostro Hispalensi: ergo &c.

12. Cur Bulgari Confirmati de bebant reconfirmari.

Objicies: Bulgari Confirmati à Sacerdotibus Photii Patriarchæ Constantinopolitani, ab Episcopis Latinis reconfirmati fuerunt, ut patet ex *Epist*: *Syn*: 8. ergo. Respondeo: ideò tantùm ipsos fuisse reconfirmatos, quia illi Sacerdotes Photii non habebant Jurisdictionem Bulgaros Confirmandi; ac proinde invalidè fuerunt Confirmati defectu Jurisdictionis; non verò quia simplices tantùm Sacerdotes erant, qui Confirmabant. Quod autem non habuerint Jurisdictionem, ostendit Adrianus Papa II. Epist: *ad Ignatium Patriarcham*; quia missi erant ab intruso Patriarcha excommunicatò, & sacris exercendis in Bulgaria interdicto.

13. Explicantur Decre-

Decreta Pontificum diversorum, quæ passim adducuntur, prohibentia simplicibus Sacerdotibus collationem Confirma- tionis,

ta Pontificum contraria Conclusioni. tionis; vel loquuntur de Sacerdotibus tantùm Latinis, quibus de facto omninò est prohibitum administrare Confirmationem: Vel certè solùm inteoduot, ut simplices Sacerdotes non conferant Confirmationem ordioariè, benè tamen ex dispensatione Summi Pontificis.

14. *Unde conveniat simplici Sacerdoti facultas Confirmandi?* Nota hic: facultatem conferendi Confirmationem noo provenire Sacerdoti simplici ex sola dispensatione Papæ, neque ex solo Ordine, ut putant multi; sed ratione utriusque: ratione Ordinis quidem remotè, & inchoativè; proximè autem ratione dispensationis Papalis, reducentis quasi potestatem remotam in actum.

15. *Confirmatio à non jejuno Ministro, & extra Ecclesiā conferri potest.* Nota secundò: non esse necesse, ut Episcopus conferens Confirmationem, sit jejunus; nec etiam ut recipiens sit jejunus: Item non est necesse, ut conferatur in Ecclesia; unde conferri potest in alio loco honesto: similiter conferri potest extra diem Festum. Ratio omnium horum est; quia nullibi extat præceptum formale, ut modò prædictò conferatur: ergo &c.

16. *Papa non consecratus potest delegare facultatem Confirmandi.* Quæres: An Pontifex non consecratus possit concedere facultatem simplici Sacerdoti Confirmadi? Respondeo affirmativè: Ratio est; quia talis concessio est actus Jurisdictioois, qui non requirit consecrationem: unde si Pontifex ipsemet adhuc foret simplex Sacerdos, posset illam facultatem dare sibi ipsi. Potest etiam commissionem hujus facultatis aliis delegare v. g. Episcopis, & Patriarchis; juxta regulam communem de ordinariæ potestaris delegabilitate. Concessio insuper semel facta, non exspirat morte concedentis. An autem cesset cessante causâ? resolvendum est ex iis, quæ tradi solent in Tract: *de Legibus*, de cessatione Privilegii gratiosi.

17. *Non item Cardinales Sede vacante.* An Sede vacante possit hanc facultatem tribuere Collegium Cardinalium dubitari solet: sed dicendum, quòd non: hæc enim extraordinaria potestas sinè speciali fundamento, vel commissione Pontificia (de qua non constat) asseri nequit. Nec habet Collegium istud propriè ratione Capituli Sedis vacantis. Puto tamen, quòd Papa vivens posset Collegio Cardinalium id concedere; cùm possit delegare cum potestate subdelegandi; & facultas per mortem non exspiret.

QUÆSTIO. V.
De Suscipiente Confirmationem.

1. *Omnis, & solus Baptizatus* DICO primò: Omnis, & solus baptizatus, non Confirmatus, validè suscipit Confirmationem. Est judicium commune DD:

non Confirmatus potest Confirmari. Probatur prima pars; quòd *omnis baptizatus validè suscipiat* ex Urbano I. in Epistola Decretali c. 7. quæ ponitur *de Consecrat:* dist: 5. cap: 1. dicente: *Omnes Fideles per manûs impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post Baptisma accipere debent, ut plenè Christiani inveniantur*: ubi Pontifex nullum sexum excludit, adeoque nec pueros, nec amentes, nec infirmos, nec etiam energumenos: nam si his concedat Conc: Arausicanum I. Can: 14. Eucharistiam; cur non etiam Confirmationem.

2. *Ratio pro prima parte Conclusionis.* Probatur secundò ratione; Omnes baptizati sunt capaces characteris, & tam gratiæ habitualis, quàm actualis, quam Sacramentum Confirmatioois confert ad Fidem constanter profitendam: ergo &c.

Probatur secunda pars; quòd *solus baptizatus validè suscipiat*: Baptismus enim est janua aliorum Sacramentorum suscipiendorum: ergo solus Baptizatus validè suscipit Confirmationem.

3. *Ratio, & congruentia prosecunda.* Confirmatur congruentiâ D Thomæ: Confirmatio est quædam Baptismi perfectio; unde sicut nemo potest corporaliter crescere, nisi fuerit corporaliter genitus; ita nec per Confirmationem crescere in vi, rum Christianum, nisi priùs fuerit in gratia genitus per Baptismum.

4. *An Cornelius, & Socii fuerint Confirmati ante Baptismum.* Objicies Spiritus Sanctus fuit datus Cornelio, & Sociis ejus antequam baptizarentur, dicente Scripturâ Act: 10. v. 44. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes*: & postea primò sequitur de eorum Baptismo v. 48. *& jussit eos baptizari*: ergo &c.

Respondeo cum Scoto 4. d. 7. q. 1. extraordinariò modò Cornelium, & Socios fuisse Confirmatos, sinè Sacramenti alicujus applicatione: Condusio autem loquitur de modo ordinario. Potest etiam dici, quòd priùs fuerint baptizati Baptismo flaminis; antequàm Spiritu Sancto Confirmarentur.

5. *Non est obligatio gravis suscipiendi Confirmationem.* DICO secundò: nulla exstat gravis obligatio per se loquendo, de suscipienda necessariò Confirmatione.

Probatur: nam neque ex ullo Divino, neque Ecclesiastico præcepto obligatio per se suscipiendi Sacramentum Confirmationis ostendi potest: ergo &c.

6. *Authoritas Melchiadis exponitur.* Objicies: Melchiades Papa in Decretali sua dicit: *victuris necessaria esse Confirmationis auxilia*: ergo &c. Respondeo eum non dicere ipsam Confirmationem; sed tantùm Confirmationis auxilia esse necessaria; quæ aliunde haberi possunt, quàm per Confirmationis Sacramentum; ut patet in iis Martyribus, qui ante realem sum-

sumptionem Confirmationis, fortiter protestati fuerunt Fidem, & mortui pro ea.

7. *Quandoq; mortale est negligere Confirmationem.* Nota tamen: per accidens fieri posse quod ratione alicujus circumstantiæ, puta scandali; vel in proximò publicè protestandæ Fidei; vel ob contemptum, non recipiens Confirmationem, si posset, mortaliter peccaret.

8. *Ante septennium modò non debet dari Confirmatio.* Quæres: quò tempore congruat Fidelibus conferre Confirmationem? Respondeo; quòd licèt olim, ut patet ex PP: Aug: Tertul: & aliis, Confirmatio conferretur Fidelibus adhuc in infantia constitutis; imò immediatè post Baptismum, ob persecutiones Tyrannorum; modò tamen aliter ordinatum est, & invaluit usus Ecclesiæ, ut ante septennium, seu rationis usum, non detur. Ita habetur in Catechismo Romano p. 2. cap: 3. q. 14. Item in Conc: Aurelianensi, & ponitur *de Consecrat:* d. 5. c. 6. Rationem dat Glossa: *Neque enim Confirmatio ad salutis necessitatem instituta est; sed ut ejus virtute optimè instructi, & parati inveniamur, cùm nobis pro Fide Christi pugnandum esset, ad quod sanè pugnæ genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos judicavit.*

9. *Status gratiæ requiritur in recipiente Confirmationem.* DICO tertiò: ut quis licitè Confirmationem suscipiat, requiritur, & sufficit status gratiæ. Hæc est extra controversiam apud Catholicos.

Probatur à simili de aliis Sacramentis vivorum; quæ ex natura rei postulant statum gratiæ, ut suscipienti conferant suum effectum: hicque sufficit ad effectum eorum recipiendum: ergo & in Sacramento Confirmationis.

10. *Non verè jejunium.* DICO quartò: non requiritur ad licitè suscipiendam Confirmationem jejunium. Patet ex praxi moderna Ecclesiæ recepta.

11. *Effectus Confirmationis est gratia Sanctificans.* DICO quintò: Confirmatus accipit gratiam sanctificantem, & specialem Spiritûs S. assistentiam, ad constanter profitendam Fidem, & characterem. Est communis apud Theologos.

Probatur prima pars à paritate aliorum Sacramentorum. Et deducitur ex Act: Apostolicis cap: 8. ubi ostenditur, per hoc signum dari Spiritum Sanctum, qui absolutè nemini datur nisi cum infusione gratiæ sanctificantis: ergo &c.

12. *Ut patet ex Scriptura.*

13. *Et gratia actualis.* Probatur secunda pars ex Florent: dicente in Litt: Unionis: *Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus S. ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut Christianus audacter Christi confiteatur nomen.*

Probatur secundò; testimoniis Urbani, & Melchiadis Sum: Pontificum quæ habentur de *Consecrat:* dist: 5. c. 1. & 2.

QUÆSTIO VI.

De Patrinis, & Cæremoniis Confirmationis.

1. *Patrinus Confirmationis diversus debet esse.* DICO primò: in Sacramento Confirmationis debet adhiberi Patrinus, distinctus à Patrinis Baptismi. Ita sentiunt Catholici DD:

Probatur ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, quæ vim legis jam habet: hujus consuetudinis jam olim meminit Hyginus: & refertur *de Consecrat:* dist: 4. c. 100.

2. *Idem tamè baptismi & Confir: sinè mortali accipitur.* Notat tamen Bartholomæus ab Angelo apud Dianam part: 3. Tract: 4. res: 21. accipientem eundem Patrinum in Confirmatione recipienda non peccare mortaliter.

3. *Unicus Patrinus adhibendus.* DICO secundò: Patrinus Confirmationis debet esse tantùm unus. Colligitur ex Decreto Leonis Papæ, quod habetur *de Consecrat:* d. 4. c. 100.

4. *Opposita tamen sententia etiam probabilis de 2. Patrinis.* Notat tamen noster Bosco hìc, non esse improbabilem opinionem, quæ docet de facto posse duos Patrinos adhiberi in Confirmatione, & uterque probabiliter contrahet cognationem spiritualem. Ratio potest esse; quia Trident: videtur hoc idem velle circa Confirmationem, quoad Patrinos; quod vult circa Baptismum: in Baptismo autem possunt esse duo diversi sexûs: ergo & hìc. Mens Tridentini inde deducitur; quia eòdem modò utramque cognationem ortam in Baptismo, & Confirmatione restringit contra Jus vetus.

5. *Patrinus debet esse Confirmatus.* DICO tertiò: Patrinus Confirmati debet esse priùs Confirmatus.

Probatur ex Determinatione Conc: Mogunt: & refertur *de Consecrat:* dist: 4. c 102. Et in Pontif: Rom: dicitur: *Nullus, qui non sit Confirmatus potest esse in Confirmatione Patrinus.*

6. *Aliàs non contrahit cognationē.* Ex his deducunt Doctores communiter; Patrinum non Confirmatum assistendo peccare mortaliter: imò nec contrahere affinitatem.

7. *Monachi, & Mendicantes his temporib⁹ possunt esse Patrini.* DICO quartò: Monachi, Moniales, & Mendicantes, Minoribus exceptis, possunt esse Patrini Confirmandi & baptizandi. Ita Dian: Dicastillo, Bosco &c.

8. *Ratio ad hoc.* Probatur: Si ob aliquam causam Monachis, Monialibus, & Mendicantibus non liceret munus Patrini obire in Confirmatione, & Baptismo, esset propter prohibitiones diversas, Jure Canonico contentas; editas contra Abbates, & Monachos Compatres in Baptismo, & à pari in Confirmatione; quæ habentur *de Consecrat:* d. 4. c: 103. *non licèt*; & 104. Et in Constitutione 16. Eng: q. 1. c. 8. sed hæ non obstant;

stant: ergo &c. Probatur Min: obligatio illarum prohibitiooum jam cessavit: cùm causæ illarum cessaverint, ut ait Rodriq: tom: 1. qq: Reg: q. 31. art: 1. qoàm tangit quædam Glossa in cap: *Monachi* 104. de *Consecrat:* d. 1. verbo *ne osculentur*, scilicet, ne osculeotur fœmioas; nam ùt inquit Glossa, consuetudo fuit aliquorum locorum, io quibus Compatres osculabantur Commatres; propter quam consuetudinem decreverunt Concilia, & Pontifices, ne Monachi Compatres fierent: cùm ergo hæc consuetudo cessaverit, lex etiam videtur cessasse: cessaote enim ratione legis, cessat quoqoe ejus dispositio, ut ioquit Legista.

9. *Stabilitur ulterius Conclusio.*

Deinde: tametsi adhuc dictæ prohibitiones essent io vigore, quod tamen plurimi Doctores negant; non extenduotur tamen ad Patrioos Confirmationis: Primò; quia solùm loqountur de Compatribus in Baptismo. Secundò: quia cessat in Monachis, & aliis specificatis assistentibua Coofirmatiooi obligatio iostructionis: & consequeoter occasio conveoiendi cum fœmiois frequentiùs: ergo &c.

10. *Num F. Minor peccaret agendo Patrinum.*

Noo peccaret proiode modò Monachus, vel Religiosus, si ex rationabili causa requisitus Patrioum ageret, tam in Confirmatione, quàm Baptismo; & fortassis etiam Frater Minor non obstante suæ Regulæ cap: 11. *Nec fiant Compatres virorum, vel mulierum, ne hâc occasione inter Fratres, vel de Fratribus scandalum oriatur: nam hoc* (inquit Capitulum nostrum Generale 44. Interamnæ celebratum Anno 1500.) *præcipuè intelligendum est de viris, & mulieribus vilis conditionis, & mala fama; tali enim occasione inter Fratres, vel de Fratribus scandalum facilè oriri potest: secus esset de viris nobilibus, & generosis, ex quorum consortio decus, & splendor Religioni acquiritur: sicut igitur Ecclesia id vetat Monachis, ita nostra Regula Fratribus Minoribus.* Hæc Generale Capitulum.

11. *Cæremonia confectionis Chrismatis*

Circa Cæremooias communitar adhiberi solitas io ipsa confectiooe Chrismatis requisita ad Confirmatiooem, nolo morari: videri enim possunt in Pontificali Rom: solùm alias breviter adducam.

12. *Cæremonia ipsius Confirmationis.*

Prima ergo Cæremooia est; ut Episcopus ob reverentiam Sacramenti, iodutus habitu Pootificali, Confirmationem admioistret. Secunda est; ut caput Confirmati circumligetur vittâ, seu linteò, quod fit similiter ob revereotiam Chrismatis, ut paulatim exsiccetur, & oe aliis rebus adhæreat. Tertia; ut Episcopus det Confirmato alapam, ut intelliga: se armari hôc Sacramentò, ad injurias pro Christo tolerandas; vel certè, ut recordetur Sacramenti suscepti, & militiæ ad quam exercendam conscribitur. Quarta, est circumstantia loci, puta Ecclesiæ, vel alterius decentis loci, & temporis, videlicet, Paschæ, & Pentecostes, uti erat ordinatum olim; quamvis modò cooferri possit quàvis die, & horâ. Quinta; quòd debeat esse Patrious; habetur *de Consecrat:* dist: 4. qui ex Decreto Leonis Papæ c. *non plures* 101. debet esse tantùm unus, vel uoa, qui tenendo Coofirmatom cootrahuot cogoationem spiritualem. Etsi oppositom etiam sit probabile, utì dixi sopra Coocluone 2. Vide plura de Cæremoniis Coofirmatioois & aliis, apud Navar: Zambran: Heoricq: Suar: Conink & alios DD.

13. *Nulla existit obligatio instruendi Confirmatum.*

Obligatio Confirmatum instrueodi, noo est io Jure expressa; ut notat Henriq: & alii: Unde tenent nonnulli, Mooachis noo esse prohibitum, agere Patrinos Confirmationis, propter non anoexum oous iostruendi. Alii contra dicunt: id saltèm credibile est, quod plures docent, posse Mooachum io Confirmatione tenere Mooachum coofirmandum; imò id fieri apparet magìs conveniens.

DISTINCTIO IV.

D E

VENERABILI EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

PRÆFATIO.

QUantam Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum (de quo Tractatum hunc instituo) præ cæteris Sacris Ecclesiæ signaculis, sortiatur præeminentiam, aptè ostendit Angelicus Doctor opusculo 57. dum illud appellat *miraculorum à Christo patratorum maximum* : & S. Trident. Synodus Sess: 13. cap:2. dicens, *esse pignus futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis ; adeoq; symbolum unius illius corporis, cujus Christus Caput existit, cuiq; nos tanquam membra arctissima fidei, spei, & charitatis connexione adstrictos esse voluit ;* Verbô est omnium antiquorum Sacramentorum consummatio, omnium beneficiorum compendium, & frugale Passionis Christi Memoriale. De hoc itaque sit:

QUÆSTIO I.

De Definitione Eucharistiæ; ejusque insignibus differentiis ab aliis Sacramentis?

1. *Eucharistia quid nominis.*

EUcharistia vox Græca est, Latinè sonat *bonam gratiam*, vel quia Christum gratiæ bonæ Auctorem continet realiter ; vel quia futuram gloriam ex Christi gratia dandam significat; unde & futuræ gloriæ pignus dicitur. Alii transferunt *Gratiarum actio*; quia in honorem Passionis, & mortis Christi in gratiarum actionem consecratur. Circa hoc augustissimum Sacramentum.

2. *Eucharistiam esse verum Sacramentum docent CC.*

DICO Primò: Eucharistiam esse proprium, & verum Sacramentum.

Probatur primò ex dictis de Sacramentis in genere. Secundò; ex Florent: Concil: Lateranensi cap: *Firmiter*; & Carthaginensi 3. c.24. ante mille ducentos & ampliùs annos celebrato. Tertiò; ex perpetua Ecclesiæ traditione; & omnium Sanctorum Patrum consensu. Quartò; ex S. Matth. 26. Marci 14. Luc: 22. Joan: 6. ad Cor: 1. cap: 11. quibus in locis habetur ejus institutio.

3. *Et Ratio.*

Et ratio est; quia species panis, & vini sunt quid sensibile, à Christo ordinatum ad significandam gratiam. Deinde congruum fuit, inquit Scotus hic, ut Christus esset nobiscum in aliquo signo sensibili Sacramentali, ut magis excitetur quilibet ad reverentiam, & devotionem ad Christum.

4. *Figura Sacramenti Eucharistia.*

Fuit hoc Sacramentum præfiguratum teste Cyp: Ambros: & aliis in pane, quem protulit Melchisedech Gen: 14. In pane Propositionis, qui solùm à mundis comedi poterat, 1. Reg: 21. In pane Primitiarum, Levit: 23. In pane Subcinericio, & Angelico 3. Reg: 19. In Manna; in Agno Paschali; & sanguine Testamenti Exodi 24. ac aliis innumeris umbris Vet: Testament:

5. *Scoti descriptio pro Eucharistia.*

Scotus hic describit Eucharistiam 4. d. 8. q. 1. sic, Eucharistia *est Sacramentum Corporis Christi, & sanguinis veraciter contenti sub speciebus panis, & vini, post Consecrationem factam à Sacerdote sub verbis certis, cum debita intentione prolatis, ex institutione veraciter significans Corpus Christi, & Sanguinem sub eis realiter contineri.* Ego brevitatis gratiâ.

6. *Alia apponitur.*

DICO secundò: Eucharistia benè definitur; est Sacramentum ex institutione Divina veraciter significans sub speciebus panis, & vini corpus, & sanguinem Christi realiter contineri. Ly *Sacramentum* est genus : cæteræ particulæ sunt differentiales. Per ly ex *institutione Divina* insinuatur

O causa

caosa principalis; scilicet DEUS omnium Sacramentorum Author. Per ly *veraciter significans*, iosinuatur forma Eucharistiæ, quæ est relatiu figni ad figoatum. Per ly *sub speciebus panis, & vini* denotatur materia converfioois; quæ est fundamentum proximom talis relationis. Additur *corpus, & sanguinem*; ut ostendatur terminus, & significatum talis relationis.

7. *Differt Eucharistia ab aliis Sacramentis, eò quòd sit Sacramentum permanens.*

Quoad differentias Eucharistiæ, & excellentias super alia Sacramenta Nota primò ex Scotu 4. d. 8. q. 1. primam differentiam, & præcellentiam ejus esse; quòd alia omnia Sacrameuta sint soccessiva, & coosistant io actiooe; ita ut idem sit ibi esse Sacramentom, & perceptiu Sacramenti: Eucharistia verò sit quoddam permanens, etiam ante usum.

8. *Item quòd semper significet suum effectum.*

Seconda differeotia est ex eodem; quòd sit simpliciter veracissimom io significando suom effectum; alia enim Sacramenta quandoque, inquit Doctor cit: noo habeut effectom soom signatom propter iodispositiouem suscipientis; istud autem nunquam caret suô figoatô.

9. *Quòd effectum signatum realiter contineat.*

Tertia ex eodem: qoòd Eucharistia id, quod primariò significat, huc realiter contiueat, scilicet Christum; alia verò Sacramenta non.

10. *Et gratiam subsistentem significet.*

Quarta ex eodem: quòd Encharistia significet priucipaliter gratiam subsistentem, puta corpus verum Christi; alia verò Sacramenta solam gratiam accidentalem iohæreotem: Et ideo Trid: Sess: 13. ploriès appellat Euehariftiam, Sacramentum Divinum, Mirabile; Sacrosaoctum, Sanctissimum &c.

QUÆSTIO II.

De Institutione Sacramenti Eucharistiæ.

1. *In ultima Cœna est Eucharistia instituta.*

NOta ptimò: quòd circa institutionem Eucharistiæ conveniant omoes, esse institutam à Christo iu ultima Cœna. Et patet ex Evangelistis supra citatis. Item ex Clement: uo: *de Reliquiis & Veneratione SS. 5. transiturus*, Trid: Sess: 13. c. 1.

2. *Controversia Græcorum cum Latinis.*

Cæterùm circa determiuatam diem, seu Lunam, magna est controversia Latinorum cum Græcis: Græci enim ut faciliùs suum sermentatum defendaot, & ostendaot Christum iu fermentatu Consecrâsse; docent Christum unô die anticipâsse esum agni Paschalis, contra præscriptom Legis; & comedisse agnom ad finem Lunæ decimæ tertiæ; ac consequenter tunc instituisse Sacrameutum Eucharistiæ, quô tempore licebat adhuc vesci fermeotatô. Latini è contra doceut Christom Lunâ 14. primi mensis joxta ritom Judæorum, & agnum Paschalem comedisse, & Euchariftiam iustitoisse, quandu jam azymis debebant uti Judæi.

3. *Anni Hebræorum quales.*

Nota secundò: Judæos computâsse aonos per menses Luoares, illumqoe mensem appellâsse primum, cujus Luua decima quarta iucidebat in diem æqoiooctii verui; vel propiùs ipsum seqoitur, estque apud nos Martialis Luua. Meosem istom vocabaut *Nisan*, ùt patet Esther 3. & eòdem Ægyptum egressi legontur Exodi 12.

4. *Usus Hebræorum circa solemnitatum exordium.*

Nota tertiò: Judæos fuisse solitos incipere suas festivitates à Vespera, id est, ab occasu Solis præcedente diem festivum, juxta illud Levit: 23. v. 32. *A Vespera ad Vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*: diem autem vulgarem iucipiebant ab ortu Solis: qoia Christus commoui Ecclesiæ sensu dicitur Crucifixus circa horam sextam, juxta computum Judæorum, quæ est duodecima juxta horolugium Germauicum nostrom; cùm ergo nos computemus diem vulgarem à media uocte; sequitur Judæos computâsse ab ortu Solis.

5. *Decisio pro Latinis ratione 14. Luna.*

DICO primò: Christos ultimam Cœnam, iu qua instituit hoc Sacrameotum, celebravit ad Vesperam secundam, seu finem Lunæ decimæ quartæ, & primam Vesperam Lunæ decimæ quiutæ. Ita communiter Latini.

6. *Qua probatur ex Scriptura.*

Probatur: Christus celebravit ultimam Cœoam, quaudo secuodùm Legem debebat comedi agnus Paschalis: sed agnus debebat comedi ad secondam Vesperam Lunæ 14. ergu &c. Probatur Maj: ex Evaug: nam Christus misit discipulos suos ad parandum agoum Paschalem, *die Azymorum, iu qua necesse erat occidi Pascha* inquit S. Lucas, cap: 22. v. 7. Et Marc: 14. & Matth: 26. ergu &c. Min: etiam probatur ex Exodo cap: 12. Levit: 23. & Num: 28. ubi dicitur agnum debere comedi Vesperâ immediatè præcedente primum diem festum azymorum; sed iste erat Lunæ 14. quia locis citatis Luua 15. dicitur ipsa sulemuitas azymorum: ergo agnus Paschalis debebat cumedi ad secuodam Vesperam Lunæ 14.

7. *Agnus Paschalis 14. Lunâ comedebatur.*

Eadem Miuor probatur secundò: Filii Israel egressi suut ex Ægypto quintâ decimâ die mensis Nisan, seu primi mensis, alterâ die Phase, id est postridiè agui immolati, ut patet Num: 33. ergo agnos immolaodus fuit die quartâ decimâ sub finem.

Tertiò

8. *Probatio ad idem ex Scriptura.*

Tertiò Probatur eadem Minor: ex locis cit: Exodi: Levit: & Num: erant ſeptem dies azymorum, qui (ùt habetur Marci 14.) incipiebant cum eſu agni, & durabant usque ad vigeſimam primam diem menſis primi ſecundùm Exod: usque ad Veſperam: quæ Veſpera neceſſariò intelligitur eſſe ultima diei 21; cùm iſte dies dicatur ſolemnior reliquis in Exodo, & Levit: cit: ergo agnus Paſchalis erat comedendus ad ultimam Veſperam Lunæ 14; ſi enim priùs fuiſſet comedendus, fuiſſent plures dies azymorum quàm ſeptem; ſi ſeriùs, dies azymorum duràſſent ultra 21. diem Menſis Niſan.

9. *Concluditur principaliter intentum.*

Si ergo Cœna Dominica, & eſus agni fuit celebratus Lunâ 14. ergo Lunâ 14. fuit inſtituta Eucharistia, & conſequenter in pane azymo.

10. *Argumentum urgens contra Græcos.*

Eſt & aliud argumentum contra Græcos manifeſtiſſimum; Chriſtus totò tempore vitæ ſuæ fuit obſervantiſſimus Legis Moſaycæ; quia, ùt dicit Chryſoſtomus, homil: 85. in Matth: *In omnibus oſtendebat uſque ad extremum Paſſionis diem ſe non eſſe adverſarium Legis: ergo non eſt veriſimile, quòd in hoc principaliſſimo puncto de celebratione Paſcha vellet abſque ulla urgente cauſa Legem ſolvere, eam anticipando*; maximè cùm in hoc ipſo dediſſet magnam contra ſe calumniandi anſam: ergo &c.

11. *Eucharistia poſt Legalem Cœnam eſt inſtituta.*

DICO ſecundò: Euchariſtia eſt inſtituta poſt Cœnam Legalem, ſeu Cæremonialem agni. Colligitur ex Trid: Seſſ: 22. c. 1. dicente; *Celebrato veteri Paſcha novum inſtituit Paſcha.* Item ex Clement: Unica *de Reliquiis.* Et ex illo Eccleſiæ Hymno: *poſt agnum typicum expletis epulis.* Habetur etiam apud S. Aug: Epiſt: 118.

12. *Et probabiliter ſub finem Cœnæ Uſualis.*

An autem ſit inſtituta ſub initium; an verò poſtquam fuit incepta; an denique ſub finem ejuſdem Cœnæ Uſualis ſeu communis (quæ Cœna Uſualis plerumque poſt Cœnam Legalem feſtinanter abſolvi ſolitam, fiebat in magnis familiis, quibus unus agnus non ſufficiebat pro explenda fame omnium) inter DD: controvertitur: Ego puto fuiſſe inſtitutam ſub finem Cœnæ Uſualis; Ratio mea ſunt illa Hymni verba allata; *poſt agnum typicum expletis epulis*: & verba S. Lucæ, & Pauli: *ſimiliter & calicem poſtquam cœnavit dicens*: Intellige de plena Cœna. Deinde Joannis 13. Chriſtus dicitur, *laviſſe pedes Diſcipulorum* (quos lavit ante inſtitutionem Euchariſtiæ) *cœnâ factâ*, utique Uſuali, cùm de ea ſubjungatur; *Surgit a Cœna, & ponit veſtimenta ſua*; Cœna autem Legalis agni Paſchalis fiebat ſtando juxta Legem: ergo cùm dicatur ſediſſe Chriſtus, ſedit ad comeſtionem Uſualis Cœnæ; & illâ factâ ſurrexit ad lotionem pedum, & factâ lotione iterum recubuit, ad inſtituendam Euchariſtiam: ergo &c.

13. *Etiam Chriſtus communicavit in ultima Cœna.*

Quæres: An ipſe Chriſtus in ultima Cœna ſumpſerit Euchariſtiam? Reſpondeo cum Theologis communiter affirmativè. Colligitur ex PP: ſpecialiter Chryſoſtom: hom: 83. in Matth: *Atque ita Chriſtus ipſe fuit conviva, & convivium, ipſe comedens, & qui comeditur*; ut ex Hieron: ad Hedibiam q. 2. refertur Can: *Nec Moyſes* 87. *de Conſecrat*: diſt: 2.

14. *Pro hoc congruentia.*

Congruentia etiam eſt; quia confert ad dignitatem hujus Sacramenti Chriſti met uſus; & convenit ut ipſe participet de epulis, ad quas cæteros invitat. Tandem in Veteri Lege ſacrificans prior participabat de carnibus victimarum: ergo à pari hìc.

QUÆSTIO III.

Objectiones Græcorum diluuntur.

1. *In quo debuerint figura agnus, & figuratum Chriſtus convenire.*

OBjiciunt Græci primò: Immolatio agni Paſchalis in Lege Veteri fuit typus, & figura immolationis, & Paſſionis Chriſti in Cruce; ſed agnus in Lege Veteri immolabatur Lunâ 14. Menſis primi ad veſperam; ùt ſupra dictum fuit: ergo ut veritas correſpondeat figuræ, debebat Chriſtus eâdem Lunâ 14. mori in Cruce: ſed pridie ante ſuam mortem celebravit ultimam Cœnam, & hoc Sacramentum inſtituit: ergo non Lunâ 14. ſed 13.

2. *Oſtenditur.*

Reſpondeo: quòd ſi veritas in propoſito deberet per omnia correſpondere figuræ; debuiſſet Chriſtus pati, & mori Lunâ 14. ad veſperam; ſicut agnus fuit eô tempore in Veteri Lege immolatus; quod eſt contra omnes Evangeliſtas; qui dicunt Chriſtum horâ nonâ antè meridiem exſpiràſſe.

Dico itaque; quòd ſufficienter correſpondeat figuratum figuræ, quòd Lunâ 14. quâ immolabatur agnus typicus, fuerit verus myſticè immolatus in Sacramento Euchariſtiæ, tunc inſtituto. Et ulteriùs quòd exiſtente jam eâdem ſolemnitate Paſchali, quâ agnus typicus à Judæis immolari conſueverat, verus & myſticus Agnus Chriſtus fuerit in ara Crucis immolatus, & mortuus; licèt non eâdem die, & horâ.

3. *An Chri-*

Objiciunt ſecundò: Si Chriſtus inſtituiſſet hoc Sacramentum Lunâ 14. ad veſperam,

Anus sit mortuus Lunâ 15? speram, fuisset passus, & mortuus Lunâ 15. sequenti; quia pridie ante Passionem, & mortem hoc Sacramentum instituit: sed Christus non fuit passus, nec mortuus Lunâ 15: ergo neque Lunâ 14. hoc Sacramentum instituit. Probatur Min: Lunâ 15. erat ex præcepto Legis Judæis solemnissima, & sancta Domino, nec licebat in ea opera servilia exercere juxta illud Num: 28. *Mense autem primô 14. die mensis Phase Domini erit, & 15. die solemnitas, 7. diebus vescentur azymis, quarum prima dies venerabilis, & sancta erit, omne opus serviie non facietis in ea &c.* sed Judæi exercuerunt plura opera servilia in die, quâ Christus fuit passus; sic ligârunt Christum, accusârunt, flagellaverunt, sententiam definitivam mortis tulerunt &c: ergo &c.

4. *Dicitur quod sic.* Respondeo Neg: Min: ad ejus probationem dico; quòd licèt dies occisionis Christi fuerit apud Judæos primus dies azymorum, debueritque ab eis solemniter observari, sinè exercitio operum servilium; prævaluit tamen apud illos odium Christi, & magis inordinatus appetitus infligendæ mortis per opera etiam prohibita eos trahebat, quàm observantia festi. Quæ Lyranus noster in hoc puncto dicit in favorem Sententiæ Latinorum, non displicent: videatur.

5. *Quid nomine Parasceves intelligatur?* Objiciunt tertiò: Illa Feria sexta, in qua Christus mortuus est, fuit Parasceve Paschæ; quia dicitur Joan: 19. *Erat autem Parasceve quasi hora sexta*, quando scilicet clamabant Judæi: *tolle tolle crucifige eum*: Sed Parasceve Paschæ apud Judæos significabat vigiliam solemnitatis Paschalis; seu præparationem ciborum ante diem festum: ergo eô die, quò Christus mortuus est, non fuit ipsa solemnitas Paschalis, & cõsequenter dies institutionis Eucharistiæ fuit præcedens diẽ mortis, quæ fuit Luna 13

6. *Resolvitur.* Respondeo: illud Parasceve referendum esse ad diem Sabbathi sequentem; non verò ad solemnitatem ipsam Paschalem; ut sensus sit; quòd illô die, quô Judæi occiderunt Christum, erat Parasceve; seu præparatio ciborum ante diem Sabbathi, in quo non licebat cibos coquere, & præparare; prout colligitur ex Marco 15. *Erat autem Parasceve, quod est ante Sabbathum.* Et Joan: 19. *Judæi ergo quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora, rogaverunt Sabbatho Pilatum &c.*

7. *Qualiter tribus diebus & noctibus* Objiciunt quartò: Si Christus cœnavit agnum ad finem Lunæ 14. quô tempore dicitur, instituisse Eucharistiam, ergo consequenter passus est in Parasceve, seu die Veneris; & sic non poterat resurgere alterâ Sabbathi, hoc est die Dominicâ; quia non videretur fuisse in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus; prout prædixerat Matth: 12. ergo &c. *Christus fuerit in corde terræ.* Respondeo: esse Hebraicam, & Sacris Scripturis communem phrasim, seu circumlocutionem trium dierum naturalium, qui die ac nocte, seu luce, & tenebris constant; & sic licèt Christus passus sit die Parasceve; dicitur tamen fuisse in corde terræ tribus diebus, & noctibus per Synecdochen. Hæc sunt potissima Græcorum argumenta.

QUÆSTIO IV.

In quo consistat essentia Eucharistiæ.

1. *Quæ concurrant ad confectionem Eucharistiæ.* Nota primò: quòd ad perficiendam Eucharistiam multa concurrant, nempè panis, & vinum, tanquam materia remota: verba consecratoria: actio transubstantiativa panis, & vini, in corpus & sanguinem Christi: species ipsæ panis, & vini jam consecratæ; corpus, & sanguis Christi sub speciebus contenta; & sumptio prædictarum specierum: quæritur ergo, in quibus ex his consistat essentia Sacramenti Eucharistiæ intrinsecè. Qua in re variæ sunt opiniones, quas hic resellemus. Unde

2. *Panis, & vinum nõ est de essentia Eucharistiæ.* DICO primò: Substantiæ panis, & vini non sunt de essentia hujus Sacramenti. Est communis.

Probatur: quia vi positionis hujus Sacramenti destruuntur juxta Trid: Sess: 13. cap: 2, quod autem est de alicujus rei essentia, debet cum illo manere: ergo &c.

3. *Nec verba Consecrationis.* DICO secundò: Verba Consecrationis non sunt de intrinseca essentia hujus Sacramenti. Ita Scotus 4. d. 8. q. 1. Gabriel, Victoria, Vasq: contra RR: plures.

Probatur: Sacramentum Eucharistiæ est permanens: ergo nequit intrinsecè, & essentialiter per verba constitui, quæ transeunt factâ prolatione. Deinde causa efficiens Sacramenti nequit esse pars essentialis Sacramenti: sed verba Consecrationis sunt causa efficiens Sacramenti Eucharistiæ, ùt habetur in Florentino: ergo non sunt de essentia Eucharistiæ.

4. *Quædam Instantiæ eliduntur.* DICES: Non repugnare idem esse causam formalem, & efficientem simul; nam benedictio aquæ benedictæ est causa efficiens, & simul etiam formalis: item pars compositi humani, quæ de novo acquiritur per nutritionem, habet pro forma animam rationalem; quæ tamen etiam est causa efficiens ipsius partis aggeneratæ: ergo &c.

&c. Respondeo: repuguare omninò eandem rem esse simul causam formalem, & efficientem; quia idem esset causa sui ipsius efficiens: Unde exempla adducta non sunt ad rem; nam ad primum dico; benedictionem passivam formalem in aqua esse aliquid morale, non physicum; & benedictionem illam passivam in aqua concipimus, ut distinctam à benedictione activa efficiente. Ad secundum dico; quòd pars illa compositi humani, quæ de novo aggeneratur per nutritionem, non habeat pro forma solam animam rationalem; sed novam formam mixtionis; quam nos Scotistæ statuimus in animatis ultra animam rationalem; & quia anima rationalis est indivisibilis, hâc parte corporis productâ, ad eam informandam de novo se invisibiliter extendit.

5. *Dictum Scoti de verbis Consecrationis*

Ait tamen Doctor; quòd quamvis verba Consecrationis non sint pars intrinseca, & essentialis Sacramenti Eucharistiæ; nihilominùs dici possunt forma illius; quatenùs sunt forma Consecrationis, seu confectionis Eucharistiæ in fieri.

6. *Quô pacto verba Consecrationis requirantur.*

Breviter; verba Consecrationis in ordine ad constituendum Eucharistiam in esse permanenti, sunt tantùm quid necessariò prærequisitum, ut species panis, & vini destructâ substantiâ præexistente contineant corpus, & sanguinem Christi; quemadmodum prærequiritur Sacerdotium; quod tamen non est de essentia Sacramenti Eucharistiæ. Vide circa hoc punctum plura dist:1. de Sacramentis in communi quæst: 5.

7. *Nec corpus, nec sanguis Christi constituunt Eucharistiam.*

DICO tertiò: Corpus, & sanguis Christi, quæ continentur in Sacramento Eucharistiæ, neque totaliter, neque partialiter hoc Sacramentum constituunt. Est Scoti hìc, & Scotist. contra aliquos Neotericos Con: Amicum, Lug: & Cumptonum disp:71. Sect:2, & nostrum Herincx hìc.

8. *Ratio prima ad hoc.*

Probatur primò: De ratione Sacramenti est, quòd sit signum sensibile: Sed corpus, & sanguis Christi in Eucharistia non sunt signa sensibilia: ergo nec totaliter, nec partialiter hoc Sacramentum constituunt.

9. *Ratio secunda.*

Confirmatur primò: Corpus Christi est signatum, & effectus hujus Sacramenti: ergo non est ipsum Sacramentum totaliter, vel partialiter: Consequentia tenet: quia implicat idem esse simul signum, & signatum, causam, & effectum; hæc enim sunt correlativa, & correlativum non est de essentia relativi; propterea in ejus definitione ponitur tantùm ut additum. Deinde Baptismus non constituitur essentialiter per suum signatum, seu effectum puta gratiam: ergo nec Eucharistia per corpus, & sanguinem Christi.

10. *Lugonis deceptio detegitur.*

Dices cum Lugone: Omne illud, quod à Christo est institutum pro signo practico gratiæ, debet intrinsecè pertinere ad Sacramentum: cùm ergo corpus Christi practicè significet gratiam, proinde debet pertinere intrinsecè ad essentiam Sacramenti Eucharistiæ. Respond: Neg: Conseq: est enim hic manifesta fallacia *Accidentis*; cùm fiat transitus à gratia subsistente, cujus hoc Sacramentum est signum practicè significans, ad gratiam accidentalem, puta sanctificantem, quam practicè omnia Sacramenta significant.

11. *Roboratur Conclusio.*

Confirmatur secundò Conclusio: in Ecclesiæ Hymno de hoc Sacramento canitur: *Fractô demum Sacramentô &c.* sed corpus Christi non frangitur: ergo non est Sacramentum.

12. *Nec sumptionem spectare ad essentiam Eucharistiæ, ostenditur ex CC: & PP:*

DICO quartò: Sumptio non est de essentia Eucharistiæ. Est contra Recentiores Hæreticos, Lutherum, Bucerum, Calvinum, Kemnitium & alios, docentes totam rationem hujus Sacramenti consistere in usu, & sumptione ejus, & extra usum nil omninò esse.

Probatur primò ex Trid: Sess: 13. Can: 4. dicente: *Si quis dixerit peractâ Consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & sanguinem D. N. JESU Christi, sed tantùm in usu, dum sumitur; non autem ante, vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere corpus Domini, Anathema sit.* Probatur secundò ex Traditionibus Ecclesiæ; & antiquissimo Fidelium consensu. SS: PP: pro hâc Conclus: fusè citat Bellarm: quos vide apud eundem.

13. *Et ratione.*

Probatur ratione: Eucharistia vocatur cibus, & potus spiritualis; manducatur, & bibitur: quæ non verificantur de ipsa sumptione, sed ante sumptionem de re permanente: ergo sumptio non constituit essentialiter, & intrinsecè hoc Sacramentum. Sumptio itaque est tantùm applicatio cibi Eucharistici nutritivi, & conditio, ut Sacramentum operetur; sicut approximatio ad comburendum. Iisdem fermè rationibus ostenditur Eucharistiam essentialiter, & in esse permanenti non constitui per actionem transubstantiativam, quæ est ens transiens, & incapax constituendi ens permanens; quale est Eucharistia.

14. *Essentiale*

DICO quintò: Sacramentum Eucha-

constitutio Eucharistia fit per species consecratas.

ristiæ essentialiter, & in recto solas Species importat; connotat tamen corpus,& sanguinem Christi sub ipsis contenta. Est communis totius Scholæ Scotisticæ cum Doctore Subtili hìc.

15. *Quod probatur Auctoritatibus diversis.*

Probatur primò: pluribus testimoniis, Ecclesiæ, & Juris Can: quæ rationem Sacramenti solis Speciebus attribuunt; canit enim Ecclesia in Sequentia Missæ; *Fractò demum Sacramentò, ne vacilles, sed memento* &c. fractio autem est Specierum, non contenti, ut patet ex contextu ejusdem Hymni, *Signi tantùm fit fractura* &c. Item in Collecta Missæ, in plurali hoc Sacramentum nominatur, juxta pluralitatem Specierum; *Sacramenta, quæ sumpsimus* &c. Quò modò etiam plures PP: loquuntur. Item in cap: *Berengarius* dicitur; post Consecrationē non solùm manere in altari *Sacramentum, sed etiam ipsum Christum*. Denique Innocent: 3. cap: *cum Marthæ, de Celebratione Missarum* docet, tria in hoc Sacramento esse necessariò distinguenda; unum,quod tantùm est Sacramentum; alterum,quod est Sacramentum,& res; tertium,quod est res, & non Sacramentum: & primum ait esse Species panis,& vini; secundum corpus, & sanguinem Christi; tertium gratiam sanctificantem, quæ homini datur in actuali sumptione: at in aliis Sacramentis id, quod est res, & Sacramentum simul, non est Sacramentum *simpliciter*, aut pars essentialis Sacramenti; ùt patet in Baptismo Confirmatione,& Ordine; ubi character, qui est res,& Sacramentum in Baptismo v.g. non est Sacramentum Baptismi, nec pars ejus essentialis: ergo corpus, & sanguis Christi, cùm sint res, & Sacramentum simul in Eucharistia, non sunt simpliciter Sacramentum Eucharistiæ; nec pars, ejus essentialis.

16. *Et ratione*

Confirmatur Conclusio: bona est hæc prædicatio in rectò; Species consecratæ sunt Sacramentum; sed Eucharistia est species consecrata panis, & vini: ergo in recto importantur Species. Et hoc est quod dicunt Fideles communiter, dum in altari Sacramentum dicunt exponi, quando exponuntur Species Sacramentales.

17. *Connotatur tamen corpus,& Sanguis Christi in Eucharistia.*

Altera pars Conclusionis, *quòd tamen Sacramentum Eucharistiæ connotet corpus Christi*; & sic quòd in obliquo pertineat ad hoc Sacramentum, quatenùs scilicet est objectum Specierum, & terminus continentiæ earum, est clara; objectum enim vel terminus cujuscunque relativi sive prædicamentalis, sive transcendentalis comparatur ad ipsum tanquam forma; quia ab illo suam speciem sumit; verùm talis forma non est intrinseca; cùm plerumque sit in subjecto distincto; neque etiam ingreditur constitutionem rei in recto; nec in recto prædicatur de constituto; non enim dicimus, scientiam esse suum objectum v. g. sed solùm dicere ordinem ad ipsum objectum: ubi objectum prædicatur in obliquo: ex quo provenit,quòd relativum nunquam supponat pro objecto, vel termino; sed tantùm connotet illud in obliquo: cùm ergo Eucharistia, sicut & alia Sacramenta sint signa, signum autem dicat ordinem ad signatum; opus est, ut ipsum signatum in quolibet Sacramento habeat rationem formæ extrinsecæ, à quo extrinsecè specificetur, eò modò, quò relationes, & relativa à suis terminis specificantur: cùm ergo principale signatum in Eucharistia sit corpus, & sanguis Christi; sequitur hæc aliquò modò, nempè pro connotato,& in obliquo ad Eucharistiæ essentiam pertinere, & Eucharistiam ab eis extrinsecè specificari.

Quod jam dixi de hoc Sacramento, in quantum est signum quoddam, potest, ac debet dici de eodem, in quantum continet corpus, & sanguinem Christi; nam continens etiam dicit ordinem ad contentum.

18. *PP. objecti explicantur.*

DICES SS: PP: interdum dicunt Sacramentum Eucharistiæ esse corpus, & sanguinem Christi in recto: ergo &c. Respondeo, SS: PP: tantùm velle docere per hunc loquendi modum veram,& realem corporis, & sanguinis Christi existentiam sub speciebus, contra Hæreticos; non enim inter ipsos fuit unquam altercatio Scholastica de partibus hujus Sacramenti constitutivis; sed tantùm de vera, & reali existentia corporis Christi in Eucharistia, differebant contra hæreses sui sæculi. Itaque propriè rigorosè loquendo, non est bona Logicè ista propositio in recto: *Eucharistia est Corpus, & Sanguis Christi*; sed in obliquo: *est Sacramentum corporis, & sanguinis Christi*.

QVÆSTIO V.

Objectionibus contra priorem quæstionem satisfit.

1. THomas Comptonus Disp: 71 Sect: 2. cum Auctoribus suæ mentis arguit primo contra tertiam Conclusionem asserentem Scotisticam; ostendens corpus, & sanguinem Christi etiam essentialiter constituere hoc Sacramentum: SS: PP: signanter Irenæus docent: Eucharistiam *duabus rebus constitutam constare, alterâ terrenâ, alterâ cælesti*. Et Florent:

Num PP: asserunt corpus Christi esse essentialiter Eucharistia?

Florent: ait : *Illud esse hoc Sacramentum, quod à Sacerdote conficitur* ; Sacerdos autem non conficit nudas Species; sed corpus, & sanguinem Christi, ut conjuncta Speciebus : ergo hæc sunt de essentia Eucharistiæ.

2. Resolvitur Negativè.

Respond: ex his: & similibus Authoritatibus PP: tantùm haberi, quòd cum Speciebus sit simol corpus, & sanguis Christi; abstrahendo ab hoc, an corpus, & sanguis sit de essentia Sacramenti Eucharistiæ; quia de hoc puncto non disputabant cum Hæreticis; sed tantùm de intima Christi præsentia sub Speciebus, quam illi negabant. Florentinum autem explico ; dicit illud esse hoc Sacramentum, quod à Sacerdote conficitur ; essentialiter, vel connotativè concedo Maj: essentialiter semper Nego Maj: tametsi ergo Sacerdos conficiat corpus, & sanguinem Christi; hæc duo tamen tantùm sunt in Sacramento connotativè per modum signatorum Sacramenti Eucharistiæ ; cum intima tamen præsentia Sacramentali.

3. Eucharistia habet rationem cibi, & potûs.

Argoit secundò : Sacramentum Eucharistiæ dat gratiam per modum cibi, & potûs spiritualis ; id autem, quod in Sacramento hoc præcipuè habet rationem cibi, & potûs, est corpus & sanguis Christi; juxta illud Joan: 6, *caro mea verè est cibus* &c: ergo &c.

4. Sed in solo usu considerata.

Respondeo : Sacramentum Eucharistiæ dupliciter posse sumi; vel quoad esse permanens; id est, quoad esse suum essentiale; vel quoad usum, seu sumptionem : Si Eucharistia in prima acceptione sumetur; Nego corpus, & sanguinem Christi in hoc Sacramento dare gratiam per modum cibi, & potûs spiritualis ; benè tamen in secunda acceptione : sed doctrina Scotica supra data non procedit de Sacramento Eucharistiæ, quoad usum in secunda acceptione, ùt videlicet cibus est; sed ùt Sacramentum præcisè est.

5. Adorari potest Eucharistia, licèt Christi corpus non sit essentialis pars Sacramenti.

Objiciunt alii tertiò : Sacramentum Eucharistiæ adoratur è Fidelibus adoratione latriæ : sed non potest hæc adoratio debitè adhiberi Speciebus Sacramentalibus solis : ergo ùt continentibus corpus, & sanguinem Christi : ergo corpus, & sanguis Christi importatur essentialiter in hoc Sacramento.

Respondeo: concesso toto discursu usque ad ultimam Consequentiam, quæ non sequitur: nam ex illo discursu tantùm habetur, quòd corpus, & sanguis Christi contineantur particularissimò modò sub Speciebus, ratione cujus continentiæ adorari possunt Species Sacramentales; abstrahendo an essentialiter; an verò aliò modò contineantur.

6. Respondetur ad Objectiones Patrum.

Objiciunt quartò : SS: PP: in recto prædicant corpus, & sanguinem Christi de Sacramento Eucharistiæ; dicendo v. g. Eucharistia est corpus Christi : ergo sunt de ejus essentia. Respondeo : sensum similium prædicationum iterum esse, quòd Corpus, & Sanguis Christi tantùm, ùt dixi, contineatur verè sub Speciebus consecratis, non quòd sint pars essentialis Sacramenti Eucharistiæ, ob rationes pro Conclusione supra expositas.

QUÆSTIO VI.
De Unitate Sacramenti Eucharistiæ.

1. Status quæstionis aperitur.

PRæsens quæstio, quæ magis est de nomine, & modo loquendi, quàm de re, agitatur tam de Unitate specifica, quàm numerica; cùm enim constet hoc Sacramentum confici sub duplici specie, scilicet panis, & vini; quæritur, an sit unum, vel plura specie Sacramenta sub specie panis, & sub specie vini : item cùm constet toties confici in distinctis formulis panis, & potionibus vini; quæritur rursus an sit unum, vel plura numero?

2. Sacramentum Eucharistia unum specie.

DICO primò : Sacramentum Eucharistiæ propriè, & simpliciter loquendo, est unum specie Sacramentum. Ita Scotus in 4. d. 8. q. 1. & Scotist: omnes, Gavatiò exceptò : est etiam Neutrist: contra Aureolum, Majorem, Gabrielem, & alios Veteres.

Probatur primò Authoritate Tridentini Sess: 7. *de Sacramentis in genere* Can: 1. anathematizantis eos, qui dicunt plura, vel pauciora esse Sacramenta novæ Legis, quàm septem ; & Catechismi Romani, enumerantis Eucharistiam ut unum; sic enim loquitur agens de Eucharistia; *Non plura, sed unum Sacramentum Eucharistiæ Authoritate docti confitemur* : ergo &c.

3. Pluralitas partialium Sacramentorum non tollit Unitatem specificam Eucharistia.

Probatur secundò ratione : si quid impediret specificam Unitatem hujus Sacramenti, maximè quia species consecratæ panis sunt Sacramentum partiale, specie distinctum à speciebus consecratis vini; sed hoc non impedit : ergo &c. Maj: est certa; probatur Min: quamvis ossa, caro, & nervi, sint entia inter se realiter, & specie distincta, adhuc tamen constituunt unum specie corpus humanum : ergo quamvis species consecratæ panis, & vini essent duo partialia Sacramenta inter se specie diversa, adhuc possent constituere Unum specie Sacramentum totale Eucharistiæ.

4. *Eadem Doctrina roboratur.* Confirmatur: Convivium, & refectio integra corporalis verè appellatur una specie; quamvis confletur ex cibo, & potu inter se specie distinctis; sed Sacramentum Eucharistiæ est institutum per modum convivii, & refectionis spiritualis integræ: ergo &c.

5. *Unitas specifica Eucharistiæ non est physica.* DICO secundò: Unitas specifica Eucharistiæ non est physica, & indivisibilis; sed moralis, & integralis; coalescens ex partialibus Sacramentis, distinctis inter se specie, & ordinatis ad aliquod unum totale significandum. Ita Doct: loc: cit: cum suis, & RR:

Probatur prima pars; Illa non faciunt Unum specie physicè, & indivisibili, quæ non habent inter se veram physicam unionem; sed species panis non habent veram physicam unionem cum speciebus vini: ergo &c.

6. *Sed moralis.* Probatur secunda pars: Species panis, & vini, ut dictum est, faciunt unum Sacramentum; sed non unum per unionem physicam: ergo unum morale per unionem moralem; qualem habent inter se in convivio corporali cibus, & potus, qui prudenti æstimatione hominum dicuntur Unum; quia ad unum finem sunt ordinati, scilicet ad unam refectionem spiritualem.

7. *Species panis, & vini sunt duo partialia Sacramenta.* Quod autem species illæ diversæ, ex quibus coalescit Sacramentum Eucharistiæ, sint duo Sacramenta partialia, ostenditur; quia sunt duo signa sensibilia specie diversa, ex ordinatione Divina significantia effectus gratiæ subsistentis diversæ rationis: ergo sunt duo Sacramenta diversæ rationis: Consequentia tenet. Prob: Ant: Sanguis Christi est diversæ rationis specificæ à corpore, sed species vini significant sanguinem, & species panis significant corpus: ergo &c.

8. *Canon Missæ, & Concilia vocant species plura Sacramenta.* Confirmatur primò: Species illæ panis, & vini passim vocantur Sacramenta in plurali numero; ut videre est in Canone Missæ; item in Concilio Affricano, & Carthag: 3. cap: 24. & 26. ergo sunt duo Sacramenta partialia.

9. *Et ratio idem ostendit.* Confirmatur secundò: Species consecratæ panis magis different à consecratis speciebus vini, quàm à consecratis speciebus alteriùs hostiæ; sed ab his different numero: ergo ab illis different specie. Tandem in Sacramento Ordinis sunt plura Sacramenta partialia: ergo & in Sacramento Eucharistiæ, à paritate.

10. *Reconciliantur* Objicies primò contra primam Conclusionem: CC: & PP: & ipsa Ecclesia appellant Eucharistiam Sacramenta plura dicendo, *Purificent nos Domine Sacramenta, quæ sumpsimus*: ergo non est Unum specie. *Concilia & Patres.* Respondeo: Ecclesiam in alio loco etiam Eucharistiam appellare Unum dicendo; *Præsta, ut hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam*: Quare interdum Ecclesia CC: & PP: appellant Eucharistiam plura partialia; interdum unum totale, scilicet ex partialibus constitutum; quamvis enim species vini, & panis sint plura signa; tamen ex his integratur unum completum signum, unitate morali, & integritatis, cujus primarium, & essentiale significatum est integrum corpus Christi, ut etiam sanguinem includit; secundarium verò, & accidentale est integra spiritualis refectio, ex cibo, & potu constans.

11. *Laici sub una specie aliquo sensu sumunt totum Sacramentum.* DICES: ergo Laici communicantes sub una tantùm specie panis, non sument totum Sacramentum, quod videtur inconveniens. Respondeo: Laicos omninò in omni rigore non sumere integrum, & totum Sacramentum Eucharistiæ: abstinendum tamen est ab hoc loquendi modo coram simplicioribus; ne putent se non sumere integrum Christum, quod est erroneum. Itaque Laici sumentes unam speciem sumunt totum Sacramentum quò ad rem significatam, qui est totus Christus ex carne, & sanguine constans; non tamen sumunt totum Sacramentum, sed partem Sacramenti quoad modum significandi, & rem immediatè significatam ex vi Sacramenti; quia tali pactò sub speciebus panis Christus est tantùm per modum cibi, & sub speciebus vini tantùm per modum potûs.

12. *Unde attendatur integritas Sacramenti Eucharistiæ.* Nota ergo: integritatem hujus Sacramenti non debere attendi ex parte rei significatæ; sed ex parte signi; ut nimirum integrum modum habeat in significando, quem habet, dum significat sub utraque specie spiritualem refectionem per modum cibi, & potûs.

13. *Deciditur esse tot Sacramenta Eucharistiæ, quot hostiæ distinctæ continuæ.* DICO tertiò: Tot sunt Sacramenta Corporis Christi partialia, numerò distincta, quot sunt hostiæ consecratæ disconti-nuatæ. Ita Scotistæ, & RR: communiter, paucis exceptis.

Probatur primò ex Clemente Papa cap: *tribus gradibus*, de Consec: d. 7. ubi dicit; *Tot holocausta in altari offeruntur, quot populo sufficere possunt*: ubi per holocausta intelligit hostias consecratas: ergo supponit Pontifex, quod plura numerò possint offerri.

14. *Ratio pro hoc dicto.* Probatur secundò ratione: Sacramentum Eucharistiæ, quod in his speciebus panis unius verè sumitur, habet omnia requisita ad distinctionē numericam ab eo, quod

quod alius ſumit; nam ſunt diverſæ numerò ſpecies, ac materiæ; & ſæpe diverſæ numerò formæ; & diverſæ numerò ſignificationes: ergo ſunt plura numerò partialia Sacramenta.

15. Sumens 3. hoſtias ſimul non acquirit plus gratiæ.

DICES: ergo qui ſimul ſumeret tres hoſtias diſcontinuas, ſumeret tria diſtincta numerò Sacramenta, & conſequenter majorem gratiam, quàm qui unam. Reſpondeo: Concedendo quòd ſumat tria Sacramenta partialia: Nego tamen ſumentem majorem acquirere gratiam, quàm caperet alius ſumens unā. Et ratio aliqualis poteſt dari; quia omnes tres hoſtiæ ſumuntur per modum unius refectionis ſpiritualis, & convivii: ultimata tamen ratio hujus eſt voluntas Divina, quæ ordinavit; ut tres hoſtiæ ſimul ſumptæ non conferant majorem gratiam, quàm una; ſicut confitens ſua peccata diverſis, etſi à diverſis ſimul accipiat abſolutionem; unam tamen conſequitur gratiam.

QUÆSTIO VII.

De Materia Sacramenti Euchariſtiæ Corporis Chriſti.

1. Recenſentur hæreſes circa Materiam Sacramenti Corporis Chriſti.

PUdet verecundum calamum recenſere abſurdos Manichæorum, & Gnoſticorum errores hac in parte: Unde eis ſuppreſſis.

Nota primò ex D. Aug: lib: de *Hæreſibus* c. 28. præter hos, fuiſſe quoſdam Hæreticos Aſtrotyritas dictos, qui pro Materia Euchariſtiæ Corporis Chriſti uſurpabant panem, & caſeum: alios Cataphryges, qui ſanguine ex infantis corpore punctionibus minutim inflictis elicitum aſſumebant: alios Ophitas, qui referente S. Aug: alebant colubrum juxta altare; qui per Sacerdotis incantationem temporibus ſacrificiorum egreſſus panem lambebat, ut fieret debita Materia Conſecrationis.

2. Novatores hìc concordant cum Catholicis.

Moderni autem Hæretici conſentiunt nobiſcum, quòd vera Materia pro confectione Sacramenti Euchariſtici Corporis Chriſti ſit panis.

Quoniam verò in diverſis Orbis partibus, diverſæ ſiunt confecturæ panum: alii namque ex caſtaneis & amygdalis; alii ex oriza, hordeo, & milio: alii ex aliis granorum ſpeciebus paſtas pro pane ordinario uſurpant: ideo Theologi conſultò hìc indagant; quisnam panis ſit legitima hujus Sacramenti Materia?

3. Determinatur debita Materia Sacramenti Corporis Chriſti conficiendi.

DICO primò: Materia idonea, neceſſaria, & ſufficiens ad Conſecradum Corpus Chriſti eſt ſolus panis triticeus. Ita communis Catholicorum.

Probatur primò: Tum ex Definitione Florent: Seſſ: ult: ante Litteras Unionis: Tum ex ipſis Litteris Unionis; & Decreto Eugenii, quod habetur poſt Seſſ: ultimam, in quo definitur, Materiam Euchariſtiæ eſſe panem triticeū, & vinum de vite: ergo &c.

4. Florent: loquitur cum excluſione omnis alterius Materiæ à triticea.

DICES: aſſignari quidem à Conc: panem triticeum pro Materia; non tamen tanquam is ſolus ſit Materia idonea; ſed quia eſt certior Materia, & præſtantior. Contra 1. verba illa Græcorum, quæ à Concilio Florent: cit: admiſſa fuère, *dummodo ex triticeo conſtet*, habent vim excludendi alios omnes panes, qui non ſunt triticei. Contra 2. quia eodem modo in Trident: Seſſ: 7. Can: 2. & Florent: in Decreto cit: definitur, Materiam Baptiſmi eſſe aquam veram, & naturalem, nullà additā excluſione aquarum artificialium; quò definitur panis triticeus eſſe Materia Euchariſtiæ loco cit: ergò ſicut aqua vera naturalis eſt ſola Materia idonea Baptiſmi; ita ſolus panis triticeus eſt ſola idonea Materia Euchariſtiæ, à pari. Eodem hoc modo, & eàdem paritate refutatur alia Reſponſio ſuper Concilium dicens; Concilium ſolùm aſſignàſſe panem triticeum, tanquam Materiam neceſſariam neceſſitate præcepti; non verò neceſſitate Sacramenti.

5. Factum Chriſti probat Materiam triticeam.

Probatur ſecundò ratione ex facto Chriſti; qui hoc Sacramentum inſtituit in pane uſuali; ſed panis uſualis ſit ex tritico paſſim; nam omnis alius ſubſtituitur tantùm in defectum ejus; & panis triticeus ſolo nomine panis venit, reliqui cum addito, v. g. panis hordeaceus, avenaceus &c. ergo &c.

6. Et Eccleſiæ cōſuetudo.

Accedit tandem totius Eccleſiæ uſus; & perpetua Traditio: SS: item Patrum conſenſus in Concluſionem conſpirantium: ergo &c.

7. Generalis regula circa ſeligendam Materiam triticeam.

Sed valdè diſſentiunt AA: quænam genera frumentorum ſint verè triticum. Nam ſiliginem, far, & ſpeltam multi putant eſſe eſſentialiter triticum (de hordeo, avena, milio communiter omnes negant) Alii plures negant: Ego puto hanc eſſe regulam generalem ſervandam circa naturam tritici; ut illud genus frumenti aſſumatur pro Materia idonea Euchariſtiæ, & dicatur triticum, quòd communiter à peritiſſimis rei ruſticæ in hac, vel illa regione cenſetur eſſe triticum, vel in ſpecie infima, vel in genere.

8. Peccat Conſecrans in Materia dubia.

Nota hìc: graviter peccare eum, qui in Materia aliqua, de qua inter DD: controverſia eſt, Conſecrat. Ratio eſt: quia ſecundùm Theologos circa Materiam, & formam

Q

formam Sacramentorum tutior opinio est eligenda; & quia hoc Sacramentum non est necessarium necessitate medii ad salutem; facileque exponeretur irreverentiæ Venerabilissimum hoc Sacramentum.

9. *Quid de filigine, spelta, & Farre sentiendum?* Circa *filiginem* speculativè loquendo putant AA: probabile valdè esse, ipsum esse tritici speciem veram; minùs tamen præstantem, differentem tantùm accidentibus à perfecto tritico, ob terræ siccitatem seu sterilitatem, ob quam etiam usitatum triticum degenerat in filiginem; quare hanc esse Materiam aptam Consecrationis censet D. Thomas & alii: Henriq: Estius, Sotus: Præpositus hoc idem probabile censet *de spelta, & farre* delicatissima specie tritici; quæ videntur naturam tritici participare, odorem, saporem, ac efficaciam.

10. *Qui absq; dubio Consecrat in pane aliàs controverso debet adorare.* Nota secundò: Si quis in tali Materia controversa, & dubia consecraret, ipse conficiens, si sinè ulla dubitatione credat esse idoneam, debet tali stante conscientiâ absolutè adorare; reliqui non; vel saltèm sub conditione.

DICO secundò: Panem triticeum debere esse confectum ex pura farina triticea, & aqua tantùm naturali. Ita Scotus 4. d, 11. q. 6.

11. *Qualis factura debeat esse in pane triticeo.* Probatur: quia, inquit Doctor, *ita supponitur panem illum fuisse formatum, quò usu est Christus Consecrans.* Et quia panis usualis communiter sic est confectus: ergo &c.

12. *Excluduntur aliqua confectura panum.* Ex quo infertur; quòd panis triticeus confectus ex farina, lacte, oleo, aut simili liquore non sit Materia idonea; talis enim non censetur esse panis usualis; sed placenta; aut aliud genus massæ. Idem dicendum, si notabilis quantitas aquæ artificialis v. g. rosaceæ admisceatur: nam quamvis, ut dicit Cajet: & Ponc: oppositum sentientes, aqua rosacea non esset speciei physicâ diversa ab aqua naturali (quod tamen negari potest; cùm qualitates aquæ rosaceæ sint plurimùm activæ, & speciei diversæ) est tamen diversa specie morali; nam unum est in genere assumptorum ad aliquid ad placitum significandum; aliud verò non, quod maximam facit differentiam; ut patet in vocibus ad placitum assumptis ad diversos conceptus significandos.

13. *Coctura panis etiam requiritur.* DICO tertiò: Panem triticeum ex aqua naturali, & triticea farina confectum, insuper debere esse igne coctum. Probatur: quia Scriptura, CC: & PP: dicunt Materiam Eucharistiæ esse panem simpliciter consideratum, & usualem, qui semper est igne coctus: ergo &c. Hæc autem coctio potest fieri, vel dum assatur; sive dum panis torretur in furno; sive in cineribus, vel alio simili modo: non valet tamen si elixetur, aut frixetur; quia iam non fieret panis usualis, in quo Christus consecravit.

14. *Rejiciuntur certæ massæ à ratione Materiæ debitæ Consecrationis.* Ex his infertur: massam crudam farinæ subactam aquæ, & deinde exsiccatam à Sole; vel amylum, quod fit expressione medullæ ex tritico madido, quæ medulla postca exsiccata vertitur in farinam, ex qua fit panis, non esse Materiam idoneam Eucharistiæ. Ratio est; quia hæc non censetur panis usualis, in quo Christus confecit Eucharistiam: unde estò hæc non differant specie physicâ à pane usuali; non licebit tamen in eis Consecrare; cùm Christus instituerit Eucharistiam in pane usuali, nil curans de differentia inter massam crudam, & coctam.

QUÆSTIO VIII.

Num tam Azymus, quàm Fermentatus panis sit Materia Consecrationis?

1. *Origo erroris Græci circa Fermentatum panem.* NOta primò: in primitiva Ecclesia usque ad Annum 1020, in utraque Ecclesia, tam Latina, quàm Græca fuisse ritum Consecrandi in Azymis: post hoc invaluit mos consecrandi in Fermentato, occasione hæresis Ebionitarum, qui dixerunt; Ecclesiam Consecrando in Azymis multùm Judaizare; ac proinde oportere illam servare Legalia, sicut Judæi: Ad quam hæresim supprimendam de Consensu utriusque Ecclesiæ decretum est, ut non nisi in pane Fermentato fieret consecratio Corporis Christi ad tempus; ne videatur Ecclesia Legalia observare consecrando in Azymis. Extinctâ autem illâ hæresi, Ecclesia Latina reversa est ad pristinum morem Consecrandi in Azymis; Græca verò permansit in usu Fermentati, & quidem cum contumelia Latinorum, quos Azymitas, & Judaizantes Græci appellabant, & condemnabant Latinam Ecclesiam erroris, quasi assumeret Materiam non validam Sacramenti: ut patet in Epistola Leonis IX. ad Michaelem Patriarcham Constantinop: & refert Scotus 4. d. 11. q. 6. Hæc controversia composita fuit in Conc: Florent: Unde.

2. *Tam Azymus, quàm Fermentatus panis est suffi-* DICO primò: ad validam confectionem Sacramenti Corporis Christi assumi potest, vel Azymus, vel Fermentatus panis. Ita omnes Latini, & Græci uniti.

Probatur primò ex Florent: in Litteris Unionis

ciens Materia Conſecrationis.

Uoionis dicente: *Definimus in Azyme, ſive Fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdoteſq; in alterutre ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemq; ſcilicet juxta ſua Eccleſia, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem.*

3. *Ratio ad idem.*

Probatur ſecundò ratione: quia uterque panis verè, & propriè eſt panis triticeus, & uſualis: ergo &c. Prob: deinde particulalitet de *Fermentato*: quia hic eſt aptiſſimus ad uſum ſuſtentandi hnmioem; per quem uſum effectus hujus Sacrameoti ſignificari debet. De *Azymo* efficaeiter probatur ex Scriptnra, quæ dicit Chriſtum Conſeeràſſe paoem, & vinum die Azymorum, in quo non lieebat Judæis habere Fermentatum apud ſe; & qnando mandocavit enm Diſcipulis in caſtello Emaus; ita habetur Matth: 26. Marc: 14. & Luc: 22. ergo &c.

4. *Quadam Objectiones Græc: alibi diluuntur.*

Objiciunt primò Græci omnia illa argumenta; quæ ſupra adduxi, ageodo de inſtitutione Euchariſtiæ, quibus cooantnr oſteodere ex facto Chriſti ſolum Fermentatum eſſe idoneam Materiam pro conficienda Euchariſtia. Solntiones quære ſupra q. 3. hujus Diſt;

5. *Latini in Azymo conficientes non Judaizant.*

Objiciunt ſecundò: Azyma ſunt propriè Judæorum: ergo Latini Conſecrantes in Azymo Jodaizaot. Reſpondeo: Diſtiognendo Ant: ſub illo ritu, quô illis utuotur Judæi, Tranſeat Ant: alio ritu, & ex alio motivo, Nego Ant: Et certè ſi hoc argumentum probaret aliquid, probaret etiam, quòd noo lieeret Chriſtiaois nti aquâ in Baptiſmate; cùm & Judæi illâ in ſuis purificatiooibus utaotur.

6. *Latini Azymis utuntur ob factum ſimile Chriſti.*

Objieies tertiò: Panis Azymus, ac Fermentatus, vel differunt ſpecie & eſſeotialiter, vel non; ſi primum; ergo alterutar eſt ſufficiens: ſi ſecuodum, ergo nôo plus differunt, quàm aceidentaliter, ſicut vinum album, & rubrum; ergo ſicut his indiffereoter utnotur Græci, & Latini, in Conſecratione Calicis, eur non & illis? Reſponde: Côcedendo quòd tantùm accidentaliter differant; ideo tamen Latinos uti Azymô potiùs, quia ſuppooitur Chriſtum ſic feciſſe: de vino autem albo, vel rubro nil conſtat Latinis, quôoam determinatè ſit nſus; utrumque proinde licitè, aſſumunt.

7. *Latini in terris Latin: ſacrificantes obligantur ad Azymum aſſumendum.*

DICO ſecundò: Quòd licèt valida ſit coofectio Euchariſtiæ in utroque pane; tamen tenentur Latini exiſteutes in Latioorum terris, ſemper conficere in Azymo, ſub peccato mortali. Eſt communis Theol:

8. *Ordinatio Eccleſiæ circa hoc exprimitur.*

Probatur ex Florent: cit: docente: quòd quivis teneatur ritum ſuæ Eccleſiæ ſequi in conficiendo, cujus eſt membrum. Et hoc idem expreſsè etiam maudat Pius V. in Conſtitutione *Providebit &c.* quibus proinde Ordinationibus oon licèt cootraire ſub gravi culpa. Unde

9. *Neceſſitas Viatici nõ excuſat ab Azymo.*

Inſero primò ex commnoi ſeoſu DD: quòd neque oeceſſitas Viatici, ad eelebraodum in Fermeotato exeuſet apud Latinos. Quamvis Taooerus, & non nulli alii oppoſitum etiam probabile cenſeant.

10. *Latinus Græciam pertranſiens poteſt ritu Græco, vel Latino conficere.*

Ioſero ſecundò: Latinum Sacerdotem iter facientem per Græciam, & Græcum per terras Latinorum poſſe vel ſervare ritom ſuæ Eceleſiæ in celebrando; vel certè ritum Eceleſiæ, in eujus territorio peregrinatur. Ratio primi eſt Anthotitas Coocilii Flurent: citati, in qno dicitur. *Unumquemque juxta ſua Eccleſia conſuetudinem conficere debere.* Ratio ſecundi petitnr ex doctrina S. Aug: & Ambroſii, quæ habetur c. *illa* diſt. 12. docentium, qnemlibet ſe poſſe accomadare Eccleſiæ moribus, io qua verſatur, etſi contrarientur moribus propriæ.

11. *Niſi in Græcia ſtabiliret domicilium.*

Nota tamen; ſi Latinus fixiſſet domicilium in Græcia, teneretnr ſeqni ritum Eccleſiæ Græcæ: idem dicendum de Sacerdote Græco. Ratio eſt; quia ratione domicilii fit incola; adeoque nbligatur ritibus, & legibns Loci. Excipe caſum, quò Latioi io tertis Græcis haberent proprinm aliquod templum Latini ritûs; ant Græci è contra in noſtris terris.

QVÆSTIO IX.

De determinatione, quantitate, & præſentia Materiæ Conſecrandæ.

1. *Conſecrationis Materia debet eſſe definita, & certa.*

DICO primò: Materia Conſecrabilis debet eſſe determinata, definita & certa, ita nt Sacerdos Materiam Conſecraodam determinatè cognoſcat, & iotendat. Eſt communis apud Rich: Dor: Hicq: Sylveſt: Suar: &c.

Probatur: quia cùm omnis actio tranſiens verſetur circa ſiognlaria determinata, ſeu definita; ſeqnitor etiam intentionem Miniſtri, quæ eſt canſa practica hujus actionis Conſecrativæ, ferri debere in Materiam determinatam, ac defioitam; & hoc ipſum deſigoant illa duo prooomina; *Hic*, & *Hoc*, quæ ſemper exprimunt determinatum quid.

2. *Quidam Caſus ſolvitur.*

Ex his inſero ſecundùm citatos AA: & communem; quòd ſi Sacerdos vellet ex 10. hnſtiis, taotùm 7. Cooſecrare, niſi ipſe deſignet illas ſeptem in individuis,

nil conficiet. Similiter sciens esse 10. si vellet Consecrare pauciorem numerum indeterminatum, nil Consecraret. Sed si contingeret Sacerdotem putare esse tantùm 10. hostias præsentes Consecrandas, cùm tamen sint 11. prout sæpè contingit; intendat nihilominùs omnes, quot quot sunt ibi præsentes Consecrare, Consecrabit omnes.

3. *Alius Casus.* Infero secundò: quòd ille, qui intendit duas tantùm partes, vel dimidiam, vel quartam partem unius hostiæ, non designando hanc, vel illam, Consecrare, nil efficiet omninò in tali Consecratione.

4. *Alius præterea Casus.* Sed quid si hanc dimidiam partem, puta dextram, designaret? Respondent Dnr: Richar: Palud: & alii, quòd ista pars designata esset verè Consecrata. Sed hoc valde dubium est: quia verba Consecrationis *hoc est corpus meum*, juxta communem, & usitatum modum, quò ab aliis præsertim audientibus usurpantur, appellant super totum continuum, quod est ibi sufficienter præsens; & per consequens ex intentione proferentis debent referri, vel ad totum, vel ad nihil.

5. *Instructio Sacerdotis volentis conficere.* Nota: ad evitandam omnem perplexitatem, & scrupulum, consultissimum esse, ut Sacerdos volens Consecrare, intendat semper Consecrare totam massam præsentem panis, quæ potest habere rationem cibi usualis, (quales non sunt micæ adhærentes corporali, vel decidentes ex hostiis ante Consecrationem) item ut intendat Consecrare tantùm totum vinum, quod per modum continui est in calice, & habet rationem potûs, qualis non sunt guttæ dispersæ, & adhærentes lateribus calicis ante Consecrationem.

6. *Materia Consecrationis debet esse moraliter præsens.* DICO secundò: Materia consecrabilis debet esse moraliter præsens consecranti. Est communis Theologorum.

Probatur: quia illa pronomina *Hic*, & *Hoc* non possunt cum veritate dici; nisi de re moraliter saltem præsenti: ergo &c.

7. *Quæ sit moralis præsentia.* Sed est difficultas inter AA: quando censeatur materia esse moraliter præsens. Ego puto moralem præsentiam tunc haberi; quando *sensu aliquo*; commodè percipi potest à Celebrante. Dixi sensu aliquo, quia non est necesse, quòd omni sensu visûs, tactûs, auditûs &c. percipiatur; quia cæcus Sacerdos tangens hostiam tantùm, potest validè Consecrare.

8. *Et quæ non.* Ex his infero: quòd si Materia sit retro Sacerdotem, aut post murum, non possit Consecrari. Item si sit sub mappa altaris.

9. *Consecrās non debet necessariò particulas tangere.* Nota: non esse necesse, ut hostia tangatur à Consecrante; sufficit enim quòd sit proposita ante Sacerdotem in altari super corporali. Plura de his in Rubricis Missalis.

10. *Magnitudo, vel parvitas Materiæ non obstant Consecrationi.* DICO tertiò: Nec magnitudo, nec parvitas materiæ impedit Consecrationem validam, modò sit sensibilis.

Probatur: quia magnitudo dummodò non sit monstruosa, & parvitas non tollunt rationem cibi usualis à Materiâ Consecrabili; neque impediunt significationem Sacramentalem formæ Consecrativæ: ergo &c. Confirmatur de parvitate; ex Tridentino definiente, Christum esse sub quacunque minima parte hostiæ: ergo &c.

11. *Debet tamen Materia esse sensibilis.* Dixi *modò sit sensibilis*, sensu humano: quia si materia reducatur ad punctum physicum, & Consecrans intenderet illud Consecrare, nihil efficeret. Si etiam massa ad instar turriculæ pinseretur, & super eam forma Cōsecrationis proferretur, nil Consecraretur: Ratio est: quia talis panis non censetur usualis, seu usui Fidelium accommodatus, ut tenet S. Bonav: Alensis, Angelus &c.

QUÆSTIO X.
De Materia Sacramenti Eucharistiæ Sanguinis Christi.

1. *Vinum de vite est solum consecrabile.* DICO primò: Solum vinum de vite est apta Materia ad Consecrationem Sanguinis Christi. Est communis Catholic: cum Scoto 4. d. 11. q. 7.

Probatur primò: ex Florent: in Decreto *de Armenis*; & Trid. Sess: 13. Estque communis, ac perpetuus usus Ecclesiæ, quæ nunquam alium liquorem admisit: ergo &c.

2. *Patet hoc ex facto Christi.* Probatur secundò: ex facto, & institutione Christi Matth: 26. qui, cùm vinum Consecrâsset illis verbis: *Hic est sanguis meus*; statim subjunxit illa verba: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, Idem habetur Marc: 14.

3. *Et congruentia Scoti.* Congruentiam addit Scotus 4. d. 11. q. 7. *quia secunda pars principalis nutritionis, id est, potus, principaliter consistit in vino, tanquam potu principali. Et de hoc habetur de Consf: d. 4.*

4. *Vinum ex pomis non est consecrabile.* Ex his infero primò: nullum alium liquorem, à vino vitis distinctum, esse Materiam sufficientem; unde excluduntur vina ex pomis, malogranatis, moris, frumento, & similibus confecta; quæ impropriè dicuntur vina, eò quòd colorem, vel similitudinem vini repræsentent.

5. *Nec agresta, & similes liquores.* Secundò: excluduntur aliqui liquores, qui licèt sint ex uvis, non tamen sunt vinum usuale; talis liquor insufficiens est agresta, sapa, & acetum, si jam propriè sit acetum; tunc enim specie differt à vino.

ne

ut ex utrisque diversis proprietatibus constat. Excluditur etiam aquatum seu Lora; quia substantiam vini non habet; cùm fiat ex maceratis aquâ vinaceis post mustum ex acinis expressum. Ubi tamen fieri solet vinum cum aliqua aquæ infusione, vel in musto, vel in racemis, antequam exprimantur, ex vigore & fortitudine vini judicandum est, & proportione aquæ, an talis potio vini substantiam retineat; hoc totum peritorum judicio committendum censeo. Tertiò: excluditur à materia apta hujus Sacramenti Calicis, vinum in pane imbibitum, quia tale vinum non habet rationem potûs, qualis debet esse Materia calicis: quamvis si post Consecrationem imbibatur, conservabitur ibi sanguis Christi; donec vini species siccentur, & simpliciter corrumpantur. Ratio est: quia quoad hoc plus requiritur ad Consecrandum, quàm ad conservandum; quia in Consecratione debet verificari pronomen *Hic* ostendens per modum potûs spiritualis Sanguinem Christi; factâ autem semel Consecratione, talis demonstratio non est ampliùs necessaria; sed sufficit, si tantùm retineat species vini.

6. Nec vinum in pane imbibitum.

Infero secundò: mustum esse etiam validam Materiam hujus Sacramenti. Ratio est: quia est verum vinum imò occurrente necessitate Consecratur in eo etiam licitè: ut patet ex cap: *cum omne crimen de Consecrat:* d. 2. Extra necessitatem autem hoc non licet, propter impuritatem, & fæces permixtas; sicut illicitè Consecratur vinum aliis liquoribus, vel etiam aromatibus permixtum.

7. In musto tamen potest fieri Consecratio occurrente necessitate.

DICO secundò: Vinum congelatum est sufficiens Materia Consecrationis. Est contra Alanum Ledesmam, Armillam Henriq: &c.

8. Etiam in vino Congelato.

Probatur primò: quia, ut docet Scotus 4. d. 12. q. 4. vinum condensari potest, & rarefieri subsistente essentia vini; quia rarefactio & condensatio substantiam vini non destruunt, sicut congelatio aquæ, olei, & cujusvis liquoris flexibilis non destruit præfatos liquores; quod patet ex eodem colore, sapore, vigore, post solutum gelu, in eis repertis; Unde etiam si post Consecrationem accedat congelatio, adhuc permanet ibi sanguis Christi: ergo vinum congelatum est sufficiens Materia Consecrationis.

Probatur secundò: Vinum congelatum adhuc ex natura sua est Materia potabilis; non quidem eo modo, quò solutum vinum, sed sugendo: Unde si minutim deglutiatur, habet se potiùs ut potûs, quàm cibus, & magis sumitur ad extinguendam sitim, quàm famem: quod inde patet; quia ita sumptum non solvit jejunium Ecclesiasticum; quod tamen faceret, si haberet rationem cibi: ergo vinum congelatum est materia sufficiens Consecrationis; & potest demonstrari sufficienter per pronomen *Hic*.

9. Vinum congelatū retinet naturam vini & habet aliquo modo rationem potûs.

DICES: Aqua congelata non est materia sufficiens pro Baptismo: ergo nec vinum congelatum pro Eucharistia. Respondeo: Neg: Consequentiam disparitas est: quia in Baptismo materia proxima est ipsa actualis ablutio; sed in hoc Sacramento Materia proxima non est actualis potatio, sed vinum per se potabile, ac demonstrabile.

10. Disparitas inter aquam congelatā Baptismi & vinum.

Nota quòd licèt vinum congelatum sit Materia sufficiens Consecrationis, & valida; non tamen est licita; unde graviter peccant, qui in congelato conficiunt; tum quia in re gravi faciunt contra consuetum Ecclesiæ usum; tum quia peccant contra reverentiam Sacramenti, eò quòd à multis AA: censetur dubia Materia.

11. Vinum Congelatum non est licita Materia.

Nota tamen secundò nullum fore peccatum, si vinum congelatum ante consecrationem liquefiat; quamvis consultum sit aliud vinum adhibere, si congeletur ante factam oblationem: imò juxta Suar: & alios, etsi post factam oblationem. Ego tamen censeo meliùs esse, adhibitis calidis rebus, exteriùs applicatis calici, post oblationem vinum congelatum dissolvere, & illud ipsum consecrare, quàm novum adhibere; nisi ex immutatione coloris, saporis, aut alio modo de corruptione vini per vehementem congelationem facta constaret. Minùs adhuc curanda est levis & inchoata quædam congelatio vini in altari, quæ insuper facilè tollitur admotâ ad cuppam manu.

12. Cautela circa vinum congelatum in calice.

DICO tertiò: Quodcumque vinum de vite, album, rubrum, ex utroque mixtum, cujuscunque regionis, etsi unum ab alio foret specie distinctum, est materia consecrationis.

13. Rubrum & album vinum est Materia apta Consecrationis.

Probatur: quia quodlibet habet veram & essentialem rationem vini; nihilque est, unde, vel leviter conjici possit, unam potiùs vini speciem, quàm aliam esse institutam: imò ex praxi Ecclesiæ constat contrarium: ergo &c.

Ex his infero vinum crudum, & certis pluviosis annis valdè acescens validè posse consecrari, etiamsi tendens ad interitum. Ita D. Thomas q. 7. 4. art: 5. ad 2. Henriquez & alii. Ratio est: quia adhuc est verum vinum.

14. Etiam crudum.

Quòd si autem sit ita alteratum, ut non possit

15. In quasi

R

corrupto vino nunquam Consecrandū. possit discerni, num vinum sit, vel acetum; non debet io eo celebrari, etiam præsente maximo populo; & licèt orgeat Communio Paschalis: Ratio est, quia plus urget reverentia Sacramento hoic debita, quæ certam materiam postulat, quàm præceptum audiendi missam, vel commooicandi.

QUÆSTIO XI.

Utrum sit aqua vino miscenda?

1. *Hereses circà aquam vino miscendam in calice.* NOta primò io Concil: Floreot: fuisse acrem controversiam cum Armenis, utrom vino consecrando debeat aqua misceri: ipsi enim hæresi Eutychianâ infecti, ooluerunt in Sacrificiis miscere aquam vino, ne in Christo duas oaturas admittere viderentur, prout narrat Niceph: lib: 18. c. 53. Quos io hoc imitantur Lutherani & Calvinistæ, qui in suo calice, aquam non admiscent vino, totamqoe Ecclesiam propter hanc cæremoniam rident.

2. *Ex determinatione Ecclesiæ debet aqua misceri vino in sacrificio.* DICO primò: In calice Coosecrationis est permiscenda aqua vino, in modica, quantitate; oon de necessitate Sacramenti, aut præcepto Divino; sed vi præcepti purè Ecclesiastici. Ita Scotus in 4. d. 12. q. 4. & communis Theologorum.

Probatur prima pars: quia plura Concilia hanc aqoæ mixtionem præceperuot; ut Tolet: Carthag: Braccareo: Florent: in Decreto *fidei*, & taodem Trideot: Sess: 22. c. 7. quare omnes cooveniunt AA: Sacerdotem gravissimè peccare, omittendo talem aquæ affusionem; ideoqoe si ante Consecrationem advertat aqoam noo miscoisse; tenetur semper illam apponere. Secundò hæc pars fuodatur in facto Christi, qui teste Trident: cit: creditur ita fecisse; non tamen tanquam esset de necessitate præcepti ejus Divini, nobis hoc idem faciendum, ot statim ostendam. Tertiò: quia per talem admixtionem beoè repræsentatur mysterium illud, qoòd de latere Christi exiverit sanguis, & aqua: & illud aliod; quòd sicut aqua miscetur vino; sic popùlus, qui per aquam significatur, coojongitor Christo, qui per vinum figuratur.

3. *Non ex præcepto Divino.* Probatur secunda pars, *quòd non sit necessaria talis mixtio necessitate Sacramenti, aut præcepti Divini*; colligitur hoc ex iisdem cit. CC: & signanter Florentino præcipiente Armenis, servare huoc ritum miscendi aqoam vino, propter conformiratem Ecclesiæ; oon propter veritatem Sacramenti. Et Trid: cit: dicente Sess: 22. hanc mixtionem debere tantùm ex Ecclesiæ præcepto fieri. Accedit consensus omnium SS: PP: unicò Cyprian: exceptò.

4. *Sed purè Ecclesiastico.* Remaoet ergo vera tertia pars Conclusionis; quòd sit solom præceptum Ecclesiasticum de affusione aquæ io calicem. Quod Confirmatur ulterius; qoia si aliquid ostenderet necessitatem præcepti Divini, maximè factum Christi, admiscentis aquam; ot habet traditio Ecclesiæ: sed hoc noo urget hìc; alioquin si omnia, quæ tunc Christus adhibuit, essent de necessitate Sacrameoti: ergo etiam panis azymus, & qoalitas vini albi, vel rubri esset sic necessaria; qnod tamen nemo dicet.

5. *Glossatur hic Canonicum Objectum.* Objicies primò Julium Papam, quem sequitur S. Cypriao: & refertur in c. *cum omnem de Consecrat*: d. 2. qui dicunt; calicem Domini non posse esse sinè admixtione aquæ: ergo sicut in calice necessariom est necessitate præcepti Divini vioum, ita & aqua. Respond: Neg: Conseq: qoia citati tantùm volunt, admixtionem illam esse necessariam ad ostendendum effectum secundarium hujus Sacramenti, qui est conjunctio populi Christiani cum Christo; non tamen simpliciter.

6. *Et Concilium Carthag.* Objicies secundò Coocil: Carthag: Can: 24: in quo dicitur; nos esse monitos, & instructos à Christo, ut calicem cum vino aquâ mixto sicut ipse obtulit, offeramus: ergo &c. Respondeo Neg: Cooseq: Christus enim de multis aliis rebus etiam nos instruxit, puta de virginitate servanda, de jejunio &c. quæ tamen non sunt necessariò de mandato Divino ipsius servandæ.

7. *Modicitas aquæ consistit in 3. circiter guttis.* Nota aotem per modicam quantitatem de qua loquitur Conclusio, intelligi 3. vel 4. guttas. Ratio est, usus Ecclesiæ: & motivum mysterii, quod hic peragitur: quia major est majestas sanguinis, quàm fragilitas populi, qoi per aquam significatur juxta illud Apoc: *Aqua multa populi multi.*

QUÆSTIO XII.

In quid aqua vino affusa immediatè convertatur?

1. *RR: Opinio de conversione aquæ mistæ vino.* NOta primò: RR: oostro tempore mordicitùs tenent opinionem suam novissimam, quòd aqua vioo immixta, dum fit Consecratio, convertator immediatè in sanguinem, unà cum vino, sinè prævia conversione in vinum. Ita Lugo, Aresius, Bellarm: qui erroneè putat hanc senteotiam esse de Fide; & Comptoous disp: 73. qui eam dicit maximom habere fuodamentum io PP: sed postquam PP: fuerint ad examen veritatis adducti,

cti, apparebit mantem eorum fuisse longè aliam.

2. *Tres aliæ Opiniones veteres ex cap: cum Marthæ.*

Nota secundò: Olim etiam hac de re fuisse controversiam; nam Innoc. 3. in cap: *cum Marthæ de Celebratione Missarum,* tres recenset opiniones circa aqoam Calici Consecrationis admixtam.

Prima dicebat: vinum & aquam, qoæ miscetur in calice, divinâ virtute mutari in sanguinem, & aqoam, quæ fluxerunt de latere Christi; utique vinum in sanguinem, & aqoam in aquam.

Secunda ajebat: aquam cum vino transubstantiari in sanguinem, priùs in vinum conversam.

Tertia contendebat: aquam remanere cum accidentibus vini: *Verùm inter has Opiniones* (subjungit Innocentius) *illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino transubstantiari, ut expressiùs eluceat proprietas Sacramenti.* Cum quo

3. *Ostenditur ex Decretis Ecclesiæ aquam mixtam vino prius converti in vinum.*

DICO: Aqua mixta vino priùs convertitur in vinum, ex quo sequitur conversio ejus in sanguinem Christi. Conclosio est Scoti hic dist: 11. q. 7. & communiter recipitur etiam ab aliis utriusque Scholæ Scot: & Thomist:

Probatur primò Authoritate Ecclesiæ, & ritu ejus Ecclesiastico, quô otitur Florent: in Decreto *de Unione Armen:* & Trid: jubentis, ut modica aqoa misceatur; ut scilicet faciliter illo brevi Missæ tempore ante Consecrationem, possit converti in vinom; & sic tandem in sanguinem; alioquin si esset apta immediatè converti in sangoinem, non præcepisset Ecclesia tam solicitè modicam quantitatem: qoæ est etiam ratio Doctoris.

4. *Item Authoritatè Innoc: III.*

Probatur secondò Authoritate Innoc: 3. cit: de celebratione Missarum eap: *cum Marthæ §. quæsivisti;* ubi taoqoam probabiliorem ex tribus ibi relatis opinionibus commendavit secundam in Conclusione nostra positam: Unde lib: 4. Mysteriorum Missæ cap: 29. dicit: quibusdam verò non absurdum videtur, qoòd aqua cum vino transit in sangoinem: *quis enim ambigat* (occurrit opinioni Philosophorum) *aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum aqua infunditur? alioquin tota vini substantia propter guttam aquæ mutaretur, ut quoddam fiat ex ipsis confusum, quod nec sit vinum, nec aqua.*

5. *Ex variis Canonibus.*

Probatur tertiò ex CC: & Canonibus sufficienter dedocitur Materiam Consecrationis io calice esse solùm vinum; aquam verò illi admisceri, non ut Materiam; sed solum per modum cujusdam Cæremoniæ, ad mysticam significationem, tum aquæ ex latere Christi profluentis; tum populi cum Christo Unionis; sed non convertitur io sanguinem, nisi Materia Consecrationis: ergo &c.

6. *Ex Tridentino.*

Confirmatur: Trident: Sess: 13. Can: 2. definit; factâ Consecratione manere solas species panis, & vini; nullâ factâ aquæ mentione, & specierum ejus: ergo vult tantummodo Materiæ Consecrationis convenire solùm vino.

7. *Ex ratione.*

Probatur quartò: Sacramentum Eucharistiæ est à Christo institutum non in quacunque Materia, sed in cibo, & potu apto per se ad nutriendum, & alendum corpus; ut per effectum, quem in corpore faciunt cibus, & potus corporens, significetur effectus spiritualis, qui ab hoc Sacramento fit in anima suscipientis; ut definit Florent: in Decreto *Eug:* sed vinum ab omnibus, & non aqua numeratur inter res nutritivas, ut docet Galen: lib: 3. *de alimentatrice facultate* cap: 40. ergo &c.

8. *Et à pari.*

Probatur quintò: Eodem modo asseritur à CC: & PP: vinum esse Materiam Eucharistiæ in calice, ac panem triticeum esse Materiam illius io hostia: sed si hostiæ aliqua pars admisceatur, quæ non sit panis triticei, & hordeacei, illa nollo modo convertitur in corpus Christi; nam sicut antequam pani triticeo uniretur, non erat Materia ad Consecrationem apta; ita neque fit talis per hoc, quod illi uniatur; si in panem substantialiter non convertatur: ergo similiter in calice aqoa mixta vino, si priùs in vinum non convertitur; non potest in Christi Sanguinem immediatè converti, & sic, si antequam vino uniretur, non erat Materia ad Consecrationem sanguinis idonea; ita neque talis fieri potest post unionem; sed per solam conversionem in vini substantiam.

QUÆSTIO XIII.

Objecta Adversariorum contra priorem doctrinam diluuntur.

1. *Objectioni ex PP. deducta satis fit.*

Arguit primò Comptonus cum suis Disp: 73. Sect: 3. ex PP: qui universim affirmant aquam vino ex Ecclesiæ præcepto admixtam converti in sangoinem: ita loquitur Alexander primus in Epistola *ad omnes Orthodoxos.* S. Augustinus, Ambrosius, Damascenus, &c.

Respondeo hos, aliosque complures PP: à Comptono, & suis citatos, nunquam addere hanc particulam *converti immediatè* in sanguinem Christi; sed simpliciter & ab-

& absolutè eam converti, supponentes eam priùs converti in vinum, & consultò abstrahebant ab hac controversia Scholastica, *Num priùs convertatur in vinum, quam inSanguinem*; quia ad propositum eorum non faciebat, neque debebat decidi; cùm non cedat in majorem Ecclesiæ, & animarum utilitatem, sive immediatè aqua convertatur in Sanguinem, sive priùs in vinum.

2. *Solutio ad Replicam Comptoni ex PP;*

Instat Comptonus num: 12. Si hæc fuit mens & suppositio Patrum; mirum est, eos hoc nunquam asseruisse. Contra non debet magìs videri mirum quàm quòd citati PP: etiam suam mentem non asseruerint de immediata aquæ conversione in sanguinem. Itaque PP: solùm eò incumbebant, ut docerent vinum aquâ mixtum, esse Consecrandum, propter multiplex Mysterium.

3. *An Innoc: stet pro Opinione Comptoni?*

Arguit secundò ex Innoc: 3. cap: *cum Martha* dicens: Papæ fuisse propositum dubium in hac quæst: *utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur*; nullus autem unquam dubitavit, utrum si aqua ante Consecrationem conversa fuisset in vinum, converteretur in sanguinem: ergo dubium fuit propositum; num si aqua ante Consecrationem conversa non esset in vinum, converteretur in sanguinem? Ad quod respondit Papa directè, aquam cum vino in Sanguinem transmutari; subintellige immediatè; aliàs Papa non satisfaceret dubio proposito.

4. *Respondetur Negativè.*

Respongeo Negando dubium in illa hypothetica modificatione fuisse propositum Papæ: nam si accuratè legatur ille Titulus 41. *de Celebratione Miss*: in 3. Decretat: cap: *cùm Martha*, apparet Papam non consuli de aqua, quæ non fuisset conversa in vinum, *num in Consecratione immediatè in Sanguinem Christi vertatur*; sed consulitur tantùm; num *revera convertatur*, abstrahendo à ly *mediatè* vel *immediatè*: qua in re quia erant tres Opiniones Scholasticorum; approbavit Pontifex nostram de mediata conversione; quo responso satisfecit dubio proposito.

5. *Instantia Comptoni enervatur.*

Instat secundò Comptonus cit: Sect: 4. num: 3. Papam quidem judicare probabiliorem nostram sententiam & opinionem; non tamen approbare ejus rationem. Contra lib: 4. *Myster: Missæ* cap: 29. expressè dicit: *Quis ambigat* (inquit obvians Physicis) *cùm multo vino modicum infunditur aqua*? quòd scilicet aqua non convertatur in vinum? ac si diceret nullus; *alioquin tota vini substantia propter guttam aquæ mutaretur, ut quoddam fiat ex ipsis confusum, quod nec sit aqua nec vinum*: quibus verbis rationem opinionis approbat pariter.

6. *An ex Aristotele & Innoc: 3. Opposita Opinio rectè deducatur?*

Objicit tertiò: Aristotelem negantem, posse aquam in vinum converti; & Innocent: 3. lib. *de Mysteriis Missæ* dicentem; *In Sacramento est Trinitas specierum, nempe panis, vinum, & aqua*: ergò &c.

7. *Respondetur quod non:*

Respondeo me Aristotelem hac in parte nil curare; nam cùm experientiâ physicâ constet, vinum naturâ suâ esse valdè activum; non est cur ipsi denegetur virtus aggenerandi sibi simile, quæ aliis mixtis conceditur; uti ostendi in lib: *de Generatione*. Ad Innocentium dico: ex hac Authoritate solùm haberi, quòd sit cum vino, & pane aqua ante Consecrationem, sed non exprimitur, num semper maneat usque ad Consecrationem.

8. *Factum Christi nō firmat Comptoni Opinionē.*

Arguit quartò Comptonus ex facto Christi, à quo aqua immediatè per Consecrationem fuit conversa in sanguinem Christi: quia intercessit valdè modica mora, ut habetur in Liturgiis S. Basilii, & S. Jacobi, inter aquæ affusionem, & Consecrationem; quæ ad conversionem aquæ in vinum non suffecit.

Respondeo primò: non constare etiam ex citatis Liturgiis, quòd non intercesserit sufficiens mora ad præconversionem; maximè cùm modica valdè aqua à Christo fuerit affusa, utpote non ad temperandum potum vini, sed ratione mysterii.

9. *Christus miraculosè acceleravit Conversionem aquæ in vinum.*

Respondeo secundò: Christum potuisse Divinâ virtute accelerare præconversionem aquæ in vinum ante Consecrationem, si natura vini non fuisset sufficiens.

10. *Dispar modus Consecrationis Christi & nostræ.*

Respondeo tertiò: Dato tandem quòd in facto Christi fuisset immediata conversio aquæ in Sanguinem, defectu moræ, & propter immediatè sequentem Consecrationem; tamen defactò hoc contingere non debet, ubi mora notabilis, & sufficiens ad præconversionem aquæ interponitur ante Consecrationem.

11. *An saltèm certi casus & Conc: Tribur: suadeant immediatam aquæ conversionem in sanguinē Christi.*

Arguit quintò: Si Sacerdos jam jam consecraturus recordaretur, se aquam non miscuisse; debet eam apponere, & statim Consecrare: Item si in fine Missæ advertat se solam aquam in calice habuisse, debet accipere vinum, & miscere aquam, & illicò Consecrare; sed in his casibus nequit præconverti aqua in vinum ante Consecrationem: ergo &c. Addit Concil: Triburiense decernens, ut duæ partes vini & tertia aquæ sumerentur pro Calice Consecrationis: ubi moraliter loquendo non poterit aqua ante Consecrationem converti: ergo &c.

Respon-

12\. *Respondetur pariter negativè.*

Respondeo ad primum: in illis casibus etiam illo brevissimo tempore posse contingere illam, præconversionem aquæ, eò quòd aqua modicissima sit; & qualitates vini valdè activæ. Aut si contingat ob debiles vini vires non posse fieri hujusmodi præconversionem, dico aquam non converti in sanguinem Christi; sed manere in propria specie admixtam speciebus Consecratis; nec hoc est inconveniens. Ad Concil: dico illud fuisse Provinciale; & fuisse quoad hoc correctum per Generale Florent: præcipientis, ut modicissima aqua apponeretur.

13\. *Nequaquam fecit antiquus Ecclesiæ sensus pro Comptoni instantia.*

Arguit sextò sub num: 10. communem omnium sensum fuisse in Ecclesia, aquam non converti in vinum, priusquam convertatur in sanguinem: ergo &c. Respondeo Neg: Ant: imò oppositam sententiam à tempore Innoc: 3, fuisse communem Ecclesiæ sensum, patêt ex Florent: Trident: & Canonibus citatis priori quæst: in probis Conclusionis nostræ.

14\. *Contraponuntur Comptono plures AA: veteres.*

Adducit Comptonus unum Gaufredum Monachum apud Baron: Anno 1188. suæ Opinionis veterem testem. Ego pro mea opinione prisca adducere possem quasi omnes veteres insigniores Scholasticos, Alensem, D. Thom: S. Bonavent: Scotum cum omnibus Thomistis & Scotistis: Ex RR: Valentiam, Suar: Vasq: Amicum, Aversam, Orlandum &c.

15\. *Vinum habet qualitates secundas aqua conversivas.*

Arguunt septimò: alii AA: Vinum non habet qualitates conversivas aquæ in suam substantiam; nam vinum, nec habet formalem siccitatem, nec formalem calorem, quæ destruunt frigus & humiditatem aquæ: ergo &c.

Respondeo: Dist: Ant: vinum non habet qualitates conversivas aquæ primas concedo Ant: secundas, nego Ant: Habet ergo vinum nativas quasdam activas vires, seu qualitates secundas, & appropriatas vino, quibus fit illa conversio.

15\. *Chymici solas substantias tenues vinosas ex vino mixto extraxêre.*

Objicies octavò: Chymici ex vino aquâ mixto traxerunt arte quasdam guttas aquæ: ergo nulla ibi præcessit conversio. Respondeo illas guttas (si veræ sint experientiæ allatæ) non fuisse aquam veram, sed quasdam attenuatas substantiales partes vini, quæ licèt sint ejusdem coloris cum aqua; in sapore tamen differunt.

QUÆSTIO XIV.

Num precibus, à forma Catholica distinctis confici debeat Corpus Christi?

1\. *Scopus hujus quæstionis.*

Hic breviter concertandum est cum Hæreticis: Kemnitius enim 2. *part. Exam: Conc: Trid: Sess. 13. c. 1.* Westphalus, Buccerus, & Calvinus cum suis docent; nullam omnino determinatam formam requiri ad Consecrationem Corporis Christi, sed sufficere sola illa verba quibus prolatis excitatur fides in Communicante; unde conficiunt suam Cœnam, vel concione ad populum præambulâ; vel aliquibus precibus indifferentibus; vel recitatione Historiæ de Cœna Domini; appellantque Calvinistæ verba nostra Consecratoria, meras incantationes: Contra quos breviter.

2\. *Nullæ preces distinctæ à Canone requiruntur ad conficiendum.*

DICO: Ad Consecrationem Corporis Christi nullæ requiruntur preces, distinctæ à verbis in Canone Catholico assignatis; nec ullæ conciones; & si talis adsint, non sufficiunt ad confectionem hujus Sacramenti.

Probatur primò: ex omnibus Conciliis & PP: Ex PP: quidem Chrysost: hom: de proditione Judæ, *hoc est*, ait, *corpus meum, hoc verbo proposita dona Consecrantur; & sicut illa vox, quæ dicit, crescite & multiplicamini, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentio effectum ad generationem operante naturâ; ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum, præstat sacrificio firmitatem.* Item S. Ambros. lib: 4. *de Sacramentis* cap: 4. *Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione: Consecratio igitur quibus verbis est, & cujus Sermonibus? Domini JESU.* Ex cap: 9. *Clamat enim Dominus JESUS hoc est corpus meum, & ante benedictionem verborum Cælestium alia species nominantur, post Consecrationem Corpus Christi est.* Quibus Authoritatibus convincitur ad Consecrationem Corporis Christi non requiri essentialiter ullas alias preces, à forma essentiali nostra Catholica distinctas.

3\. *Florent: & Trid: firmant prædictam doctrinam.*

Concilia pro hac re etiam sunt clara, maximè Florent: & Trident: in illis Canonibus, in quibus agunt de forma hujus Sacramenti. Ratio à priori hujus Conclusionis est institutio & factum Christi, qui hoc Sacramentum confecit sine ullis precibus & Concione, ut habetur in Epist: 1. Cor: 11.

4\. *Et congruentia Scoti.*

Congruentiam etiam dat Doct: subt: hìc dicens: *Congruum fuit, quòd signum sensibile, sub quo nobis DEUS voluit se dare, haberet ordinem ad verba aliqua ab aliquo Ministro proferenda; quia aliter nesciremus, quando in tali signo esset Christus, & quando non; & sic periret reverentia debita & devotio;*

tio: nulla autem sunt verba magis apta, quàm prædicta &c. ergo &c.

5. *SS: PP. exponuntur pro Catholicis.* Objiciunt Hæretici Justinum Martyrem Apologia 2. dicentem: *Oratione confici Eucharistiam.* Item Irenæum lib: 4. cap: 14. docentem: *Invocatione nominis JESU confici eandem Eucharistiam:* Et Cyrill: Hierosl: Catechesi 3. & 4. ait: quòd *invocatione Spiritûs Sancti.* Hieronym: ad Evagrium, quòd *Sacerdotum precibus.* August: 3. Civ: c. 4. quòd *prece mysticâ:* ergo &c.

Respondeo hos omnes PP: attribuere effectum Consecrationis precibus, & invocationibus tantùm ideò, quia ipsis verbis Consecratoriis in Canone Catholico adjunguntur præviè, & subsequenter preces quædam: vel certè quia ipsa Consecratio nonnunquam à PP: appellatur invocatio, & deprecatio; utpote virtute cujus movetur DEUS, ad ponendum corpus & sanguinem Christi.

6. *Cur in Græcis Liturgiis preces ponantur post Consecrationem.* DICES: Græci in suis Liturgiis post verba Consecrationis subjungunt sequentes preces significantes, quòd iis mediantibus conficiatur Corpus Christi: & *Fac,* inquiunt, *panem quidem hunc pretiosum corpus Christi tui; quod autem in calice isto est, pretiosum Sanguinem Christi tui, &c.* ergo preces aliquæ distinctæ sunt necessariæ. Respondeo Latinos in Concil: Florent: Sess: ult: illud ipsum objecisse Græcis; ad quod respondent Græci; *fateri nos diximus per hæc verba* (scilicet hoc est corpus meum) *transsubstantiari sacrum panem & fieri Corpus Christi: sed postea quemadmodum & ipsi (supple Latini) dicitis, jube hæc perferri per manus S. Angeli tui in sublime Altare tuum; ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus S. descendat super nos & efficiat in nobis panem hunc pretiosum Corpus Christi sui &c.* ex qua Græcorum responsione habetur, quòd illæ preces non ordinentur ad essentialem confectionem Corporis Christi in se, sed ut Corpus Christi jam præsens, fiat Communicantibus in remissionem & pretium peccatorum.

QUÆSTIO XV.

Quæ verba essentialiter requirantur ad formam validam Consecrationis Corporis Christi?

1. *Varia Doctorum* NOta primò: hic congrediendum esse cum DD: Catholicis, quorum aliqui volunt, quòd omnia verba à ly *Qui pridiè quàm pateretur* incipiendo, usque ad ly *Corpus meum;* licèt non sint pars essentialis formæ; ita tamen sint necessaria ad Consecrationem, ut si omitterentur nil conficeretur. *mentes proponuntur.* Hanc aliqui Scotistæ attribuunt Scoto; sed non rectè, & sequuntur Faber, Rada &c. Alii docent verba præcedentia illud pronomen *Hoc,* non esse de necessitate Sacramenti; sed solùm præcepti; unde iis omissis, adhuc fieret confectio Corporis Christi per sola illa 4. verba *Hoc est corpus meum;* dummodò Sacerdos proferens intendat ponere Corpus Christi, & non suum Corpus. Ita D. Thom: item Alensis, S. Bonaventura, Tartaret: fidelissimus Scoti interpres, qui ait Scotum oppositum dixisse solùm disputandi gratiâ; non verò ita sensisse; quia ibi se remittit meliori judicio: Hanc etiam sequuntur Basfol: Areti: Hiq: Ponc: & alii RR: Scotistæ cum quibus

2. *Quatuor tantùm verba constituunt validam formam Consecrativa Corporis Christi.* DICO: Probabilius est sola illa 4. verba *Hoc est corpus meum,* sufficere ad validam formam Consecrativam Corporis Christi. Est conformis Scoto q. 2. d. 8. hic.

Probatur primò: ideò alia verba præcedentia etiam spectarent ad essentiam validæ formæ Consecrativæ Corporis Christi; quia forma Consecrativa ab eis pendet quoad hoc, ut proferatur forma in persona Christi, & non ipsius Consecrantis; sed forma Consecrativa valida, ab eis sic non dependet: ergo &c. Probatur Min: ut forma proferatur in persona Christi totum pendet ex intentione Ministri volentis facere, quòd fecit Christus, quod inde patet; quia si millies omnia verba præcedentia, & ipsam etiam formam Consecrativam proferret, non habendo intentionem de prolatione eo modo, quò Christus ea protulit, tantùm materialiter, & recitativè sine ulla Consecratione illa proferret: ergo &c.

3. *Ratio ad hoc ex Florent:* Probatur secundò: ex Decreto *Unionis* in Concil: Florent: constat; verba, quibus hoc conficitur Sacramentum, esse verba Salvatoris, in cujus persona Sacerdos loquens hoc conficit Sacramentum: sed aliqua ex illis verbis, quæ præcedunt non sunt verba Salvatoris, sed Evangelistarum: ergo ad formam validam hujus Sacramenti non pertinent. Et licèt illa verba *Accipite* & *manducate* sint Salvatoris; tamen ea Sacerdos non profert in persona Christi, nisi recitativè tantùm aliàs vera non essent: deinde spectant tantùm ad usum hujus Sacramenti, non verò ad ejus essentiam & ideo apud Luc: omittitur ly *Accipite, & manducate;* & statim dicitur;

Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum.

4. *Unde probant DD: & Ecclesia realem præsentiam Corporis Christi sub speciebus.*

Objiciunt primò: Scotistæ oppositæ sententiæ; PP. & Ecclesia ex vi verborum, & proprietate realem præsentiam Corporis Christi sub speciebus probant; sed hæc oratio *Hoc est corpus meum*, si sola prolata ex vi verborum non significat Corpus Christi præsens; sed potiùs Sacerdotis loquentis: ergo addenda sunt alia necessariò præcedentia verba, quibus significatur hanc Orationem proferri in persona Christi.

Respondeo Neg: Maj: sed Ecclesia & PP: probant realem præsentiam Corporis Christi potiùs ex verborum institutione à Christo facta, & institutione à Christo facta, & intentione Ministri faciendi quod Christus instituit. Itaque si sola illa 4. verba *Hoc est corpus meum* proferantur super panem cum intentione, quatenùs à Christo instituta fuere ad effectum Consecrationis, fiet valida Consecratio; tunc enim Sacerdos in persona Christi loquitur, & ly *meum* non corpus loquentis; sed Christi significat.

5. *Sine prioribus verbis Canonis habet sensum perfectum hæc propositio: Hoc est corpus meum.*

Objicies secundò: sine præcedentibus verbis Forma Consecrationis non haberet perfectum sensum: ergo illa quoque sunt necessaria. Prob: Ant: quia ly *enim* interpositum continuat totam Formam cum præcedentibus verbis, & facit propositionem causalem, seu hypotheticam, atque ideo verum sensum non habet; nisi præcedentia verba proferantur: ergo &c.

Respondeo particulam *enim* non esse de essentia Formæ Consecratæ; ac proinde absque illa valida est Consecratio, ut patet ex Liturgia S. Jacobi, in qua hæc particula omittitur: & quamvis in nostra Forma ponatur, tamen hoc fit præcisè ad continuandum sequentia verba cum præcedentibus: Unde ad Argumentum dico; quòd licèt sine præcedentibus verbis Forma Consecrationis non haberet perfectum sensum, tanquam propositio hypothetica; benè tamen ut cathegorica: illa enim propositio causalis his duabus simplicibus æquivalet *Hoc est corpus meum; & ideo debetis illud comedere*, ex quo patet sensum primæ propositionis simplicis perfectum esse, quantum sufficit, ut causare possit, id quod significat.

6. *Non possunt tamē prima omitti absque mortali.*

Concludendum ergo est universaliter benè, quòd sola illa verba *Hoc est corpus meum*, constituunt essentiam totam formæ Consecrationis Corporis: reliqua tamen; *Qui pridiè quàm pateretur* &c. licèt ad confectionem Saccramenti non concurrant essentialiter; adhuc tamen sine peccato mortali omitti non possunt: quia pertinent ad ritum, quò Ecclesia repræsentat actionem, & ea quæ in ultima Cœna à Christo peracta sunt in hujus Sacramenti institutione.

QUÆSTIO XVI.

Quæ verba spectent ad validam Formam Consecrationis Sanguinis?

1. *Quale dubium moveatur circa formā Consecrationis Calicis.*

De Forma etiam Consecrationis Sanguinis, inquit Scotus, dubium est, an omnia verba à loco isto *simili modo* &c. usque ibi *nudo memores* &c. ad eam pertineant, aut necessariò requirantur? Verùm de his *simili modo* &c. usque ad ly *Hic est enim* exclusivè judico, idem asserendum, quòd supra asserui de verbis illis: *qui pridiè* &c. quæ antecedunt hæc verba: quòd non sint essentialiter, & necessariò requisita ad validam Consecrationem Calicis: Et in hoc DD: communiter conveniunt. Manet ergo difficultas inter DD: solùm de sub sequentibus ly *sanguinis mei*: ubi tres sunt solemniores opiniones.

2. *Varia sententia Authorum.*

Prima dicit, omnia verba, quæ majori distinctō charactere expressa sunt in Canone pro Consecratione Calicis, spectare ad substantiam Consecrationis.

Secunda verò asserit verba illa; *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, esse essentialia, alia intermedia non; sed proferri ad magis explicandum mysterium. Ita Amicus, Vasq; & multi RR:

Tertiò docent alii alia verba, quæ sequuntur ly *Sanguinis mei*, non esse essentialia. Ita Scotus, & Scotistæ omnes cum Alens: S. Bonav; Suar; Con; cum qua

3. *Concluditur Essentiam formæ Consecrationis Calicis consistere in his terminis Hic est Calix sanguinis mei.*

DICO primò: Forma Consecrativa Sanguinis in illis verbis solis essentialiter consistit; *Hic est calix sanguinis mei*, vel in his æquivalentibus; *Hic est sanguis meus.*

Probatur primò: credibile non est Evangelistas, & Paulum 1. Cor: 11. ubi de institutione hujus Sacramenti loquitur, Formam debitam omisisse; imò tenendum est, singulos posuisse integrum ritum essentialem hujus Sacramenti; sed verba sola in Conclusione specificata ponuntur ab omnibus; sequentia verò, vel aliqua à nullo ponuntur, vel saltèm non ab omnibus; nam Matthæus, & Lucas omiserunt particulam *pro vobis*; Marcus ly *Remissionem peccatorum*; omnes omiserunt ly *æterni, & mysterium fidei*: similiter in Lyturgia S. Jacobi, Marci, & Basilii, quibus utuntur Græci sine reprehensione, non ponitur

 ly

ly *Mysterium fidei* : in Liturgia S. Matth: pro Æthiopibus composita, non habetur ly *Novi, & æterni Testamenti* : ergo &c.

4. *Hoc à pari monstratur.*

Probatur secundò : Ita consistit perfectus sensus substantialis Consecrationis Calicis in his verbis significantibus præsentiam sanguinis Christi *Hic est sanguis meus*, sicut in illis in Consecratione corporis *Hoc est corpus meum* : sed posteriora 4. sola essentialiter constituunt formam Consecrativam Corporis : ergo & priora constituent essentialiter Formam Consecrativam Sanguinis.

5. *Alia paritas.*

Probatur tertiò : specialiter contra secundam sententiam : in Forma Consecrationis panis illa verba, *Qui pro vobis tradetur*, non sunt de essentia Formæ; ergo neque in Forma Consecrationis sanguinis illa *Qui pro vobis effundetur* à paritate.

6. *Thomistis Respondetur.*

Objicies primò pro D.Thoma: Omnia illa verba *Novi & æterni Testamenti &c.* complent cum præcedentibus unam propositionem; cùm se teneant ex parte illius prædicati *sanguinis mei*, cujus sunt determinationes : ergo &c. Respondeo Neg: Conseq: nam si omnia, quæ determinant unum prædicatum, essent de essentia Formæ sequeretur, quòd in absolutione Sacramentali verba illa *A peccatis tuis &c.* quæ determinant prædicatum Formæ Sacramenti Pœnitentiæ essent de essentia, quod est falsum : sola ergo verba, quæ determinant prædicatum ad significandam conversionem vini in sanguinem, sunt de essentia Formæ sanguinis; qualia sunt sola illa : *Hic est calix sanguinis mei.*

7. *Occurritur cuidã instantiæ Thomist:*

DICES : Omnia verba eodem ritu à Sacerdote proferuntur; iisdem Characteribus Majusculis in Missali notantur; nec populo proponitur adorandus calix, donec omnia prolata sint : ergo &c. Resp: Ex toto hoc discursu nil convinci aliud, quàm quòd omnia verba sint sub præcepto proferenda ; quia etiam particula *Enim* majusculis scribitur; eodem ritu profertur; & tamen secundùm omnes DD: non est de essentia Formæ; ergo &c. Item in Forma absolutionis eodem ritu & tenore proferuntur omnia illa, *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris &c.* & tamen non sunt omnia de essentia ejus.

8. *Disparitas inter Formam baptismi & Consecrationis.*

Objicies secundò : in Baptismo illa verba: *Ego te baptizo*, totum effectum Sacramenti significant, qui est spiritualis ablutio ; & tamen de necessitate Sacramenti etiam invocatio sanctissimæ Trinitatis debet accedere per alia verba *in nomine Patris &c.* ergo à pari hic &c. Respondeo Neg: Ant: quia illa verba *Ego te baptizo*, internam ablutionem spiritualem non significant ; nisi addatur expressa invocatio sanctissimæ Trinitatis. Ratio est ; quia baptismus est janua fidei ; unde debet ejus effectus significari per verba professiva fidei SS: Trinitatis : non sic est de Eucharistia.

9. *Sola præsentia Corporis & Sanguinis Christi Formis Consecratoriis explicari debet.*

Objicies tertiò : Sanguis Christi est sub speciebus repræsentativis sacrificii cruenti, peracti in ara Crucis : ergo præter verba conversionis Sacramentalis significativa, necessaria sunt etiam de essentia alia, quæ determinant Formam ad hoc mysterium sacrificii significandum ; qualia sunt illa, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur.*

Respondeo Neg: Conseq: quia licèt de facto ex institutione Divina Eucharistiæ Sacramentum, & Missæ sacrificium simul conjugantur ; hoc tamen non est de intrinseca ratione ejus, sed separari possunt ; ac proinde non requiritur essentialiter, ut in Forma explicetur hoc mysterium sacrificii cruenti ; alioquin nec in Consecratione panis debuissent omitti verba, quibus suam Passionem Christus expressit ; sed sufficit, quòd explicetur præsentia corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini.

10. *Congruentia DD: cur in Forma Calicis tantùm addatur ly qui pro nobis effundetur.*

Quæres : Cur ergo additur in Forma Calicis ly *Qui pro vobis effundetur &c.* & non fiat similis additio in forma panis. Respondeo secundùm DD: propter tres congruentias. Prima est ; quia in Consecratione Calicis Christus mentionem fecit Novi Testamenti ; Testamentum autem sanguine confirmari debuit ; ideo voluit sanguinem effusum explicare per ly *effundetur*. Secunda est ; quia magis aptus est sanguis effusus ad repræsentandum passionem, & necem, quàm corpus. Tertia ; quia forma calicis posteriùs adveniens complet oblationem sacrificii, in qua proinde ad expressiorem repræsentationem Passionis Christi (quam recolit sacrificium) id additur.

QUÆSTIO XVII.

Num prolatio Formæ debeat esse recitativa, & significativa simul.

1. *Quid sit recitativè & significativè verba proferre.*

NOta primò : quod tunc proferantur verba *recitativè*, historialiter, seu materialiter ; quando proferens per illa non intendit asserere, vel negare, quod ipsa asserunt, vel negant ; sed solùm illa referre, ut ab alio enunciata : v. g. dum quis

quis legit in Evangelio verba illa Christi ad Petrum; *Tu es Petrus.* *Significativè* verò, enunciativè, & formaliter proferuntur; quando per ea proferens intendit asserere, vel negare, quod verba ipsa vi suæ significationis afferunt, vel negant v. g. dum affertivè quis dicit: DEUS est Trinus & Unus.

2. *DD: Opiniones in hac quæst:* Triplex est sententia circa verba Consecrationis, quonam modo proferantur. Prima docet prædicta verba solùm dici à Sacerdote recitativè: Ita Occham, Major, Dur: &c. secunda asserit verba illa tantùm proferri significativè. Ita RR: Tertia dicit; utroque modo simul proferri: Ita S. Bonavent: D. Thom: Scotus & ex RR: Suar: & Lugo.

3. *Sacerdos profert Verba Consecrationis recitativè.* DICO Verba Consecrationis utroque modo à Sacerdote proferuntur, recitativè, & significativè. Ita Scotus 4. d. 8. q. 2. & Scotistæ omnes.

Probatur prima pars; quia illud verbum *dicens* immediatè ponitur in Canone Missæ ante verba Consecrationis: ergo hæc verba proferri debent recitativè à Sacerdote; quia expressè Sacerdos narrat illa verba fuisse à Christo prolata in ultima Cœna; dicit enim; *Benedixit fregit, deditque Discipulis suis* &c. nec in hoc potest esse dubium.

4. *Et significativè.* Probatur secunda pars cum Scoto citato: Sacerdos de illa re, quam manibus tenet, quando Consecrat, seriò affirmat esse Corpus & Sanguinem Christi ergo significativè profert hæc verba.

5. *Ratio ad idem.* Confirmatur primò: ex mera recitatione non colligitur præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia; sed solùm factum Christi: ergo &c.

6. *Concilia stant pro significativa prolatione.* Confirmatur secundò: Florent: Trid: & PP: passim, dicunt Sacerdotem in persona Christi loqui, & conficere hoc Sacramentum, secundùm illud: *Hoc facite in meam commemorationem*: sed si recitativè tantùm proferret verba Consecrationis, non in persona Christi, sed sua loqueretur, & conficeret: ergo &c. Prob: Min: quia recitatio est actus ipsius recitantis, non ajus, cujus verba, vel facta recitantur: ergo &c.

7. *Et Innoc. 3.* Confirmatur tertiò ex Innocentio III. lib: 4. de *Mysteriis Missæ* c. 17. hoc idem afferente: ergo &c.

8. *Significativa prolatio spectat ad valorem* Nota autem secundò, quòd etsi uterque proferendi modus tam recitativus, quàm significativus in conficiendo hoc Sacramentum sit præceptus; sola tamen prolatio significativa est necessaria ad valorem Consecrationis; quia hæc sola efficit conversionem panis & vini. Deinde ad valorem & essentiam hujus Sacramenti non requiruntur verba, ac fuerunt à Christo prolata; sed à Christo fuerunt prolata tantùm significativè: ergo &c. Unde si Sacerdos recitativè tantùm proferret verba Consecrationis essentialia, & nullo modo significativè, nil conficeret; cùm taliter à Christo non sint prolata.

Sacramenti.

9. *Circa quæ verba conveniant omnes Doctores.* Nota tertiò: Omnes convenire, quòd verba Formam essentialem Consecrationis antecedentia videlicet illa *Accipite & manducate*; ac etiam Consequentia videlicet ista: *Hæc quotiescunque feceritis &c.* tantùm recitativè proferantur.

QUÆSTIO XVIII.

De significatione terminorum ly *Hic* & *Hoc* in Formis.

1. *Placita T.T: in hac quæstione.* NOta primò: multas & difformes esse DD: Opiniones circa significationem *Hic* & *Hoc* seu suppositionem eorum. Primò Richardus, ut ostendit Scotus, cum aliis docet, pronomen *Hoc* nil determinati significare; sed sub disjunctione, ut sensus sit; illud, quod nunc est, aut in proximum erit præsens sub speciebus panis, est corpus meum. Secundò Altisiod: Capreolus &c. volunt ly *Hoc* supponere per modum individui vagi. Tertiò RR: Vasq: Amicus ostendunt ly *Hoc* sumi adjectivè, & significare ipsum corpus Christi ponendum. Alii aliter. Contra quas Opiniones Scotus ponit plures Conclusiones: ego interim:

2. *Hoc & Hic substantivè sumuntur in Formis Consecrationis.* DICO primò: Pronomina *Hoc* & *Hic* in Formis Consecrationis non adjectivè, sed substantivè sumuntur. Ita Scotus 4. d. 8. q. 2.

Probatur primò ex Grammatica: Pronomina Demonstrativa *Hic, Hæc, Hoc* tunc adjectivè sumuntur: quando actu alicui substantivo copulantur, v. g. hic calamus est obtusus &c. substantivè verè, quando per se ponuntur nulli substantivo copulata v. g. hic est calamus: ergo cum in Formis Consecrationis per se ponantur, nulli copulata, sumentur substantivè.

3. *Ratio Logica pro Conclusione.* Probatur secundò ex Logica: istæ propositiones; *Hoc est Corpus meum*; *Hic est Sanguis meus*, sunt de tertio adjacente: ergo subjectum illarum in sensu Logico debet sumi substantivè. Consequentia patet; quia prædicatum habet rationem adjacentis, & formæ apud Logicum, etiam quando est substantivum: ergo subjectum, ad quod refertur, debet necessariò sumi substantivè;

T

ly *Mysterium fidei* : in Liturgia S. Matth: pro Æthiopibus composita, non habetur ly *Novi, & æterni Testamenti* ; ergo &c.

4. *Hoc à pari monstratur.*

Probatur secundò : Ita consistit perfectus sensus substantialis Consecrationis Calicis in his verbis significantibus præsentiam sanguinis Christi *Hic est sanguis meus*, sicut in illis in Consecratione corporis *Hoc est corpus meum* : sed posteriora 4. sola essentialiter constituunt formam Consecrativam Corporis : ergo & priora constituent essentialiter Formam Consecrativam Sanguinis.

5. *Alia paritas.*

Probatur tertiò : specialiter contra secundam sententiam : in Forma Consecrationis panis illa verba, *Qui pro vobis tradetur*, non sunt de essentia Formæ; ergo neque in Forma Consecrationis sanguinis illa *Qui pro vobis effundetur* à paritate.

6. *Thomistis Respondetur.*

Objicies primò pro D. Thoma: Omnia illa verba *Novi & æterni Testamenti &c.* complent cum præcedentibus unam propositionem; cùm se teneant ex parte illius prædicati *sanguinis mei*, cujus sunt determinationes : ergo &c. Respondeo Neg: Conseq: nam si omnia, quæ determinant unum prædicatum, essent de essentia Formæ sequeretur, quòd in absolutione Sacramentali verba illa *A peccatis tuis &c.* quæ determinant prædicatum Formæ Sacramenti Pœnitentiæ essent de essentia, quod est falsum : sola ergo verba, quæ determinant prædicatum ad significandam conversionem vini in sanguinem, sunt de essentia Formæ sanguinis; qualia sunt sola illa : *Hic est calix sanguinis mei.*

7. *Occurritur cuidã instantiæ Thomist:*

DICES : Omnia verba eodem ritu à Sacerdote proferuntur; iisdem Characteribus Majusculis in Missali notantur; nec populo proponitur adorandus calix, donec omnia prolata sint : ergo &c. Resp: Ex toto hoc discursu nil convinci aliud, quàm quòd omnia verba sint sub præcepto proferenda ; quia etiam particula *Enim* majusculis scribitur; eodem ritu profertur; & tamen secundùm omnes DD: non est de essentia Formæ; ergo &c. Item in Forma absolutionis eodem ritu & tenore proferuntur omnia illa, *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris &c.* & tamen non sunt omnia de essentia ejus.

8. *Disparitas inter Formam baptismi & Consecrationis.*

Objicies secundò : in Baptismo illa verba : *Ego te baptizo*, totum effectum Sacramenti significant, qui est spiritualis ablutio; & tamen de necessitate Sacramenti etiam invocatio sanctissimæ Trinitatis debet accedere per alia verba *in nomine Patris* &c. ergo à pari hìc. Respondeo Neg: Ant: quia illa verba *Ego te baptizo*, internam ablutionem spiritualem non significant; nisi addatur expressa invocatio sanctissimæ Trinitatis. Ratio est; quia baptismus est janua fidei; unde debet ejus effectus significari per verba professiva fidei SS: Trinitatis; non sic est de Eucharistia.

9. *Sola præsentia Corporis & Sanguinis Christi Formis Consecratoriis explicari debet.*

Objicies tertiò : Sanguis Christi est sub speciebus repræsentativis sacrificii cruenti, peracti in ara Crucis : ergo præter verba conversionis Sacramentalis significativa, necessaria sunt etiam de essentia alia, quæ determinant Formam ad hoc mysterium sacrificii significandum; qualia sunt illa, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur.*

Respondeo Neg: Conseq: quia licèt de facto ex institutione Divina Eucharistiæ Sacramentum, & Missæ sacrificium simul conjungantur; hoc tamen non est de intrinseca ratione ejus, sed separari possunt; ac proinde non requiritur essentialiter, ut in Forma explicetur hoc mysterium sacrificii cruenti; alioquin nec in Consecratione panis debuissent omitti verba, quibus suam Passionem Christus expressit; sed sufficit, quòd explicetur præsentia corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini.

10. *Congruentia DD: cur in Forma Calicis tantùm addatur ly qui pro nobis effundetur.*

Quæres : Cur ergo additur in Forma Calicis ly *Qui pro vobis effundetur &c.* & non fiat similis additio in forma panis. Respondeo secundùm DD: propter tres congruentias. Prima est; quia in Consecratione Calicis Christus mentionem fecit Novi Testamenti; Testamentum autem sanguine confirmari debuit; ideo voluit sanguinem effusum explicare per ly *effundetur*. Secunda est; quia magis aptus est sanguis effusus ad repræsentandum passionem, & necem, quàm corpus. Tertia; quia forma calicis posteriùs adveniens complet oblationem sacrificii, in qua proinde ad expressiorem repræsentationem Passionis Christi (quam recolit sacrificium) id additur.

QUÆSTIO XVII.

Num prolatio Formæ debeat esse recitativa, & significativa simul.

1. *Quid sit recitativè & significativè verba proferre.*

NOta primò : quòd tunc proferantur verba *recitativè*, historialiter, seu materialiter; quando proferens per illa non intendit asserere, vel negare, quod ipsa asserunt, vel negant; sed solùm illa referre, ut ab alio enunciata : v. g. dum quis

quis legit in Evangelio verba illa Christi ad Petrum; *Tu es Petrus*. *Significativè* verò, enunciativè, & formaliter proferuntur; quando per ea proferens intendit asserere, vel negare, quod verba ipsa vi suæ significationis afferunt, vel negant v. g. dum assertivè quis dicit; DEUS est Trinus & Unus.

2. *DD: Opiniones in hac quæst:*

Triplex est sententia circa verba Consecrationis, quonam modo proferantur. Prima docet prædicta verba solùm dici à Sacerdote recitativè: Ita Occham, Major, Dur: &c. secunda asserit verba illa tantùm proferri significativè. Ita RR: Tertia dicit; utroque modo simul proferri: Ita S. Bonavent: D. Thom: Scotus & ex RR: Suar: & Lugo.

3. *Sacerdos profert Verba Consecrationis recitativè.*

DICO Verba Consecrationis utroque modo à Sacerdote proferuntur, recitativè, & significativè. Ita Scotus 4. d. 8. q. 2. & Scotistæ omnes.

Probatur prima pars; quia illud verbum *dicens* immediatè ponitur in Canone Missæ ante verba Consecrationis: ergo hæc verba proferri debent recitativè à Sacerdote; quia expressè Sacerdos narrat illa verba fuisse à Christo prolata in ultima Cœna; dicit enim; *Benedixit fregit, deditque Discipulis suis* &c. nec in hoc potest esse dubium.

4. *Et significativè.*

Probatur secunda pars cum Scoto citato: Sacerdos de illa re, quam manibus tenet, quando Consecrat, seriò affirmat esse Corpus & Sanguinem Christi ergo significativè profert hæc verba.

5. *Ratio ad idem.*

Confirmatur primò: ex mera recitatione non colligitur præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia; sed solùm factum Christi: ergo &c.

6. *Concilia stant pro significativa prolatione.*

Confirmatur secundò: Florent: Trid: & PP: passim, dicunt Sacerdotem in persona Christi loqui, & conficere hoc Sacramentum, secundùm illud: *Hoc facite in meam commemorationem*: sed si recitativè tantùm proferret verba Consecrationis, non in persona Christi, sed sua loqueretur, & conficeret: ergo &c. Prob: Min: quia recitatio est actus ipsius recitantis, non ejus, cujus verba, vel facta recitantur: ergo &c.

7. *Et Innoc. 3.*

Confirmatur tertiò ex Innocentio III. lib: 4. de *Mysteriis Missæ* c. 17. hoc idem asserente: ergo &c.

8. *Significativa prolatio spectat ad valorem Sacramenti.*

Nota autem secundò, quòd etsi uterque proferendi modus tam recitativus, quàm significativus in conficiendo hoc Sacramentum sit præceptus; sola tamen prolatio significativa est necessaria ad valorem Consecrationis; quia hæc sola efficit conversionem panis & vini. Deinde ad valorem & essentiam hujus Sacramenti non aliter requiruntur verba, ac fuerunt à Christo prolata; sed à Christo fuerunt prolata tantùm significativè: ergo &c. Unde si Sacerdos recitativè tantùm proferret verba Consecrationis essentialia, & nullo modo significativè, nil conficeret; cùm taliter à Christo non sint prolata.

9. *Circa quæ verba conveniant omnes Doctores.*

Nota tertiò: Omnes convenire, quòd verba Formam essentialem Consecrationis antecedentia videlicet illa *Accipite & manducate*; ac etiam Consequentia videlicet ista: *Hæc quotiescunque feceritis &c.* tantùm recitativè proferantur.

QUÆSTIO XVIII.

De significatione terminorum ly *Hic* & *Hoc* in Formis.

1. *Placita DD: in hac quæstione.*

Nota primò: multas & difformes esse DD: Opiniones circa significationem *Hic* & *Hoc* seu suppositionem eorum. Primò Richardus, ut ostendit Scotus, cum aliis docet, pronomen *Hoc* nil determinati significare; sed sub disjunctione, ut sensus sit; illud, quod nunc est, aut in proximo erit præsens sub speciebus panis, est corpus meum. Secundò Altisiod: Capreolus &c. volunt ly *Hoc* supponere per modum individui vagi. Tertiò RR: Vasq: Amicus ostendunt ly *Hoc* sumi adjectivè, & significare ipsum corpus Christi ponendum. Alii aliter. Contra quas Opiniones Scotus ponit pluras Conclusiones: ego interim:

2. *Hoc & Hic substantivè sumuntur in Formis Consecrationis.*

DICO primò: Pronomina *Hoc* & *Hic* in Formis Consecrationis non adjectivè, sed substantivè sumuntur. Ita Scotus 4. d. 8. q. 2.

Probatur primò ex Grammatica: Pronomina Demonstrativa *Hic, Hæc, Hoc* tunc adjectivè sumuntur: quando actu alicui subjecto copulantur, v. g. hic calamus est obtusus &c. substantivè verò, quando per se ponuntur nulli substantivo copulata v. g. hic est calamus: ergo cum in Formis Consecrationis per se ponantur, nulli copulata, sumentur substantivè.

3. *Ratio Logica pro Conclusione.*

Probatur secundò ex Logica: istæ propositiones; *Hoc est Corpus meum*; *Hic est Sanguis meus*, sunt de tertio adjacente: ergo subjectum illarum in sensu Logico debet sumi substantivè. Consequentia patet; quia prædicatum habet rationem adjacentis, & formæ apud Logicum, etiam quando est substantivum: ergo subjectum, ad quod refertur, debet necessariò sumi substantivè;

T

stantivè; alioquin determinaret dependentiam prædicati, ut est forma Logica.

4. *Et Theologica.* Probatur tertiò ex Theologia, quia Trident. Sess. 13. c. 4. pronomen *Hoc* in Forma Consecrationis positum explicat substantivè, dum inquit; *Christus Redemptor noster Corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit*; quibus verbis illud pronomen *Hoc* explicat per aliud pronomen *Id*: sed pronomen *id* non nisi substantivè sumitur; ut patet ex communi loquendi modo: ergo &c.

5. *Hoc & Hic non signant individuum.* DICO secundò: Pronomina *Hoc* & *Hic* non demonstrant aliquod singulare vagum, commune substantiæ panis & corporis Christi; sive substantiæ vini & sanguinis. Ita Scotus locò citatò.

Probatur: Quodcunque singulare vagum commune Corpori Christi, & aliis corporibus, habet se per modum superioris respectu Corporis Christi: ergo de illo individuo vago non potest prædicari corpus Christi, quod est inferius. Consequentia tenet; quia quod est inferius prædicatione propria & naturali, non potest prædicari de superiori: sicut non benè de animali prædicatur, quòd sit homo; sed è contra: ergo &c. Secundò: Pronomina demonstrant id, quod in ultimo instanti prolationis verborum reperitur; Sed hoc non est aliquod commune pani & Corpori Christi, sed ipsum Corpus & Sanguis Christi: ergo &c. Tertiò ex Logica Propositio singularis est illa, in qua subjicitur terminus singularis, vel communis signo singulari determinatus; sed illa propositio *Hoc est Corpus meum* est propositio singularis: ergo non potest habere veritatem, nisi ejus subjectum singulariter & determinatè supponat.

6. *Hoc & Hic supponunt pro individuo.* DICO tertiò: Pronomina *Hoc* & *Hic* significant determinatum individuum entis universalissimè sumpti, pro ultimo instanti prolationis Formarum continendum sub speciebus. Ita Scotus 4. d. 8. q. 2. Conclusione 8. 9. 10. & 11. & Scotistæ communiter.

Probatur: illud significatur per voces quascunque, quod audità præcisè voce venit omnibus intelligendum; sed auditis pronominibus *Hoc* & *Hic* in Formis Consecrationis, omnibus venit intelligendum individuum aliquod entis; & quidem non alicujus inferioris entis: ergo illud significant pronomina *Hoc* & *Hic*. Major conceditur ab omnibus. Prob. Min: audito præcisè pronomine *Hoc* vel *Hic* in Consecratione intelligit quivis rationis compos designari determinatum aliquod individuum entis, & ignorat an sit determinatè individuum substantiæ, vel accidentis, aut alterius inferioris sub ente, donec audiat prædicatum & copulam, aut aliquid aliud adjungi: ergo &c.

7. *Hoc in communi usitato loquendi & intelligendi modus.* Confirmatur ex communi modo loquendi, & intelligendi hominum ly *Hoc*; nudè positum in propositione tanquam subjectum, sumitur substantivè & neutraliter pro hac re, vel hoc ente; sed in Forma Consecrationis ly Hoc nudè, & tanquam subjectum sumitur: ergo debet sumi pro hac re, vel hoc ente: Prob. Maj. sic enim intelligimus communiter, dum dicitur, *hoc est lignum*: tum etiam quia quoties quis interrogat sic: *quid est hoc?* aliud supponit & aliud quærit; sicut in omni quæstione aliud supponitur, & aliud quæritur; sed nil determinatiùs potest supponi in tali interrogatione generaliter facta, quàm quod sit hoc ens; quia potest dubitari, an sit substantia, vel accidens; ergo illud quod quærit, debet esse contentum sub conceptu entis: ergo idem hoc dicendum de Formis Consecrationis, quoad ly *Hoc* & *Hic*.

8. *An sequatur propositio identica vel falsa in nostra sententia.* Objicies primò: Si ly *Hoc* in Consecratione Corporis signaret individuum entis; vel signaret idem individuum entis, quod est Corpus Christi; vel aliquod aliud individuum: si primum, propositio erit identica & fatua; erit enim hic sensus; hoc corpus meum, est corpus meum: si secundum; ergo Forma Consecrationis erit simpliciter falsa; falsum enim est de ullo alio individuo entis, præter illud ipsum, quod est Corpus Christi, quòd sit Corpus ipsius.

9. *Dicitur quòd non ratio ad hoc.* Respondeo illud individuum entis, de quo prædicatur Corpus Christi in Forma Consecrationis, esse quidem realiter, & identicè idem, quod est Corpus Christi; non autem formaliter; quia, ut ait Scotus hic Conclusione 9. Ordo est in singularibus secundùm ordinem universalium, ita ut priùs universale quodcunque possit intelligi descendere in proprium singulare, quàm in singulare inferioris; ac per hoc, sicut gradus universales metaphysici inter se formaliter distinguuntur; ita & singularia eorum. Unde fit consequenter, ut prædicatio Corporis Christi de hoc individuo entis, secum realiter identificato, in Forma Consecrationis, non sit identica & falsa; sed formalis & bona; cùm non prædicetur idem de omninò eodem; sed unum prædicatur formaliter distinctum de alio secum realiter identificato; & sic resultat hic sensus: hoc individuum entis realiter iden-

identificatum cum Corpore Christi est Corpus Christi.

QUÆSTIO XIX.

Pro quo instanti resultet Veritas Formarum Consecrationis?

1. Copula dupliciter refert propositionem ad tempus aliquod determinatum: vel juxta rigorem Sermonis.

SUpponoex Logica copulam verbalem in propositionibus consignificare tempus; hoc est referre propositionem ad aliquod determinatum tempus, vel instans, pro quo extrema intelliguntur verè unita, & hoc juxta naturam & exigentiam extremorum. Quod dupliciter fieri potest, scilicet vel juxta rigorem sermonis; vel juxta intentionem proferentis. Et quidem juxta rigorem sermonis loquendo, Scotus ad eam sententiam magis inclinat, quæ dicit; Orationem in propositione de præsenti esse referendam ad ipsum instans prolationis copulæ verbalis; ita ut in rigore propositio censeatur vera, quando extrema complexionis objectivæ sunt verè unita pro instanti prolationis copulæ verbalis; nisi fortè natura extremorum aliter postulet juxta modò dicenda. Ratio hujus est: quia verbum, quando profertur, sicut tunc significat, ita tunc consignificat; & quando consignificat præsens, nec additur aliqua determinatio, per quam tempus consignificatum referatur ad aliud præsens, non videtur ex vi sermonis, quòd copulet nisi pro aliquo instanti prolationis ipsiusmet verbi præsentis.

2. Vel juxta intentionem proferentis propositionem.

Cæterùm hoc non obstante, sæpè fit, ut ex intentione proferentis oratio sine ullo mendacio referatur, vel ad instans omninò præcedens inchoationem orationis; vel ad instans sequens totius orationis prolationem, sive immediatè, sive paulò post: Exemplum primi *Ego taceo, nil dico*; Et universaliter omnes propositiones de præterito: Exemplum secundi *Ego pergo*.

3. Verba Consecrationis sunt in rigore vera.

DICO primò: Verba Consecrationis de rigore sermonis sunt vera: sed ex intentione Christi,& intentione Ministri sunt vera primò in ultimo instanti prolationis totius Orationis. Hæc est ultima Resolutio Scoti 4. d. 8. q. 2. ubi veritatem hanc in toto rigore Logico demonstrat subtiliter per 13. Conclusiones.

Probatur prima pars: Verba Christi loquentis necessariò debent esse vera; cùm ipse sit prima veritas, non potens, nec per se, nec per alium mentiri, sed verba Consecrationis sunt verba Christi: ergo sunt vera in rigore sermonis; quamvis non nisi in ultimo instanti reperiatur præsens Corpus & Sanguis Christi.

4. Sed primum prolatis singulis verbis.

Probatur secunda pars: Veritas propositionis non regulatur pro tempore, quo copula profertur; sed pro tempore, quo tota propositio absolvitur; & objectum propositionis est; *quia ex eo quod res est, vel non est*, inquit Aristoteles cap: *de substant. oratio dicitur vera; vel falsa*: sed in ultimo instanti prolationis verborum, quod est primum non esse illorum; in quo præcisè instanti significatio verborum Sacramentalium intelligitur completa, res per illa significatæ à parte rei existunt, scilicet Corpus & Sanguis Christi: ergo in ultimo instanti prolationis, verba Consecrationis primò sunt vera.

5. Probatio alia ad idem.

Probatur secundò: Causa debet præcedere saltèm naturâ effectum; sed verba Consecrationis completè prolata, & non aliter sunt causa existentiæ Corporis Christi sub speciebus panis, & Sanguinis sub speciebus vini: ergo integra prolatio eorum præcedit ejusmodi existentiam; atq; adeo verba Consecrationis sunt vera, quando in ultimo instanti prolationis eorum reperitur Corpus Christi. Nec hic multùm curanda est subtilitas Logica, qualiter de omni rigore propositio intelligatur esse vera: Theologo sufficit; quòd istæ orationes formarum sint signum sensibile institutum à DEO, ad cujus integram prolationem alligavit præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in ultimo instanti ponendi primò; eò quòd sint propositiones practicæ, id est causativæ effectûs; non speculativæ.

6. Ut Forma ista sint vera, sufficit quod omnes ejus partes existant saltem in speciebus abstractis.

Objicies primò: pro eo tunc Oratio est vera, pro quo ipsa est, vel existit: sed solùm pro quo profertur, existit: ergo pro eo tantùm est vera. Respondeo cum Scoto Dist: Maj: pro quo ipsa est, vel existit semper formaliter in se Neg: Maj: pro quo ipsa est, vel in se formaliter, vel in aliquo effectu, sibi proprio, Conc: Maj: & distincta sic Min: Nego Conseq: Itaque secundùm Scotum hic, dupliciter potest oratio, quatenus existens, verificari; vel quando existit in se,& secundùm suam entitatem formalem; vel quando in speciebus relicta: nam in fine prolationis cujuscunque dictionis, à qualibet dictione abstrahitur species; quas intellectus colligit in ultimo instanti, & ex eis format per actum collativum, conceptum illius Orationis; & sic Oratio in istis speciebus, tanquam in effectu causato ab oratione existit,& sic dicitur verificari; quia inter istas species, & rem expressam per ipsas insurgit relatio veritatis.

7. Quoddam

Hic intricatum illud dubium etiam movetur à Scoto; an Forma Consecrationis

dubium intricatum hic resolvitur.

nis sint priùs significativæ Corporis & Sanguinis Christi; quàm veræ: seu an veritas Formæ sit causa conversionis panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi; vel potius è contra conversio sit causa veritatis. Ad quod breviter Respondeo; quòd Formæ istæ priùs sint conversivæ, & significativæ Corporis & Sanguinis Christi; quàm veræ: unde conversio potiùs est causa veritatis; quàm è contra. Et hinc verba Consecrationis pro illo priori, ante positionem Corporis & Sanguinis Christi, secundùm Scotum contra Thom: nec sunt vera; nec falsa; sed neutra; seu habent suspensam significationem quatenùs veram, vel falsam: distinguit ergo Scotus tria instantia, in quorum primo intelligitur propositio prolata tanquam neutra; in secundo intelligitur Corpus Christi vi verborum positum sub speciebus: in tertio intelligitur propositio practicè vera. Ratio Scoti est; quia ideo hæc Oratio est vera; *Hoc est Corpus meum*, quia eâ expletâ panis destruitur, & Corpus Christi sub speciebus ponitur, in quo consistit conversio: ergo prius naturâ ponitur Corpus Christi, quàm intelligatur oratio habere veritatem: Consequentia tenet; quia omnis causa, & ratio causandi præcedit suum effectum saltèm naturâ: A. probatur; ex eo enim quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa.

QVÆSTIO XX.

Adstruitur realis præsentia Christi sub speciebus Eucharisticis contra Hæreticos.

1. Initium hæresis Sacramentariorum.

NOta, Controversistas communiter plurimos referre AA: qui varios seminarunt errores circa præsentem quæst: ut videre est apud nostrum Vetweis lib: 15. sed Dux *Sacramentariorum* primarius fuit Berengarius Archidiac: Ecclesiæ Andegaven: circa Annum 1050. non quòd invenerit novam hæresim, negantem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus (hoc enim jam ante ipsum pridem multi docuerunt Hæretici, ut patet ex Dam: lib: 4. de fide c. 14. Theophyl: Synodo 7. act: 6.) sed quòd in Ecclesia Latina primus eam publicè, & pertinaciter propugnaverit. Hunc secuti sunt omnes *Sacramentarii*, taliter ab asserto hujus hæresis dicti; & Calvinistæ; qui quidquid de vera & reali præsentia Christi Domini docet scriptura, ad tropos & figuras trahunt. Contra hos omnes,

2. [...] Christi in Eucharistia.

DICO primò: in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento verè realiter, & substantialiter continetur Corpus & Sanguis Christi sub speciebus panis & vini Consecratis. Ita definit Nicænum secundum. Lateran: sub Innoc: III. Constantiense Florent: & Trident: Sess: 13. Can: 1. his verbis: *Si quis negaverit in Sanctissime Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem, unà cum Anima & Divinitate Domini nostri JESU Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, Anathema sit.*

3. [...] Regulæ [...] circa Scripturæ intellectum.

Nota autem pro efficacia majori probarum hujus Conclusionis duas Regulas Generales S. Augustini circa intellectum S. Scripturæ: Primam habet lib: 3. de *Doctrina Christiana* c. 7. his verbis: *Verba scripturarum sunt propriè intelligenda, ubi non obstat Ecclesiæ Authoritas aut evidens ratio.* Secundam tradit lib: 83. qq: *quæst: 69.* dicens: *De sensu scripturæ judicare oportet ex circumstantiis rerum, & verborum.*

4. Realis præsentia Christi in Eucharistia ex Scriptura docetur.

Probatur jam Conclusio primò ex illo Joan: 6. v. 51. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* Et iterum *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis.* Et iterum: *Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus.* Item: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: qui textus omnes juxta assignatam primam Regulam S. Augustini litteraliter intellecti, ostendunt manifestè realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi, sub speciebus Consecratis.

5. Alia Scripturæ & PP. ad idem.

Probatur secundò ex illo Matth: 26. & Marc: 14. v. 22. *Hoc est Corpus meum*, & *Hic est Sanguis meus*; Ubi S. Chrysost: hom: 60. ad Populum Antioch: dicit; *quoniam Verbum dicit, hoc est Corpus meum, & assentiamur, & credamus, & intellectualibus illum oculis intueamur*; sed ubi? an in cœlo tantùm realiter existentē, & hic solùm figuraliter? (ita quidem affirmat Calvinus, non sic tamen Chrysost:) *Quod nunc dicunt, vellem ipsius formam aspicere figuram, vestimenta, calceamenta; ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas; & quidem cupis videre, ipse verò tibi concedit non tantùm videre; verùm & manducare, & tangere, & intra te sumere*: quid clariùs pro nostra Conclusione.

6. Interpretatio Hæreticorum evacuatur.

Persistunt nihilominùs Hæretici in sua falsa interpretatione dicentes; præfata verba S. Matth: & Marc: figuratè esse intelligenda; non minùs quàm ista *Ego sum vitis*. Sed reclamat imprimis ipsa Veritas Christus, ad verba illa Eucharistica *Hoc est Cor-*

pus

pus meum & *Hic est Sanguis meus* subjungens; *quod pro vobis tradetur*; *& qui pro vobis effundetur*: ad ista verò *Ego sum vitis* dum subjungit, *& vos palmites*, quis non videt ex contextu verborum posteriora verba figuratè accipi; cùm constet Apostolos non fuisse naturaliter palmites.

7. *Quidam principaliùs textus scriptura ampliùs elucidatur.*

Deinde quoniam hic textus est Fundamentum Catholicæ veritatis; discutiamus eum profundiùs juxta secundam Regulam S. Augustini, supra citatam docentem; quòd de sensu Scripturæ, & circumstantiis rerum & verborum, sit judicandum; inspiciamus singulas circumstantias, & videbimus illa verba: *Hoc est Corpus meum*; & *Hic est Sanguis meus*; sine ullo tropo, vel figura esse dicta.

8. *Ex circumstantia locutionis.*

Et primò quoad circumstantiam *locutionis* ipsius, septima Synodus generalis act: 6. contra Iconoclastas hoc Sacramentum figuram Christi appellantes, ponderavit, Christum non dixisse, accipite figuram Corporis mei; sed Corpus meum.

9. *Verborum*

Secundò: ex circumstantia *Verborum subsequentium* jam ostendi, verba illa Eucharistica sine ullo tropo esse dicta.

10. *Mandati.*

Tertiò ex circumstantia *mandati*: *Accipite manducate*; præceptum enim, maximè solemne, debet claris, ac præcipuis verbis rem, quæ præcipitur, exponere.

11. *Et institutionis hujus Sacramenti.*

Quartò ex circumstantia *Institutionis* tanti Sacramenti; si enim agnus paschalis, & cætera antiquæ Legis Cæremonialia; quæ erant umbræ tantùm futurorum, instituta sunt realiter; eorumque institutio sine tropo & figura intelligenda sit, etiam secundùm Advers: quantò magìs hoc excellentissimum Sacramentum.

12. *Urgetur idem textus.*

Quintò Christus illis verbis *Hoc est Corpus meum* &c. discessurus ex hoc mundo novum, & æternum Testamentum condidit: ergo cùm fuerit infinitæ Sapientiæ, atque Amoris Testator, quis credet ipsum ita figuratè, & involutè locutum, ut suis filiis perpetuam litigandi ansam de sensu Testamenti relinqueret?

Sextò Christus illis verbis tradidit summum dogma Religionis Christianæ, & in quo periculosissimè erratur: ergo perspicuis verbis, & absque tropo loqui debuit.

13. *Promovetur eadem scriptura.*

Septimò neque ipsi Apostoli tunc satis rudes, & aliàs soliti parabolarum expositiones inquirere, ullum dubium in verbis illis posuerunt, neque dixerunt sicut alibi, edissere nobis hanc parabolam: ergo signum est, Christum tunc clarissimè esse locutum.

14. *Roboratur sensus veri scriptura diversis motivis.*

Octavò: Si omnem cæremoniam, & apparatum illius sanctissimæ Cœnæ; si institutionem, si verborum prolationem; si lotionem pedum; si desiderium ardens illius peragendi mysterium; si præparationem loci tam secreti; si elevatos in cœlum oculos; si applicationem verborum ad materiam; si fractionem & distributionem; si omnia denique ibi peracta consideremus, nullus erit ambigendi locus de verborum Christi veritate, ac omnimoda proprietate: ergo allatis verbis Eucharisticis benè probatur realis præsentia Christi.

15. *Instatur à pari pro eadem scriptura.*

Quod si hæc non moveant Hæreticos RR: figurativè, & tropicè exponentes illa verba; quæro ab eis, quomodò probabunt contra Manichæos & Priscillianistas, verba illa; *Verbum caro factum est*, de carne humana vera, ac propria ex Virgine concepta, & non phantastica esse intelligenda? certè non poterunt evidentiùs, quàm partim ex contextu verborum; partim ex Christi vera, & non phantastica apparitione; Morte; Resurrectione; aliisque circumstantiis: ergo cùm similibus argumentis in præsenti materia procedamus; cur non credunt?

16. *Difformes Hæreticorum expositiones super ly* Hoc est Corpus meum.

Tandem Hæreticorum expositiones figuratæ super hæc verba *Hoc est Corpus meum*, adeò sunt distortæ & diversæ; ut facilè, quisque prudens judicare possit, eas esse confictas. Prima est Carolstadii; qui dicit se ex revelatione Patris Cœlestis accepisse, hunc esse sensum istorum verborum, *Hoc est Corpus meum*: *Hic ad mensam sedet Corpus meum*. Secunda est Bucceri; *in hac actione ultima Cœna repræsentat se Corpus meum*. Tertia est Zvvinglii: *Hic panis significat Corpus meum*. Quarta est Boquini; *hic panis dicitur Corpus meum per communicationem idiomatum*. Quinta est Oecolampadii; *hic panis est figura Corporis mei*. Sexta est Calvini; *hic panis est efficax signum Corporis mei, quo Corpus exhibetur, non tamen continetur*. Septima est cujusdam alterius Hæresiarchæ, *hic cœtus Apostolorum est Corpus meum mysticum*; In summa refert Bellarm: lib: 1. de Eucharistia c. 8. se vidisse librum Hæreticum, in quo habentur 200. tam paucorum verborum depravatæ expositiones figuratæ, pugnantes contra realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia.

17. *Probatur finaliter Conclusio traditione Miraculis & PP.*

Probari potest ultimò nostra Conclusio: ex perpetua Ecclesiæ traditione: infinitis penè miraculis authenticis; quibus Deus præsentiam realem Corporis, & Sanguinis Christi attestatus est; & ex SS: PP: copiosè à Controversistis adductis, maximè S. Damasc. lib: 4. cap: 14. *Non est figura panis & vinum, absit enim hoc; sed est ipsummet Cor-*

U pus.

pus. Item S. Aug: (quem maximè pro se citant Hæretici) in Psal: 98. *De carne Mariæ carnem accepit, & in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit.* Item lib: 2. contra adversarium Legis c. 9. ait: *Mediatorem DEI & hominum, hominem Christum JESUM, carnem suam nobis manducandam, bibendumq; Sanguinem dantem, fide, corde, atque ore suscipimus.* Ita loquitur alibi passim; Multùm proinde miror, quâ fronte sanctum Doctorem Hæretici pro se allegare possunt. Alii PP: videantur apud Controversistas maximè apud nostrum Bernardinum Vetvveis; qui per omnia sæcula Patrum testimonia adducit art: 3. lib: 15. sui Speculi.

QUÆSTIO XXI.

Refelluntur Argumenta Hæreticorum contra realem præsentiam Christi sub speciebus.

1. *Quædam Scriptura interpretatur contra Petrum Martyrem.*

OBjicit primò: Petrus Martyr nomine aliorum Novatorum plurimorum: Matth: 24. dicitur: *Si quis dixerit vobis ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere*: ergo non est credendum Papistis, dicentibus, ecce in illo altari, aut pyxide est Christus realiter cum Corpore & Sanguine. Respondeo primò: ergo multò minùs credendum Calvinistis dicentibus, in sua Cœna esse Christum figuraliter. Respondeo secundò: ex Scopo, & contextu litteræ clarum esse, Christum tantùm illis verbis præcavendos monuisse Pseudo Christos, qui in judicium, venturi nomine, se venditabant, idque clanculùm; dicentes; *ecce in deserto est; ecce in penetralibus*: quibus proinde non est credendum; quia Christus in suo secundo adventu palàm veniet.

2. *Alia scriptura glossatur contra eundem.*

Objicit secundò: *Pauperes*, inquit Christus, *semper habebitis vobiscum; me autem non semper*; quod tamen falsum esset; si verè esset præsens in Eucharistia. Respondeo Christum verissimè dixisse, se non semper futurum cum Apostolis in specie corporali, & visibili; vel in statu paupertatis; sicut erat quando in terris conversabatur; est tamen nobiscum semper modo Sacramentali.

3. *Tertia scriptura exponitur*

Objicit tertiò: Act: 17. dicitur: *DEUM non habitare in manu factis templis*: ergo neque in pyxide aurea Cathol: Respondeo scripturam citatam tantùm loqui de Divinitate; quæ ob sui immensitatem, nullo loco continetur; quia ubique est.

4. *Quarta scriptura pro Catholico sensu interpretatur.*

Objicit quartò: 1. Cor: 10. dicitur: *Patres nostri eandem escam spiritualem manducaverunt, & eundem potum spiritualem biberunt*: sed illi non manducaverunt Corpus Christi ore; sed sola fide: ergo & nos. Respondeo Apostolum solùm dicere; quòd ipsi nos, & PP: nostri, eandem escam quoad ipsam rem significatam manducemus; non verò quoad modum, ipsi itaque cibum spiritalem Christum figurativè, & modo merè spirituali manducaverunt; nos verò, modo reali & corporali; licet insensibili. Et hoc est quod dicit S. Aug: in Psal: 105. *In Mysterio cibus & potus illorum & noster; sed significatione idem; non specie; quia idem ipse Christus illis in petra figuratus; nobis in carne manifestatus.*

5. *Quintus passus scripturæ pro vera nostra doctrina conciliatur.*

Objiciunt Hæretici quintò: Matth: 15. dicitur: *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*; sed Corpus Christi non emittitur in secessum: ergo non vadit in ventrem per realem manducationem, & præsentiam. Respondeo Corpus Christi unà cum accidentibus Eucharisticis intrare os, ac ventrem communicantis; non tamen ire in secessum; quia corruptis speciebus per concoctionem ventriculi, desinit statim adesse realiter Corpus Christi: ut alibi docebitur.

6. *Christus in se non deturpatur, dum inhonestè tractatur.*

Dicunt Hæretici: indignum videri, quòd sacratissimum Christi Corpus devotibus nostris prematur; in fætidum stomachum trudatur; vel sub speciebus ita contineatur; ut à muribus possit devorari: ergo. Respondeo simili colore olim etiam Nestorianos negâsse Christi Divinitatem; hominem purum asserentes; ne alias Divinitas passibilis videatur. Et alii negabant DEUM esse ubique, quia aliàs etiam esset in cloacis. Dico itaque Christum in se nil indigni pati; etiamsi à nobis indignè tractetur.

7. *Capharnaitarum Carnalis intelligentia tantùm reprehenditur à Christo.*

Objicit sextò: Capharnaitæ putabant Christi carnem corporaliter manducandam, ut nunc arbitrantur Papistæ, inquit Petrus Martyr; sed Christus illorum errorem reprehendit, cùm ait Joan: 6. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*: ergo significat Christus carnem suam non corporaliter, sed spiritualiter per fidem debere manducari. Respondeo cum Chrys: Orig: Aug: & aliis PP: Christum in Capharnaitis carnalem intelligentiam reprehendisse: putabant enim; quòd Christus carnem suam concisam, & in frusta distributam daturus esset; quòd est falsum. Itaque sicut illa alia locutio; *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt,*

sunt, non tollunt rationem soni realis & vocis verè articulatæ; ita ista *Spiritus qui vivificat*, non tollunt realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia; sed solùm ostendunt, Christum non adesse modo sensibili; sed Sacramentali, & spirituali insensibili; reali tamen.

8. *Prima Regula pro intelligendis Patribus.* Objicit septimò: ingentem cumulum SS: PP: qui tamen, vel non favent Hæreticis; vel contra ipsosmet pugnant; vel facillimè explicantur; si sequentes Regulæ observentur.

Prima Regula est; quando PP: vocant Eucharistiam *figuram*, *signum*, vel *Symbolum* Corporis Christi; non intendunt per hoc Corpus Christi secundùm realem præsentiam abesse; non enim dicunt, quòd sit figura, vel Symbolum Corporis absentis; sicut, dùm scriptura vocat Christum *figuram substantiæ Patris*; per hoc non intelligitur Divinitas illi non adesse.

9. *Secunda Regula.* *Secunda Regula* est; quando audis verba alicujus Patris, quæ sonare videntur, tanquam aliquo modo minuentia veritatem realis præsentiæ Corporis Christi; expone illum de modo præsentiæ, non de ipsa præsentia simpliciter; ut videlicet non eo modo, quo Capharnaitæ intelligebant Christi carnem esse comedendam, modo visibili & materiali nimis: & secundùm hoc exponitur S. Aug: in Psal: 99. *Non hoc Corpus, quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri illum Sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendo, spiritualiter intellectum vivificabit vos.*

10. *S. Aug: exponitur juxta datas duas Regulas.* Juxta utramque regulam exponatur alius difficilis locus ejusdem S. Patris lib: 3. *de Doctrina Christiana*, cap: 16. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem; non habebitis vitam in vobis; facinus & flagitium videtur jubere; figura ergo est, præcipiens passionibus Domini esse communicandum: quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata est.* Vult Aug: juxta primam Regulam, quòd præceptum sumendi Corpus Christi, & sit figura præcipiens memoriam Passionis Dominicæ; non excludendo tamen veritatem realis præsentiæ. Et secundùm alteram regulam; quòd facinus & flagitium jubere videretur Christus, si carnem suam concisam in partes, modo visibili, & sanguinem in guttas diffundendum, juberet sumi.

11. *Tertia Regula.* *Tertia Regula*; quando aliqui PP: verba scripturæ quandoque ad sensum omninò spiritualem trahere videntur; intelligendi sunt: non cum exclusione realis præsentiæ, aut manducationis: sed solùm cum intentione hortandi ad spiritualem manducationem per fidem, & devotionem; sine qua corporalis nil prodest. Sic intelligendus est S. Aug: Tract: 25. in Joan. *Quid paras dentem, vel ventrem; crede & manducasti.* Et Orig: in cap: 15. Matth: *Verbum factum est caro, verus q; cibus, quem, qui comederit, omninò vivet in æternum; quem nullus malus potest edere*, intellige fructuosè; licèt benè ad judicium, ut loquitur Paulus.

12. *Quarta Regula.* *Quarta Regula*; mirum non esse; si PP: antiqui obscuriùs aliquando de hoc Sacramento loquebantur; tum, quia nondum exorta fuit ulla de hoc mysterio controversia; tum quia non nisi sobriè ac modestè loquendum putabant, ne coram Catechumenis, aut infidelibus tantum Mysterium periculo irrisionis exponerent: tum etiam quia in primitiva Ecclesia, veritas hujus mysterii ita omnibus in comperto fuit; ut de reali præsentia & manducatione nullus omninò dubitaret; quin & parvulis eam dandam putarent; ideoque PP: præsertim Aug: in eo potissimùm laborarunt; ut ad spiritualem, & fructuosam per fidem hortarentur manducationem.

13. *Petrus Martyr malè Syllogizat.* Objicit octavò Martyr à ratione; Christi Corpus est in cœlo: Christi Corpus est in Sacramento: ergo Sacramentum est in cœlo. Respondeo primò: quare etiam non intulit: ergo Cœlum est in Sacramento. Respondeo secundò: si regulas Syllogisticas calleret Martyr; sic potiùs inferret: ergo Corpus Christi existens in Sacramento, existit etiam in cœlo; aliàs ut formatur ab illo, habet quatuor terminos, Sed corrigens se Martyr.

14. *Syllogism° Petri Mart dissolvitur.* Objicit aliter sic: quidquid est Corpus Christi est in cœlo, sed Sacramentum Eucharistiæ est Corpus Christi; ergo Sacramentum Eucharistiæ est in cœlo. Respondeo Dist: Maj: quidquid est Corpus Christi secundùm veram identitatem, est in cœlo concedo Maj: quidquid est Corpus Christi secundùm continentiam & significationem tantùm, Nego Maj: Nunc autem Sacramentum Eucharistiæ, non est Corpus Christi, nisi per modum continentis, & verè significantis.

15. *Corpus Christi est cum sua quantitate in Eucharistia: non tamē extensa.* Objicies nonò: vel Corpus Christi existit in Eucharistia cum tota quantitate, quam in cœlo habet; vel non: secundum dici non potest; aliàs neque esset vivum in Eucharistia; nec primum; quia quomodò corpus tantæ molis consistit potest in tam parvo spacio? Respondeo Christi Corpus existere cum tota sua quantitate; non tamē

non tamen localiter extensa; sed miraculosè posita, per penetrationem omnium partium corporis in qualibet parte hostiæ.

QUÆSTIO XXII.

Quid, & qualis sit Præsentia Sacramentalis Christi in Eucharistia.

1. *Status quæst: panditur.*

OStensum est hactenùs, Christum habere realem præsentiam Corporis & Sanguinis sui in Eucharistia; sed nascitur jam nova difficultas, de natura illius præsentiæ; duplicem enim considerare possumus præsentiam in Christo Sacramentato; unam in ordine ad locum; alteram in ordine ad ipsas species: quæri ergo potest utrùm præsentia Christi sit propriè una ex illis; vel non: item quæri potest, utrum species includant ratione præsentiæ suæ, quam habent ad Christum, aliquam unionem physicam ad Corpus, & Sanguinem Christi: Circa utrumque varia sunt placita DD: breviter ego

2. *Præsentia Christi ad species est distincta à præsentia ejus ad locum.*

DICO primò: Præsentia Sacramentalis Christi ad locum specierum, est alia à præsentia, quam habent species ad eundem locum. Ita Scotus 4. d. 10. q. 6. & ex RR: Suar: Aversa, Caspensis &c.

Probatur: si desinerent species; adhuc perseverare posset eadem præsentia Christi in ordine ad superficiem ambientem; aut ostendatur repugnantia: ergo signum est quòd sint duæ præsentiæ distinctæ; præsentia nimirum Christi ad species; & specierum ad aerem ambientem. Confirmatur præsentia Sacramentalis Christi ad species est ad modum præsentiæ diffinitivæ, & modo spirituali; per quam totus Christus correspondet toti spatio à speciebus occupato, & etiam totus cuilibet parti ejusdem spacii: præsentia verò ipsarum specierum ad locum est circumscriptiva; per quam species commensurantur loco, modô corporeô: ergo &c.

3. *Præsentia Christi ad species est realis positiva & nova.*

DICO secundò: Præsentia Sacramentalis Christi ad locum specierum est aliquid reale, positivum, de novo super additum, & ab ipso distinctum; & quidem relativum. Ita Scotus loco cit: Suar: Lug: Beccan: &c. Probatur ex principiis physicis, quibus ostenditur, præter rem locatam & locum, verè dari peculiarem modum præsentiæ localis, qui dicitur *ubi*, ex natura rei superadditus; quo formaliter dicitur res alicubi præsens. Deinde non potest intelligi Corpus Christi loco specierum esse realiter præsens, ubi antea non erat; nisi mutatione aliqua accidentali facta in Christi Corpore illam novam præsentiam in se recipiente: ergo est aliquid ipsi superadditum de novo relativum.

4. *Nulla formalis unio physica est inter Christum & species.*

DICO tertiò: Inter species & Corpus Christi, nulla intercedit unio physica; nec formalis; nec effectiva; sed solùm realis præsentia, à voluntate Divina conservata. Ita Scotus 4. d. 10. q. 6.

Probatur *de formali*: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem est necessitas ponendi aliam unionem, quàm illam præsentiæ, à DEO Consecratæ, quamdiu species manent: ergo &c. Min: Prob: primò: quia PP: & CC: præsertim Florent: & Trident: quæ exactissimè Christi præsentiam in Eucharistia declarant, aliis vocabulis non utuntur, quàm præsentiæ, vel continentiæ: ergo signum est nullam unionem esse necessariam inter Corpus, & species. Secundò Prob: Min: eô ipsô, quòd necessariò ex pacto DEI illa præsentia conservetur Corporis Christi sub speciebus, necessariò etiam movebitur Corpus Christi motis speciebus, & iis monstratis potest semper verè dici *Hoc est Corpus meum*, sine ullo recursu ad unionem: ergo &c. Tertiò: quia nequit ostendi qualis sit hæc unio, non enim est formalis; qualis est partium in continuo vel formæ in subjecto; quia licèt species & Corpus Christi compenetrentur, non tamen continuantur; nec accidentia ullô pactô Corpori Christi inhærent ad modum formarum, cùm Corpus Christi Sacramentatum non dicatur album circulare: ergo nulla est necessitas ponendi physicam unionem inter Corpus Christi & species.

5. *Nec Unio Effectiva adest.*

Probatur etiam de effectiva (quam aliqui comminiscuntur, qualis est v.g. secundùm ipsos inter ferrum, & magnetem illud sibi copulantem) primò: quia talis unio effectiva non est nisi quædam præsentialitas. Secundò: quia, nec PP: nec CC: ullo modo indicarunt vim hujusmodi attractivam, neque in Corpore Christi respectu specierum, neque in speciebus respectu illius; quod tamen Mysterium tacere non debuissent, cùm esset valdè mirabile in Eucharistia. Tertiò tandem: quia talis unio effectiva & attractio Corporis Christi sub speciebus, fit per verba Consecrationis; non verò per mutuam actionem specierum & Corporis Christi ad invicem; & ideo talis attractio est moralis, & non physica; motus enim attractionis physicæ fit semper cum aliqua violentia ex Aristotele 7. *Physic:* c. 10. ergo &c.

Manet ergo: quòd decretum Divinæ Volun-

Voluntatis efficax, sit causa conservationis specierum simul & Corporis ac Sanguinis Christi; & per consequens præsentiæ Sacramentalis; sinè ullo recurso ad aliquam physicam unionem.

6. *Præsentia Christi refertur primariò ad species.*

DICO quartò: Præsentia Sacramentalis Christi per se primariò & intrinsecè refertur ad species Sacramentales; concomitanter verò Christus habet etiam in Sacramento præsentiam localem ad locum, in quo sunt species. Colligitur ex Scoto cit: & est communis.

Probatur prima pars ex ipsis verbis Consecrationis; quibus exprimitur, & efficitur præsentia Christi in Eucharistia; non enim dicitur, *Hic*, id est, in hoc loco; sed dicitur: *hoc est Corpus meum*, id est, contentum sub his speciebus, ubi expressè constat, præsentiam, seu conjunctionem Corporis Christi cum speciebus, non autem præsentiam localem ad illud spacium, in quo sunt illæ species, esse expressam.

7. *Confirmatio ejusdem doctrinæ.*

Confirmatur: quia præsentia Sacramentalis, quæ principaliter ponitur vi verborum, semper manet eadem; quamvis species Sacramentales de uno *ubi* ad aliud transferantur cum Corpore Christi: ergo præsentia Sacramentalis per se primò ad species, & non ad locum refertur.

8. *Secundariò verò ad locum specierum refertur Christus.*

Secunda pars Conclusionis; *quòd scilicet concomitanter ad hanc præsentiam Sacramentalem, Christus in hoc Sacramento habeat etiam præsentiam localem ad locum specierum*, patet: quia Christus in omni illo loco, in quo sunt species, est præsens; & quando hostia de loco ad locum transfertur, Christus non manet in uno loco; sed simul ad alium transfertur: ergo &c.

9. *Christus est totus in tota hostia & qualibet parte ejusdem.*

DICO quintò: Præsentiâ Sacramentali Christus totus constituitur præsens in tota hostia, & totus etiam in qualibet parte hostiæ. Ita Doct: 4. d. 10. q. 1. Et Theologi omnes.

Probatur ex Definitione Florent: in *Decreto unionis* Sess: 13. c. 3. Et Trid: Sess: 13. c. 3. Cæterùm licèt hæc conclusio sit articulus fidei, decem tamen refert dicendi modos Amicus Disp: 19. quibus maxima in hoc Mysterio difficultas persuadetur; qualiter nimirum Christus cum tota sua mole Corporis, sub tam modica massa contineatur: Ego cum Scoto.

10. *DEUS potest ponere aliquod Corpus indivisibiliter in loco.*

Resolvo difficultatem hanc juxta dicta in Physicis; ubi statuitur; posse, Corpus exspoliari à DEO suo connaturali modo essendi in loco, & ibi indivisibiliter poni ad modum Spiritûs: potest enim DEUS impedire effectum naturalem corporis replendi locum, & consequenter ipsum privare positione de genere Sitûs, quæ est materialis illa commensuratio totius corporis ad totum locum, & partium ejus ad partes istius.

11. *Præsentia Christi in Eucharistia est diffinitiva.*

Ex hoc sequitur: præsentiam Christi in Sacramento esse *diffinitivam*; id est, talem, per quam res est in loco, sine commensuratione ad locum; quæ aliàs propria est rerum spiritualium, ut Angelorum, animæ rationalis &c. Ita Scotus hic dist: 10. q. 9.

12. *Præsentia Christi Eucharistica est relatio ad obi spectans.*

Nota autem, quòd ista præsentia sit *aliquomodo spectans ad prædicamentum Ubi*; quia hæc relatio præsentiæ Sacramentalis; licèt non sit prædicamentalis propriè, & in omni rigore; potest tamen ad *ubi* reduci; quatenùs dicit coexistentiam Corporis ad species, & specierum ad Corpus in eodem loco simul.

13. *In Eucharistia sunt plures partiales præsentia Christi.*

DICO sextò: Christus in hoc Sacramento non habet unam tantùm præsentiam, quâ constituatur totus in tota hostia, & totus in qualibet hostiæ parte; sed habet tot præsentias, quot sunt partes hostiæ proportionales. Est contra Aversam & alios RR:

Probatur: Si Christus per unicam tantùm præsentiam ipsis esset præsens; quotiescunque consumeretur aliqua particula hostiæ, & cessaret illi esse præsens Christus; cessaret etiam præsentia illius ad alias partes; cùm per unicam numerò præsentiam censeatur esse præsens Christus toti hostiæ, & omnibus partibus hostiæ; sequela autem est falsa: ergo &c.

14. *Etiam in minima parte est totus Christus.*

DICO septimò: Ita Christus est totus in qualibet parte specierum, ut etiam sit in qualibet minutissima. Ita Doct: 4. d. 10. q. 1.

Probatur: quia substantia panis & vini præfuit sub omni tali parte etiam minima: ergo etiam substantia Corporis & Sanguinis Christi post Consecrationem; quia hæc succedit loco substantiæ panis & vini.

15. *Imò sub omnibus partibus accidentium.*

Ex quo sequitur: Christum etiam sic esse sub omnibus omninò accidentium partibus, tam communicantibus, quàm incommunicantibus; tam æqualibus, quàm proportionalibus; quia sub his etiam erat panis, & vini substantia ante Consecrationem.

16. *Etiam sub indivisibili.*

Sequitur secundò: Christum similiter esse Sacramentaliter sub qualibet indivisibili, seu puncto continui, ut docet Scotus loco cit: q. 1. quamvis ab Hicq: & Branc: in Opposit: citetur loco cit: 4. 9. ubi tamen non loquitur defendendo; sed ad hominem arguendo; & non ex propria, sed

X aliorum

aliorum sententia; ut benè advertit Gavatius Disp: 5. quodl: 6. Ratio eadem est quæ supra; quia ante Consecrationem etiam in punctis quantitatis aliquid præfuit substantiæ panis & vini, cui succedit substantia Corporis & Sanguinis Christi.

17. Sacerdos tamen nequit indivisibile Consecrare.

DICES: ergo Sacerdos posset solùm indivisibile Consecrare; quod est falsum: Respondeo Negando Illatum; quia Consecratio debet esse humano modo accomodata, & cadere super materiam humanò modô tractabilem: Unde indivisibilia solùm conjunctim cum partibus possunt Consecrari.

18. Dispari modo Christus est præsens utrique speciei

DICO octavò; quamvis totus Christus sit præsens utrique speciei, & cujuslibet speciei parti; non tamen eodem modo secundum Corpus & Sanguinem. Ita Doct: hic dist: 10. q. 4. & communis inter Catholicos.

Probatur ex Trid: Sess: 13. c. 3. docente: Sanguinem esse sub speciebus panis per solum modum concomitantiæ; & patet ex verbis ipsius Consecrationis panis; ubi nulla fit mentio de Sanguine; unde in triduo mortis Christi illorum veritas integra & efficax fuisset sine præsentia Sanguinis sub specie panis; Corpus verò est sub speciebus panis primariò: sed isti sunt modi distincti: ergo &c.

19. Sub specie panis est primariò Corpus Christi, concomitanter alia.

Itaque sub specie panis vi Consecrationis ponitur primariò Corpus Christi; concomitanter verò, & vi naturalis connexionis cætera omnia, ut Divinitas, Sanguis, accidentia absoluta unita Corpori, quæ sunt independentia à loco, & quæ Christus habet in cœlo: & etiam relativa, quæ sunt priora ipsa ubicatione. Eodem modo discurre de Sanguine respectu specierum vini. Totum hoc docet Trid: Sess: 13. c. 1. & 3. & Florent: ac Constanti:

QUÆSTIO XXIII.

Quædam Quæstiones Præsentiam Christi in Eucharistia concernentes breviter Resolvuntur.

QUæres primò: An Christus in Eucharistia eandem retineat figuram, quam habet in cœlo?

1. Quid figura intrinseca & extrinseca?

Nota pro resolutione ex Scoto 4. d. 10. q. 1. duplicem esse figuram in corpore quanto, unam *intrinsecam* & quantitativam, quam alii appellant Organicam, quæ fundatur in positione de genere quantitatis: alteram *extrinsecam* & situalem, quæ fundatur in positione de genere sitûs. Prima consistit in tali unione & ordine partium totius inter se, ut caput Christi v. g. in Eucharistia; licèt spatium rotundum actu non occupet; taliter tamen habet partes unitas, & inter se dispositas, ut postulet extensionem localem circularem; & brachium extensionem localem per longitudinem: Et quod una pars non sit alia. Altera figura est talis positio partium in ordine ad locum cum commensuratione actuali Corporis ad locum.

2. Figuram intrinsecam habet Christus Sacramentatus.

Respondenjam; Christum in Eucharistia retinere eandem figuram intrinsecam, quam habet in cœlo; non tamen extrinsecam. Ratio primi est: quia licèt ibi partes Corporis Christi sint in eadem spatii parte; habent tamen talem ordinem unionis inter se, ut ratione illius, caput sit immediatè unitum collo, non manibus, vel pedibus; & ratione cujus etiam exigunt localem dispositionem; si connaturali modo locentur, ut caput petat esse sursum, pedes deorsum, &c.

3. Non autem extrinsecam.

Ratio secundi: quia Christus in Eucharistia non habet extensionem actualem localem, nec situm, quem habet in cœlo; quia extensio actualis localis, & situs includit tales ubicationes partium in tali loco, quæ ubicationes cœlestes non replicantur in Eucharistia.

4. Præsentia Christi Eucharistici est supernaturalis in substantia.

Quæres secundò: An præsentia Corporis Christi in Eucharistia sit supernaturalis secundùm substantiam; vel tantùm secundùm modum? Respondeo hanc præsentiam esse supernaturalem, secundùm substantiam. Ratio est: quia secundùm TT: illud vocatur propriè ens supernaturale secundùm substantiam, quod nullo modo à causis naturalibus produci potest, estque ultra exigentiam earum naturalem; sed prædicta præsentia est supra exigentiam naturalem causarum naturalium & à nulla earum produci potest: ergo &c. Deinde exigentia naturalis cujuscunque substantiæ materialis est talis, ut substet accidentibus, illa sustentando per inhærentiam: sed Corpus hoc non præstat: ergo ejus præsentia est alterius ordinis supernaturalis.

5. Præsentia Christi Sacramentalis cognosci tur naturaliter ab intellectu separato.

Quæres tertiò: An intellectus creatus possit naturaliter videre existentiam Corporis Christi in Eucharistia? Hæc difficultas non movetur de intellectu alligato sensibus; talis enim pro hoc statu nil intelligit, nisi ex sensibilibus; Christi autem præsentia, & existentia non est sensibilis: Movetur ergo de omni intellectu, qui in intel-

intelligendo à sensibus non dependet; sicut est Angelicus, & animæ separatæ.

Respondeo breviter cum Scoto 4. d. 10. q. 8. contra Nominales & RR: juxta dicta in materia de Angelis; existentiam Corporis Christi posse distinctè, ac intuitivè, cognosci à quocunque intellectu creato, sensibus non alligato. Ratio Scoti est: quia totum ens creatum est Objectum proportionatum tali intellectui, quantum ad cognitionem, tam abstractivam, quàm intuitivam; sed existentia Corporis Christi in Eucharistia continetur etiam sub latitudine hujus entis creati finiti: ergo &c.

6. Christus ut in Sacramento de nulla potentia videri potest oculo materiali.

Quæres quartò: An Corpus Christi Sacramentaliter existens per divinam potentiam videri possit oculo corporeo? Respondeo cum Scoto 4. dist. 10. q. 9. quòd nec naturaliter, nec supernaturaliter videri, possit Corpus Christi existens in Eucharistia. Ratio primi est: quia cùm Corpus Christi in Sacramento non existat modo quantitativo, & sibi naturali; non potest sui speciem immittere, immutando medium, & sensum; nec etiam potest terminare actum potentiæ sensitivæ corporeæ, quæ in suo objecto requirit modum existendi quantitativũ: ergo &c. Ratio etiam secundi: qui modus existendi Christi Sacramentaliter in Eucharistia est modus spiritualis, qui nequit contineri sub objecto visûs; cùm non sit sensibilis: ergo &c.

7. Doctrina circa apparitiones in Eucharistia factas.

Quæres quintò: quid sit sentiendum de apparitionibus, quæ in hoc Sacramento aliquando contingunt in Confirmationem fidei; vel, ob alios fines, de quibus vide Paschasium in lib: *de Euchar*: c. 14. Respondeo: eas aliquando esse reales; aliquando, & potissimè apparentes. Unde si quando appareat Christus in forma pueri, vel crucifixi, potest esse vera, & realis apparitio; nam potest DEUS in accidentibus Eucharisticis, in superficie Hostiæ ostendere Corpus Christi, non concurrendo cum oculis nostris ad visionem ipsorum accidentium: potest etiam esse apparens tantùm; per immutationem medii, aut organi sensorii, vel solius phantasiæ. Indicium apparitionis apparentis est; si solùm à quibusdam videatur ex adstantibus, & non ita clarè, & distinctè sicut exigit ipsum objectum repræsentari.

8. Potest dici apparitionibus aliquando realiter apparere Christum.

Quæres ulteriùs sextò: An in istis mutationibus, sive veris, sive apparentibus, Christus exhibeat semetipsum realiter videndum? Respondeo primum quidem esse credere; quòd Christus defacto seipsum exhibuerit in propria specie, & persona: probabilius tamen est oppositum.

Ratio primi est, consensus plurium Authorum Doctissimorum, Paschasii, Alensis &c. referentium Christum in forma crucifixi, vel elegantis pueri se exhibuisse devotis personis. Deinde hoc dicendo magis conformiter loquitur quis pietati, & fini ejusmodi apparitionum v. g. ad terrorem indignè communicantium, confirmationem fidei, consolationem devotorum, &c. ergo &c.

9. Sed Oppositum est probabilius.

Ratio secundi est: inprimis Authoritas S. Thomæ q. 76. art: 8. & plurium Doctorum. Deinde hoc non requiritur ad finem, ob quem istæ apparitiones contingunt; vel ad falsitatem, & mendacium evitandum; non enim significatur, quòd Christus sit præsens sub forma, sub qua apparet; sed quòd sit realiter præsens sub speciebus Consecratis. Deinde caro & Sanguis miraculosè apparens in Hostia asservatur per sæcula, alteratur, nigrescit, & corrumpitur; quæ non sunt attribuenda carni, aut Sanguini Christi reali exhibito secundùm seipsum in tali hostia, cùm sit jam gloriosus secundùm propriam speciem.

10. Quamdiu maneat Christus sub speciebus affectis apparitione.

Nota: quando contingunt hujusmodi mutationes, & apparitiones in speciebus Consecratis, Christum manere Sacramentaliter, si species ita non mutentur, ut sub similibus adhuc maneret panis, & vinum; non manere autem si mutentur in tantum, ut sub ipsis non maneret panis.

11. Regula Generalis dignoscendi mutationes in speciebus.

Signum autem dignoscendi hujusmodi mutationes, erit; si brevi tempore redeant species, indicium est illas tantùm fuisse occultatas sine immutatione circa ipsas facta. Quando verò mutata permanent v. g. caro, Sanguis, lapis, &c. habentque inæqualitatem, odorem, saporem, duritiem, similesque qualitates magis proprias (color enim, & figura sunt satis dubiæ & indifferentes) colligitur species panis, aut vini esse immutatas totaliter sub quibus proinde non manet Sacramentaliter Christus. Ideoque eis non est exhibenda reverentia, quæ exhibetur Christo in Sacramento; sed revereri potest tanquam miraculosum vestigium Christi, qui ibi præextitit. Sanguis autem ille, vel caro apparens erit Sanguis, vel caro à DEO de novo producta, propria, & vera; cujus tamen contrarium docet Suar:

12. Instructio Sacerdotis cui contingunt apparitiones

Quæres tandem septimò: quid sit faciendum Sacerdoti sacrificanti in hujusmodi apparitionibus? Respondeo: si species Sacramentales redeant; esse absumendas: cùm nulla sit ratio non sumendi: & mutatio verisimiliter tantùm contingit in oculo

in speciebus. oculo sacrificantis: si non redeant; & mutatio tantùm contigerit in aliqua parte specierum; sumi debet residuum ad complendum sacrificium: Si mutatio fit totalis, & perseveret, reservandæ sunt species sic mutatæ; neque necesse est denuò Consecrare (etsi id putent aliqui) DEUS enim ipso facto tunc videtur dispensare, in præcepto, quô mandavit utriusque speciei sumptionem. Oppositum est etiam probabile.

QUÆSTIO XXIV.

An Corpus, & Sanguis Christi per Transubstantiationem ponatur sub speciebus panis & vini?

1. Authores impanationis recensentur. Examinare hìc oportet alium articulū Berengaricæ pravitatis; hic enim cùm fateri tandem cogeretur in Concil: Rom: veram & realem Christi præsentiam in Sacramento Eucharistiæ; negavit nihilominùs Transubstantiationem, seu conversionem substantiæ panis in Corpus Christi. Quam hæresim receperunt Lutherani, Calvinistæ, & quicunque docent impanationem, seu perseverantiam panis, cum Corpore Christi simul in Eucharistia; à quo errore etiam, *Impanatores* dicuntur. Acriter hi reprehendunt Catholicos, utentes hoc nomine *Transubstantiatio*; dicunt enim illud esse novum, peregrinum, barbarum, novæque doctrinæ signum, nuper in Conc: Lateran: sub Innoc: 3. Anno 1215. inventum, & excogitatum. Verùm inanis est hic clamor Sectariorum; quamvis enim non nisi à tempore Concil: Lateran: Ecclesia fuisset usa hàc voce *Transubstantiatio* grammaticaliter, ad perfectiùs hoc Mysterium exprimendum; re tamen ipsâ jam à Christi tempore illâ est usa sub aliis nominibus Synonimis: puta *Transmutationis*, *Conversionis*, *Transelementationis*, ut loquitur Theophil: in cap: 14. Marci.

2. Scommata Hæretic:

3. Ecclesia potest nova vocabula instituere, ad explicanda Mysteria Fidei. Deinde sicut licuit sine nota novæ doctrinæ, Concilio Nicæno in *Symbolo fidei* addere novam hanc vocem, *ὁμοούσιος consubstantialis*, ad reprimendam hæresim Arianam, negantem æqualitatem Filii cum Patre; cur non licuisset etiam Generali Concil: Lateranensi ponere, vel instituere de novo vocem hanc *Transubstantiatio*?

4. Quid sit DICO primò: Transubstantiatio rectè describitur; quòd *sit transitio totius substantiæ in substantiam*. Ita Concil: Tridentinum Sess: 13. Can: 2. Scotus 4. dist: 11. q. 1. *Transubstantiatio?*

Explicatur: Ponitur *Transitio*, id est, Conversio, in quo Transubstantiatio convenit cum omnibus aliis transmutationibus: Additur *totius* ad excludendam generationem rerum naturalium, in qua non desinit esse tota substantia rei corruptæ. Dicitur *substantiæ in substantiam* ad ostendendum quòd uterque terminus hujus mutationis sit substantia; nam, inquit Doctor, si termini hujus mutationis essent accidentia, non transubstantiatio; sed transaccidentatio deberet dici.

5. Transubstantiatio non potest contingere virtute creatâ. DICO secundò: nullâ virtute creatâ potest fieri Transubstantiatio. Probatur: quia in nulla virtute creata residere potest vis creandi, vel annihilandi, ut ostenditur in Physica: ergo neque vis transubstantiandi consequentia tenet: quia requiritur æqualis vis ad hoc, & ad illud: ergo &c.

6. In Consecratione contingit vera Transubstantiatio. DICO tertiò: in Eucharistia per veram Transubstantiationem convertitur substantia tota panis, & vini, in Corpus & Sanguinem Christi. Est omnium Catholicorum contra Hæret: tam veteres, quàm recentes adstruentes impanationem Christi.

Probatur primò ex Concil: Rom. sub Gregorio VII. Item Lateranensi; & refertur cap: *Firmiter* de *Sanctissima Trinitate*. Item Constantiensi, Florentino, & tandem ex Tridentino Sess: 13. Can: 2. dicente: *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistia Sacramento remanere substantiam panis, & vini, unà cum Corpore, & Sanguine D. N. JESU Christi; negaveritq́, mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini; quam quidem conversionem Ecclesia Catholica aptissimè Transubstantiationem appellat; Anathema sit.*

7. Sancti PP: pro Transubstantiatione Eucharistica. Probatur secundò ex antiquis PP: quos longâ serie refert Bellarm: lib: 3. *de Eucharistia*: cap: 20. Ego paucos breviter adduco. Primus est S. Ambros: lib: 4. *de Sacramentis* cap: 4. *Tu fortè dicis, meus panis est usitatus; sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit Consecratio, de pane fit caro Christi.* Secundus S. Remigius Antisiodorensis, qui floruit ante Berengarium, scribens super Psal: 21. *Panis*, inquit, *& vinum à Christiana veritate dicuntur; non quòd naturam panis & vini post Consecrationem in se retineant; nisi quantùm ad speciem, saporem, & odorem; illi namq́, qui*

carnem

carnem in utero Virginis aſſumptam à Verbo perſonaliter, & ineffabiliter unire potuit; qui etiam mortalia corpora noſtra imperii ſui potentiâ faciet immortalia, panis & vini naturam in ſui Corporis, & Sanguinis naturam transferre poſſibile eſt. Ita etiam loquitur Dam: lib: 4. *de fide* cap: 14. S. Cyrillus Jeroſolymitanus *Catecheſi* 4. S. Fulbertus Carnotenſis *in Epiſt: ad DEO datum* &c. ergo &c.

7. *Ratio ad idem.*

Probatur tertiò ex ipſis verbis Conſecrationis; quæ etſi ex vi ſignificandi grammaticali, & ſpeculativa non omninò hunc ſenſum convincant (ut indicat Scotus hic d. 11. q. 3.) prout tamen ab Eccleſia intelliguntur, & ſemper intellecta fuerunt, habent hunc ſenſum; qui etiam planior, & ſimplicior, & magìs proprius eſt: non enim tam propriè diceretur, hoc eſt Angelus, demonſtrato lapide; cui Angelus eſſet intimè præſens, ſi lapis maneret in propria ſubſtantia. Ratio eſt: quia accidentia ſenſibilia, ratione quorum aliquid fit ſenſibile, exhibent illud, cum quo naturalem habent connexionem; & conſequenter ſi panis maneret in ſua ſubſtantia; pronomen *Hoc* ratione accidentium panis demonſtraret panem, & non Corpus Chriſti ſub eis latens.

8. *Scriptura & PP. objecti exponuntur.*

Objiciunt primò contra 3. Concluſ: varia loca ſcripturæ, & PP: in quibus Euchariſtia vocatur *panis* & *calix*; ut Joan: 6. & Cor: 10. & 11. *Qui manducat hunc panem*: ergo manet ſubſtantia panis in Euchariſtia. Reſpondetur: in his & ſimilibus locis accipi partem pro toto, id eſt accidentia ſenſibilia panis, & calicis pro ipſa ſubſtantia panis & calicis; quæ accidentia cùm maneant, ideo panis dicitur manere.

9. *Scotus malitiosè citatur à Kemnitio.*

Objicit ſecundò: Kemnitius Anthoritatem Doctorum Catholicorum; dicit enim Scotum & Cameracenſem aſſerere; nec verbis ſcripturæ, nec Symbolis fidei; nec veterum ſententiis cogi nos poſſe ad dogma Tranſubſtantiationis: ergo in Euchariſtia nulla fit tranſubſtantiatio.

10. *Scotus nactus eſt minùs ſinceros defenſores Bellarminum & Sotum ut patet ex textu Scoti.*

Ab hac calumnia conatur defendere Scotum Bellarminus, minùs tamen ipſum ſincerè refert: quod & fecerunt Soto, & Vaſq: ei imponentes; quòd dixerit, Tranſubſtantiationem ante Concil: Lateran: non fuiſſe fidei dogma. Verùm quàm ſplendidè omnes errent; liquet ex ſequentibus. *Reſpondeo*, inquit Scotus, in 4. d. 11. q. 3. *communiter tenetur; quòd nec panis maneat contra primam opinionem, nec annihilatur, vel reſolvitur in materiam primam, contra ſecundam; ſed vertitur in Corpus Chriſti. Et ad hoc multùm expreſſè videtur loqui Ambroſius; cujus duæ Authoritates ſunt ſupra adductæ, & plures habentur de Conſecr: diſt: 2. Principaliter autem videtur movere; quòd de Sacramentis tenendum eſt, ſicut tenet Sancta Romana Eccleſia. Nunc autem ipſa tenet panem Tranſubſtantiari in Corpus, & vinum in Sanguinem, ſicut manifeſtè habetur in Extravag: de Sum: Trinit: & Fide Catholica cap: Firmiter*: hæc Scotus. Nunquid Ambroſius, & alii quorum Anthoritates allegantur de *Conſecrat*: diſt: 2. non fuerunt veteres? nunquid caput illud *Firmiter* &c. non fuit Symbolum Concilii Lateran: ſub Innocentio 3.

11. *Bellarminus confutatur.*

His confutatus manet Kemnitius. Sed ubi legit Bellarminus in Scoto; *quòd ante Concilium Lateran: non fuerit dogma fidei?* aut unde colligit, *Scotum non legiſſe Concilium Romanum ſub Gregorio VII?* fortè quia inter verba jam relata ſubſumens dixit, *nunc autem ipſa tenet panem tranſubſtantiari*; quaſi diceret antea non tenebat: ſed unde conſequentia, nunc tenet: ergo antea non tenuit? Scotus ergo aſſerendo unam definitionem Eccleſiæ, non negat aliam.

12. *Scotus legit Conc: Rom: ſed conſultò id non citavit.*

Quod verò addit: Non allegavit Scotus Concilium Rom: ergo non legit; etiam non ſequitur: poterat Scotus optimè legiſſe Conc: Rom: & tamen prudenter, & datâ operâ non citare; quia reverà acta illius Concilii non erant tunc ſolemnia, nam non pridem emerſerunt, nec de ejus promulgatione in Jure fit mentio ulla ſicut de Lateranenſi; ad quod proinde Scotus conſultius recurrit tanquam magis manifeſtum. Tandem hæc veritas non ita manifeſtè definitur in Concilio Rom: ſicut in Lateranenſi: percurrendo enim acta Concilii Rom: nil invenies, niſi quòd poſt longam hinc inde diſputationem Berengarius convictus ſuum errorem propria confeſſione abjuraverit; at quod Concilium ipſum (ſicut aliàs moris eſt) poſitivè ipſum damnaverit, non habetur.

13. *Paſſio Soti irrationabilis.*

Cur verò Sotus de Scoto noſtro ita ſiniſtrè ſenſerit; puto rationem eſſe; quia eum offendit, eò quòd Doctor ſubtilis & Catholicus rationes Doctoris Angelici infirmas rejecerit. Sed parcat Scoto Thomiſta; melius eſt quod Doctor ſubtilis, & Catholicus rationes D. Thomæ minùs ſolidas oſtendat; quàm quòd hæretici irrideant; & veritas ludibrio exponatur; dum levibus fundamentis aſſeritur, Vide modum Doct: Subt: in rejiciendis fundamentis D. Thomæ in 4. loco allegato.

QUÆSTIO XXV.

Num Actio Transsubstantiativa sit productiva vel adductiva? Et quis ejus terminus?

1. Argumentum quoddam Petri Martyris.

INter aliàs difficultates contra veritatem Transsubstantiatiunis adductas est etiam objectio, quam Petrus Martyr desumpsit ex ipsis Schulasticis, & est talis: positâ Transsubstantiatione, inquit, sequitur ex pane fieri Corpus Christi, ut voluut Scholastici; sed hoc est absurdum ex multis mutivis: ergu &c. Probatur Min: primò; si ex pane fit Corpus Christi: ergu generatur Corpus Christi: mutatiu enim ad substautiam est generatiu; sed est absurdum Christum quotidiè generari: ergo &c. secundò: in Eucharistia est Christus DEUS & Homn: ergu si quid est in Eucharistia, quod fit à Sacerdote, etiam DEUS & Hnmu fit à Sacerdote. Tertiò Corpus Christi, quod fuit in cruce, & in utero Matris nou fuit factum ex pane; sed ex carue Matris; at quod est in Eucharistia fit ex pane: ergn quod est in Eucharistia nuu est quod fuit in cruce & in utero Matris.

2. Cui dispari viâ obviatur ab AA:

Ad hoc Argumentum communiter Respondent Theologi Catholici unanimi consensu Concedendo Maj: & Neg: Min: sed ad primam probam, iu qua tota est difficultas, nou eodem modu respondent. Thumistæ RR: commuuiter de mente D. Thumæ concedunt sine ullo absurdu Corpus Christi quotidie & de nuvu produci in Eucharistia; nun quidem productiune primâ, utpote quam semper habet in cœlis, sed secundâ; quam proinde reproductionem, vel ut Gabriel & Suar: loqnuntur, novam conservationem rei jam productæ appellant; & secundùm hoc tenent Transubstantiatiunem esse actionem verè productivam. Sed Egn

3. Actio Trãsubstantiativa est tantùm adductiva.

DICO primò: In Transsubstantiatione defactò, nec per se, uec concumitauter reproducitur; aut de novn couservatur Corpus Christi, sive secundùm suum esse simpliciter, sive secundùm modum aliquem substantialem novum; sed adducitur tantùm ad esse præsens speciebus. Ita Scotus cum suis 4. d. 11. q. 3. S. Bouaven: Bellarm: Alensis Vasq. & alii.

Probatur primò: nou potest intelligi quomodò detur nova & substautialis productiu; aut nove conservatiu sine nuvu termino substantiali: sed iu proposito nullus est talis: ergu &c.

4. Quod ulteriùs probatur ratione.

Probatur secundò: Sequeretur ex opposito quòd Corpus Christi dependeret, & non dependeret ab eadem causa; dependeret enim à primâ sui causa, à qua producitur; & etiam nou depeuderet; quia ab alia reproduceretur quoad suum esse: ergo &c. Idem dicendum de modu novo substantiali, à quo depeuderet, & nun depeuderet quoad sui couservationem: ergo &c.

5. Stabilitur doctrina Scotistica.

Probatur tertiò: Cur non asserunt adversarii talem modum, vel reproductionem in Corpore Christi, quaudo fuit simul penetratoriè cum utero Virginis, & januis clausis, vel similibus? Deinde modus substantialis nuvus unn potest esse sine substautiali aliqua mutatione ipsius substantiæ; qualis iu propositu non reperitur; cùm nulla prorsus sit necessitas hujusmudi mutationis: ergo &c.

6. Roboratur eadem doctrina alia ratione.

Probatur quartò: Verbum Divinum etiam secuudùm Advers: est verè Sacramentaliter iu Eucharistia per concomitantiam; jam peto; Au Verbum ponatur ibi similiter per nuvam productinnem, aut cousarvationem, saltèm secuudùm modùm snbstantialem unvum; nec ue? Si primum dicatur; sequitur Verbum mutari; quod implicat: si secundùm; cur similiter non possemus coucipere CurpusChristi pnni iu Eucharistia per conversionem panis absque ulla mutatiune, vel productiuue substantiali?

7. SS: PP: an sient pro Thomistica opinione?

Objiciunt Thnm: & est unicum fundamentum; SS: PP: dicunt; panem verè transmutari, verti, cunverti iu Corpus Christi; sed sine summu terminnrum abusu hæc dici non possunt; nisi in talibus mutatiunibus substantia autiqua panis desinat esse; & substantia nuva Corporis Christi accipiat verum nuvum esse per prodnctionem; ergn &c.

8. Respondetur Negativè.

Respondeo Neg: Min: quia Sacramentalis mutatio, versio, conversiu, seu Transubstantiatiu, nec ex cunceptu sun, nec ex PP: locutiune postulat aliud, quàm successionem nnius termini substantialis ad alium terminum substantialem ex DEI voluntate, connutando destructinnem panis & vini, & actionem, addactivam, Corporis Christi sub speciebus. Itaque quamvis staudo communi usui terminurum, per Transmutationem, & versionem naturalem detur intelligi, quòd fiat mutatio substantialis per productionem nuvæ substantiæ; tameu quandu fit transmutatiu, vel versio Sacramentalis & supernaturalis Eucharistica, datur intelligi, quòd mutatiu talis fiat per solam adductiunem substantiæ præexistentis, propter rationes

Cun-

Conclusionis. Ex his ergo aliter cum Scotistis.

Satisfit argumento Petri Mart: ex Doctrina Scotistarum.

Respondeo ad Argumentum Petri Martyris, Neg: Min: ad primam probationem Neg: Sequelam, ut patuit hactenùs. Ad secundam: concedo, quòd Christus Homo & DEUS fiat ministerialiter sub speciebus panis & vini sine ullo absurdo. Ad tertiam dico, idem Corpus Christi, quod natum est de Virgine, & passum in cruce, fieri ex pane, non tanquam ex materia, sicut fuit in utero Virginis; vel sicut fit mensa ex ligno; sed tanquam ex termino à quo conversionis.

10\. *Scotus exhibet terminos debitè expressives actionis adductivæ.*

Quæres: quibus verbis exprimi possit hæc Conversio Transsubstantiativa, seu adductiva actio? Respondet Scotus 4. d. 11. q. 5. non posse benè exprimi hanc conversionem per ly *Panis est, fuit, vel erit Corpus Christi*, aut è contra. Ratio est; quia ly *esse* denotat unionem extremorum pro tempore aliquo determinato; sed extrema istarum propositionum pro nullo unquam tempore fuerunt: vel erunt unita; ante enim conversionem panis & Corpus Christi fuerunt duo entia, simpliciter disparata, & realiter distincta; post conversionem adhuc habent majorem repugnantiam; quia unum est ens, alterum non ens.

11\. *Alia doctrina Scoti circa Transubstantiationem.*

Similiter inquit Scotus non sunt veræ istæ locutiones, *Panis fit, factus est, aut fiet Corpus Christi*, vel è contra. Ratio est: quia fieri de secundo adjacente prædicat fieri simpliciter ejus, de quo dicitur; sicut panis dicebatur fieri, quando coquebatur; & Corpus Christi, quando in utero Virginis formabatur: in Transsubstantiatione autem Corpus Christi non accipit esse simpliciter, nec etiam panis; cùm potiùs destruatur simpliciter. Quando etiam prædicatur fieri de tertio adjacente; tunc denotat subjectum fieri secundùm formam prædicati; v. g. Homo fit albus; quia fit sub albedine; sed panis pro nulla differentia temporis fit sub forma Corporis Christi; nec è contra: ergo propositiones illæ in nullo sensu possunt esse veræ.

12\. *Ejusdem Doctoris sensus circa eandem.*

Et per idem patet, nec istas posse esse veras, *Panis in transsubstantiatione potest, potuit, poterit esse Corpus Christi* aut è contra. Ratio est: quia propositio de possibili non potest esse vera, cujus *de inesse* est impossibilis; sed jam ostensum est, illas propositiones de inesse esse impossibiles: ergo &c.

13\. *Mens ejusdem quoad modū loquendi his.*

Itaque Transsubstantiatio, seu Conversio ista non potest aptiùs exprimi, quàm per propositiones *ex, de, ab*, dicendo *ex* seu *de* pane fit Corpus Christi; non tanquam ex materia, vel subjecto aliquo sub utroque termino conversionis manente; sed tanquam ex termino à quo; eo modo, quo dicimus, ex mane fit meridies; vel dicendo panis transit in Corpus Christi: Et hæc ultima locutio magis placet Scoto; quia in ea, ex vi verborum, non denotatur aliquid commune manere; sicut aliquo modo denotatur in priori locutione. Notat insuper, meliùs dici, *transit* quàm *mutatur*; quia hæc Conversio propriè non est mutatio; ut visum est. Ex Conclusione patere potest, quis sit terminus Transsubstantiativæ actionis: nihilominùs pro majori claritate.

14\. *Quis sit terminus à Quo Transubstantiationis?*

DICO secundò: Terminus à quo Conversionis Transsubstantiativæ est substantia panis & vini. Est communis. Probatur: quia Terminus à quo cujuscunque Conversionis substantialis est ille, qui definit esse, quando producitur terminus ad quem, v. g. in generatione ignis terminus à quo est forma ligni, quæ definit esse productâ formâ ignis; sed in Conversione Transsubstantiativa substantia panis & vini est, quæ definit esse: ergo &c.

15\. *Quis ad Quem de novo productus?*

DICO tertiò: Terminus ad quem de novo productus hujus actionis Conversivæ est ipsa præsentia Corporis Christi ad species, ut habet concomitantem destitionem substantiæ panis. Ita Scotus 4. d. 11. q. 3. contra Thom:

Probatur: quia per illam actionem nil Christi de novo verè producitur, ut ostensum est, præter præsentiam Corporis Christi: ergo illa præsentia est terminus ad quem de novo productus.

16\. *Et quis terminus ad Quem formalis?*

DICO quartò: Terminus formalis ad quem hujus conversionis est ipsa substantia Corporis, & Sanguinis Christi. Est Scoti similiter cit: contra Capreol: &c.

Probatur breviter: terminus formalis, seu specificativus omnis conversionis substantialis est substantia; sed hìc est vera conversio substantialis: ergo ejus terminus erit substantia: Sed nulla alia assignari potest, quàm substantia Corporis & Sanguinis Christi, ut habet Trid: Sess: 14. c. 4. Can: 4. ergo &c.

17\. *An annihiletur per Transubstantiationem panis & vinum?*

Quæres: An per Transsubstantiationem propriè annihiletur panis & vinum? Respondeo quæst: esse de nomine: nam si per annihilationem intelligatur mutatio, quâ totus panis, & secundùm substantiam & secundùm omnia accidentia, definat esse; tunc panis & vinum hìc non dicerentur propriè annihilari. Ratio est: quia manent accidentia. Si verò per annihilationem intelligatur destructio substantiæ panis & vini; licèt maneant accidentia;

tunc dicendum est, quòd hic panis, & vinum propriè annihiletur.

18. An quodlibet possit mutari in quodlibet?

Quæruot hic etiam AA: ad majorem declarationem Divinæ potentiæ in Transubstantiando Corpore & Sanguine Christi utrum quodlibet possit mutari in quodlibet: Ego breviter

19. Concluditur affirm: de rebus non dependentibus essentialiter.

DICO quintò: quodlibet creatum, sive absolutum, sive relativum, non dependens essentialiter ab altero creato, potest divinitùs in quodlibet creatum converti. Ita Scotus, hic.

Probatur cum Scoto; quia quodlibet ens plenissimè subest Omnipotentiæ Divinæ: ergo potest destruere quodlibet eus; & aliud simpliciter ejus loco producere.

20. Secùs de dependentibus.

Dixi *Non dependens essentialiter ab alio creato*: quia si verum sit, quòd identitas numerica relationis, exigat identitatem numericam fundamenti, rationisque fundandi; non potest concipi quomodò absolutum v. g. ejus, qui dicitur *Pater*, possit converti in ipsam Paternitatem; quia desinente absoluto Patris, etiam necessariò definit Paternitas.

21. DEUS nequit verti in creaturam aut è contra.

DICO sextò: Nec DEUS in creaturam; nec creatura in DEUM converti potest. Ita Scotus.

Probatur: quia, nec DEUS subest suæ Omnipotentiæ; nec potest subire aliquam mutationem realem: nec potest esse terminus à quo, vel ad quem, ullius realis conversionis: ergo &c.

22. Authoritas D. Aug: exponitur.

Objicies: S. Aug: lib: 7. *in Genesim ad litt*: cap: 12. dicit: nullo modo posse converti Corpus in Spiritum; aut è contra: ergo &c. Respondeo: ipsum loqui non de conversione hac nostra totali; sed de partiali; qualis reperitur in productione formæ viventis per corruptionem alicujus prioris formæ, de qua expressè loquebatur Aug: asserens, nec animam rationalem posse fieri ex Corpore, nec corpus posse converti in animam.

QUÆSTIO XXVI.
An divinitùs simul possint manere in Eucharistia Corpus Christi, & substantia panis?

1. Divinitùs simul possunt stare substantia Corporis Christi, & panis.

DICO primò: De potentia DEI absoluta loquendo, fieri potuisset, ut Christus Sacramentaliter maneret præsens, unà cum substantia panis. Ita Scotus 4. d. 10. q. 1. contra Thomist: & RR: aliquos.

Probatur: Nulla in hoc potest assignari repugnantia; nec ex parte ipsorum rerum, seu terminorum, id est, Corporis Christi, & substantiæ panis; nec ex parte mutationis, aut actionis, per quam fit illa præsentia: ergo &c. probatur Ant: non ex parte ipsarum rerum; quia non repugnat unum corpus fieri alteri præsens in eodem loco per mutuam penetrationem: ergo nec repugnat fieri præsens Sacramentaliter. Deinde etiam defactò quantitas Corporis Christi est intimè præsens quantitati panis: ergo eodem modo substantia Corporis Christi potest præsens fieri substantiæ panis. Probatur etiam Ant: quòd nec ex parte mutationis, seu actionis; quia duæ actiones partiales hic intelligi possunt, ut ait Scotus; seu duæ mutationes; una privativa, quà panis substantia desinit; altera positiva, quà Corpus Christi fit præsens: Hæ autem actiones, non sunt essentialiter connexæ; adeoque potest per unam Corpus Christi fieri præsens speciebus, sine panis desitione; & sic simul posset manere substantia panis, & Christi: ergo &c.

2. In Casu Conclusionis esset eadem actio adductiva Christi quo modo.

Nota autem: Si Corpus Christi fieret præsens speciebus, manente substantia panis, intrinsecè & formaliter esset eadem actio adductiva, quæ nunc est; & solùm connotativè diversa; quia non connotaret desitionem panis, defectu cujus connotationis, non diceretur conversio.

3. Et præsentia ejusdē rationis.

Ex quo deducitur; quod præsentia substantiæ Corporis Christi in casu mansionis substantiæ panis, adhuc foret ejusdem rationis cum illa, quam habet nunc in Eucharistia: habet enim omnes intrinsecas conditiones, quas nunc habet; quæ præsertim sunt tres; una, quòd Corpus Christi sit ita præsens Sacramento, ut non amittat præsentiam in cœlo: altera, quòd sit indivisibiliter præsens; tertia, quòd sit intimè & inseparabiliter præsens. Hoc solum ergo esset discrimen; quòd tunc accidentia panis non essent sine subjecto.

4. Num PP. obstent Conclusioni?

Objiciunt Thomistæ PP: & Concilia; qui perpetuò pro ratione præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia, adduxerunt conversionem substantiæ panis in Corpus Christi: ergo substantia Corporis Christi nequit esse præsens speciebus, manente Substantia panis.

5. Dicitur quòd non.

Respondeo Neg: Conseq: quia quando PP: & CC: dicunt conversionem panis in Corpus Christi esse causam præsentiæ ejus sub speciebus; loquuntur defactò; non de possibili: possibilis enim est præsentia Corporis Christi in Eucharistia sinè conversione substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, de potentia DEI absoluta.

luta. Sed hic oritur major difficultas, nam si maneret simul Substantia paois, & Corporis Christi, salvaretur veritas verborum Consecrationis? ad quam

6. Maneret Veritas forma Consecrationis, etsi simul essent substantia Corporis Christi, & panis.

DICO secundò: Salvâ totali veritate verborum Consecrationis posset Snbstantia panis remanere sub accidentibos unà cum Corpore Christi. Ita Scotus io 4. d. 11. q. 3. contra eosdem Thom: & RR:

Nota autem pro intellectuConclusionis; verba seu formam Consecrationis habere duplicem seosum, seu significationem, *speculativam*, scil: quæ ex humano instituto est, & nullins factiva, & *practicam*, quæ ex iostitutione DEI est, quà hæc forma est factiva sui termini. De sensu Speculativo procedit Conclusio;

7. Quid sensus speculativus & practicus?

Probatur ratinne Doct: Pronnmen *Hoc* in verbis Consecrationis ideo defactò salvat veritatem verborum Coosecrationis, quia non demonstrat accidentia, quæ suot præsentia; sed coutentum tantùm esse sub accidentibus Corpus Christi; sed in casu Conclusiouis æqnè demonstraret taotùm Corpus Christi contentum sub accidentibus; conoexis tamen cum substaotia panis: ergo &c.

8. Ostenditur quòd veritas verborum subsistat, licèt ambæ substantiæ simul ponerentur.

Confirmatur: quando aliqood commune demonstratum restringitur per prædicatum, non stat nisi pro eo, quod est sub illo prædicato; etiamsi alia sub illo communi contineantur, per Regulam Logicam doceotem; quòd talia stot subjecta, qualia permittuntur à snis prædicatis, unde dicendo, *hoc Animal est homo*, vel *Socrates*; aoimal non stat pro leone, vel equo: ergo demoostrato hoc ente, cootento sub speciebus, restringeodo ad Corpos Christi, subjectum stabit præcisè pro eote, quod est Corpus Christi; quamvis etiam ibi sit substantia panis: adhnc ergo in tali casu salvaretur veritas speculativa verborum, cum coexistentia panis.

9. Confirmatio ad idem.

10. In Casu Conclusionis quidnam sit Sacramentum.

Nota antem: quòd si substantia paois simul maneret cnm Corpore Christi, tunc signum sensibile Sacramentale non essent solæ species paois, sed ipsa substantia panis cum talibus accidentibus.

11. Objectio principalis Advers:

Objiciunt Adversarii: Quando duæ substantiæ sunt in eodem loco, quarum una videtur per propria accidentia, alia non; tunc qui demonstrat contentum sub accidentibus, non designat substantiam invisibilem, sed illam, cujus sunt accidentia; uode quaodo Christi Corpus fuit penetrativè in lapide sepulchri; si quis ostcoso lapide dixisset, *Hoc est Corpus Christi*, non beoè dixisset; quia accidentia designabant lapidem: ergo similiter; si substantia paois cnm suis accidentibos esset io Eucharistia visibiliter, & Corpus Christi iovisibiliter; non verè diceretur, *Hoc est Corpus Christi*.

12. Solvitur.

Respondeo Neg: Cooseq: quia quamvis regulariter loquendo, ita contingat; absolutè tamen aliter fieri potest: nam accideotia altaris suapte natura non sunt apta sigoificare; nisi substantiam panis; & tamen defactò ex divioa institutione repræseotant Corpus Christi: ita etiam dicendum in casu Conclusionis.

QUÆSTIO XXVII.

Quænam possit Christus agere; vel pati, ut præsens Sacramentaliter speciebus Eucharisticis?

1. Christus in Eucharistia habet operationes immanentes in cælo elicitas.

DICO primò: Operationes omnes immaoentes, quæ insunt Christo in cœlis, pariter ipsi iosoot per concomitantiam in Sacramento. Ita Scotus 4. d. 10. q. 5.

Probatur ex physico principio: Nullom ablolutum desinit esse in aliquo propter novum respectum præsentiæ; sed operationes immanentes sunt entia absoluta: ergo &c.

2. Unde beatificè videt & fruitur Deitate &c.

Ex his infertur: Christum ut Sacramentatum, elicere visionem & fruitionem beatificam. Item eum exercere actus scientiæ infusæ, qui in objectum tenduot, absque ulla dependentia à phantasmate. Et probabiliter etiam actus scientiæ acquisitæ; quia in horum exercitio, etiam ut Viator adhuc non recurrebat oecessariò ad phantasma, cùm illa dependentia ad phantasma ex Scoto sit in pœnam peccati origioalis, quò Christus caruit: ergo à fortiori ut jam simpliciter in termino compreheosionis positus, sine dependentia ab his poterit elicere actus scientiæ acquisitæ.

3. Christus in Eucharistia non elicit sensationes.

DICO secundò: Nulla operatio sensûs externi potest naturaliter inesse Christo ut in Sacramentò existenti; benè tamen operationes intellectûs & voluntatis. Est Scoti loco cit: & suorum.

Probatur prima pars: Operatio convenit alicui potentiæ secundùm eum statum, secundùm quem potest moveri ab objecto; sed sensus exteroi Christi in Sacramento non possunt moveri ab objectis sensnum propriis: ergo &c. Minor probatur: Motio talis sensuum fit tantùm per actionem materialem quæ sopponit extensionem localem in sensu moto; sed sensus

Z

sus externi non habent extensionem in Christo Sacramentato: ergo &c.

4. Benè tamen cognitiones.

Probatur secunda pars: Motio intellectûs & voluntatis fit per actionem spiritualem, quæ non supponit extensionem localem: ergo &c.

5. Supernaturaliter Christus posset sensationes elicere.

DICO tertiò: Supernaturaliter tamen potest Christo inesse in Sacramento operatio sensûs externi: unde probabiliter judico ipsum defactò audire, & videre sensibiliter, quæ ab adstantibus geruntur.

Probatur prima pars: quia in hoc nulla reperitur repugnantia: ergo potest Christus supernaturaliter audire, & videre sensibiliter.

6. Et defactò fortè hoc præstat.

Probatur secunda pars: Congruum enim est, ut qui nobiscum in Sacramento quasi corporaliter habitat; non sit ibi quo ad potentias, etiam corporeas, & operationes corporales, veluti modo quodam mortuo: ergo &c. Confirmatur: hoc dicendo videntur fideles rudiores ad majorem excitari reverentiam, & pietatem erga Venerabilissimum hoc Sacramentum: Commendatque hæc Opinio magìs naturam humanam Christi: ergo &c.

7. Christus Eucharisticus nequit operationes corporeas transeuntes elicere.

DICO quartò: Nulla operatio transiens corporalis, quæ corporalis est, tam ex parte principii, quàm termini, convenit naturaliter Christo, in Sacramento; benè tamen operatio transiens, quæ ex parte principii, vel termini, vel saltèm ex parte principii est spiritualis. Ita Scotus 4. d. 10. q. 7.

Probatur prima pars: Omnis actio corporea ex parte principii & termini requirit naturaliter passum sibi coextensum, ut insinuatur 7. Physic: cap. 2. Sed potentia Christi in Sacramento non est coextensa alicui passo: ergo non potest in ipsum agere.

8. Unde nec potest calefacere, nec se movere organico motu.

Hinc infero Christùm in Eucharistia non posse calefacere corpora propinqua; nec transmittere speciem visibilem sui; nec se movere motu organico; nec loqui locutione corporali:

9. Potest tamen actiones aliquo modo spirituales habere.

Probatur secunda pars: Actio merè spiritualis, vel saltèm talis ex parte principii non postulat illud principium esse localiter extensum passo; sed ad summum sufficit ipsum passum esse localiter extensum, si ipsa actio extensa sit ex parte termini: ergo &c.

10. Christus in Eucharistia potest loqui intellectualiter.

Hinc infero secundò: Christum in Eucharistia posse loqui intellectualiter Angelo; Et movere hostiam, vel aliud Corpus propinquum; estque non improbabile hoc modo ab ipsa potentia motiva Christi inorganica motas aliquando fuisse species. Circa deinde passiones Christi.

11. Christus in Sacramento est capax receptionis intellectionis, & speciei &c.

DICO quintò: Christus Eucharisticus potest recipere intellectionem, & volitionem, speciem intelligibilem; non item speciem sensibilem de novo naturaliter; benè tamen supernaturaliter.

Probatur de *intellectione, volitione, & specie intelligibili*: harum receptio non supponit in potentia extensionem localem: ergo &c.

Probatur de *specie sensibili*: quia hujusmodi species petit connaturaliter potentiam corpoream localiter extensam: quamvis supernaturaliter aliter contingere possit; cùm in hoc nulla assignari possit repugnantia. Et sicut Christi Corpus sub Sacramento, modo inextenso est positum; ita & aliqua species sensibilis, modo inextenso possit à DEO proponi Christo; quam proinde posset ejus potentia recipere.

12. Non tamen alterationis nutritionis &c.

DICO sextò: Corpus Christi in Eucharistia nequit recipere alterationem corpoream; nec nutritionem.

Probatur quia hujusmodi passiones exercentur mediante motu locali; qui etiam extensionem localem per se supponit; qualem Eucharisticum Christi Corpus non habet: ergo &c.

13. Corpus Christi in Eucharistia non movetur.

DICO septimò: Corpus Christi in Eucharistia non potest moveri, nec per se, nec etiam per accidens, ab agente creato. Ita Scotus 4. d. 10. q. 6.

Probatur prima pars: quia inter Corpus Christi, & agens creatum nequit intercedere contactus aliquis physicus immediatus: ergo per se nequit ab agente creato moveri.

14. Nec quidem per accidens.

Probatur secunda pars: ut aliquid moveatur per accidens, seu ad motum alterius, debet habere connexionem cum altero, ob quam impellatur, & deferatur, sed Corpus Christi talem non habet: ergo &c. Probatur Min: quia Corpus Christi, nec unionem formalem, nec effectivam habet cum speciebus, ut supra docui, quæstione 22. ergo &c.

15. Motus hostia non est miraculosus.

DICES: ergo quoties Sacerdos movet species, fit novum miraculum; quia Corpus Christi à solo DEO debet moveri. Respondeo hoc non esse propriè novum miraculum; quia procedit vi prioris miraculi, quò voluit DEUS ponere Corpus Christi inseparabiliter præsens speciebus, quam diu illæ perseverarent.

16. Sacerdos moraliter tantùm movet

Nota ergo Sacerdotem tantùm moraliter movere Christum, dum movet hostias: nam sicut solus DEUS est, qui physicè ponit Corpus Christi sub speciebus; & Sacer-

Corpus Christi cum hostia

Sacerdos tantùm moraliter: ita hìc dicendum de motu.

QUÆSTIO XXVIII.

An maneant Accidentia Panis & vini? quomodo, & quid agere, vel pati possint?

1. Veræ species panis & vini remanent post Transubstantiationem.

DICO primò: Species præexistentes panis, & vini accidentales factâ Consecratione perseverant. Est communis Ecclesiæ doctrina, contra Hæreticos veteres, & recentes.

Probatur primò ex determinatione Ecclesiæ; quæ habetur in cap: *Firmiter de summa Trinitate* in Conc: Constant: Sess: 8. Florent: *in Decreto de Armenis*. Et Trident: Sess: 12. Can: 2.

2. Experientia pro hoc asserto.

Probatur secundò: Sensibus percipimus in Eucharistia adesse eandem quantitatem, figuram, colorem, odorem, saporem, quæ vocantur accidentia absoluta sensibilia: Item manere virtutum calefaciendi, inebriandi, & similia, quæ vocantur absoluta accidentia, in effectibus sensibilia: ergo &c. De occultis qualitatibus, si quæ sint in rebus, idem formo judicium: non enim puto esse potiorem rationem, cur sensibilia accidentia remaneant; & non occulta.

3. Accidentia relativa panis, & vini non manent.

Nota tamen non remanere post Consecrationem accidentia relativa, & modos, si qui dentur distincti à relationibus, in substantia panis, & vini fundati. Ratio est quia essentialiter dependent à substantia panis & vini; Neque eorum permanentia alicubi reperitur revelata: ergo &c.

4. Accidentia omnia carent subjecto substantiali.

DICO secundò: Species præfatæ absolutæ accidentales manent factâ Consecratione sinè ullo subjecto substantiali. Est pariter communis Cathol: contra Wiclephistas, & Impanatores.

Probatur primò ex decisione Ecclesiæ: in Conc: Constant. Sess: 8. & Trident: cit:

5. Quod ulteriùs ostenditur.

Probatur secundò: omnibus illis rationibus, quibus supra quæstione 24. ostendi, per transsubstantiationem, substantiam panis & vini (quod erat substantiale subjectum accidentium absolutorum) converti in Corpus, & Sanguinem Christi.

6. Sola quantitas Eucharistica est sinè omni subjecto.

DICO tertiò: Species accidentales absolutæ, distinctæ à quantitate, in Eucharistia habent subjectum accidentale: sola verò quantitas caret omni subjecto. Est Scotistarum contra Marsilium, Less: Arriagam & alios Recentiores.

Probatur communibus principiis Philosophicis Scotistarum, quibus passim ostendunt, quantitatem esse immediatum subjectum omnium accidentium absolutorum, quæ hìc adducere non congruit: ergo cùm ad sensum maneat quantitas factâ Consecratione; hæc erit subjectum accidentale reliquorum: non enim video potiorem rationem, cur quantitas esset subjectum accidentium ante Consecrationem; & non post.

7. Rejicitur omnis novus perfeitatis modus in accidentibus Sacramentalibus.

DICO quartò: Accidentia Eucharistica non modificantur novô aliquô perseitatis modô positivô, necessariò ad existendum. Est Scoti 4. d. 12. q. 1. Lessii & aliorum contra Suar:

Probatur: Nulla ratio; vel experientia; vel Authoritas suadet supervenire novum hujusmodi positivum modum: ergo &c. Deinde talis modus superadditus est inexplicabilis: nam, vel est substantia; vel accidens: Si substantia; ergo modus proprius substantiæ communicatur accidenti; quod fieri nequit per ullam potentiam, salvis naturis rerum; nisi fingas DEUM facere substantiam accidens: si autem est accidens: ergo illud ipsum indigebit aliô modô manendi extra subjectum; & sic in infinitum: ergo &c.

8. Species Sacramentales possunt operari eodē modo ac si essent conjunctæ suis substantiis.

DICO quintò: Species Eucharistiæ sunt operativæ omnium actionum, quas operabantur ut connexæ cum subjecto substantiali: Ita Scotus 4. d. 12. q. 3. cum omnibus suæ Scholæ.

Probatur primò: Species Eucharisticæ retinent eandem numerò entitatem naturalem: ergo & potentias operativas easdem, ipsis identificatas.

9. Quod experientia manifestat.

Secundò: Experientiâ, quâ deprehendimus, accidentia Eucharistica posse immutare sensum tactûs, dum tanguntur; solent enim madefacere; inebriare; alterare; corpora disponere ad generationem formæ novæ substantialis, & corruptionem antiquæ. Et Ratio est, inquit Scotus; quia, quando aliqua forma est totale principium activum respectu alicujus actionis, si illa maneat per se sub modo convenienti ad agendum, potest esse principium ejus actionis; sed qualitas est principium totale actionis, tam alterativæ, quàm immutativæ sensuum, quæ sibi competere possunt; manetque destructâ substantiâ panis, & vini: ergo &c.

10. Species Eucharisticæ sunt mobiles & alterabiles.

DICO sextò: Species Eucharisticæ etiam possunt moveri motu locali; alterationis; rarefactionis; frangi; & uniri, per causas naturales. Est Scoti 4. d. 12. q. 4.

Probatur de *motu locali*: à Sacerdote potest hostia de loco ad locum transferri: ergo &c.

Probatur de *aliis motibus*: Species Eucharisticæ habent quantitatem: ergo in ea possunt intendi & remitti qualitates; sicut intenduntur & remittuntur in ea ante destructionem substantiæ. Confirmatur experientiâ; qua observamus, circa species præfatos omnes motus & mutationes quandoque fieri; ergo &c.

QUÆSTIO XXIX.

Quomodò, & quando desinat esse Corpus Christi sub speciebus, cùm fit corruptio; & quid de novo producatur?

1. Christus definit adesse, dum fit corruptio in speciebus.

Observamus quandoque ex Speciebus Sacramentalibus generari vermes, & consequenter novam substantiam; quo facto desinit esse Sacramentaliter præsens Christus in communi Theologorum sententia: inquiritur autem hic de modo desitionis.

2. Definit autem non per mutationem localem.

DICO primò: Christus non desinit esse in Sacramento Eucharistiæ per mutationem localem propriè dictam; nec per mutationem substantialem; sed per simplicem mutationem deperditivam realis præsentiæ ad species. Ita Scotus 4. dist: 10. q. 1.

Probatur prima pars: ex Arist: 5. *Physic:* ut habeatur mutatio localis, debet adesse terminus *à Quo*, & *ad Quem* novus; sed dum desinit Christus sub speciebus corruptis, non adest terminus *ad Quem* positivus novus; non enim Christus acquirit alium terminum, sed permanet in antiquo termino in cœlo: ergo &c.

3. Nec per mutationem substantialem.

Probatur secunda pars: Christus in Eucharistia per Transsubstantiationem non acquirit novum esse substantiale; actio enim transsubstantiativa, non est productiva, sed adductiva tantùm, ut supra docui; ergo pariter dum desinit non mutatur per novum esse substantiale. Unde

4. Sed per mutationem deperditivâ realis præsentiæ ad species.

Probatur tertia pars: Christus incipit esse sub speciebus Sacramentalibus per realem tantùm præsentiam ad species: ergo dum desinit ibi esse, desinet per ablationem ejusdem, seu per mutationem deperditivam talis præsentiæ ad species.

5. Christus non desinit factâ accessione

DICO secundò: Si admisceatur speciebus Consecratis vini extraneus liquor, & fiat sola divisio ac penetratio absque alteratione physica, & immutatione specierum corruptiva, non desinit Christus esse in Eucharistia. Ita Scotus 4. d. 12. q. 2. S. Bonaven: & alii Doctores.

Probatur primò: ex Innoc: cap: *cum Marthæ* de Celebrat: Missarum dicente: *Si post calicis Consecrationem aliud vinum mittatur in calicem; Non transit in Sanguinem, sed commixtum manet cum speciebus*: ergo &c.

peregrini entis non corrumpentis.

6. Ratio præ priori dicta.

Probatur secundò ratione Doctoris: Hæc mixtio facit solam juxtapositionem, non corruptionem; quia in entitatibus homogeniis (quales hìc sunt) quamvis detur maxima discontinuatio, non tamen sequitur corruptio; sicut nec per rupturam hostiæ in plures partes, sequitur deperditio Consecrationis: ergo in modificato casu Conclusionis non desinit esse Christus sub speciebus Consecratis vini.

7. Etiam alteratis minimè speciebus, cessat esse Christus.

Dixi notanter; *absque alteratione physica* &c. Nam si in speciebus Sacramentalibus accidat alteratio physica, & mutatio corrumpens species, per affusos liquores extraneos; citra dubium desinit esse Sacramentaliter præsens Christus. Unde

8. Christus tam diu manet sub speciebus, quamdiu manerent substantia panis & vini.

DICO tertiò: Tam diu manet Christus præsens Sacramentalibus speciebus quamdiu maneret salva ipsa substantia panis & vini, si adesset. Est Regula communis Doctorum hìc.

Probatio petitur ex ipsa voluntate Christi, instituentis hoc Sacramentum, & decreto suo determinatis, se velle tantùm assistere intimè Sacramentalibus Speciebus veris & realibus panis ac vini: non verò corruptis; & quæ alterius fuerint entitatis, ac naturæ.

9. Resolutio circa corruptionem specierum in stomacho.

Occasione hujus Conclusionis quæri posset; quandò physicè censeantur ita jam alteratæ, & corruptæ Species Sacramentales in stomacho sumentis eas, ut si post sumptionem vomitum pateretur, non sit necesse eas recolligere? Respondeo: hìc non posse præfigi regulam generalem: sed corruptionem specierum dijudicandam esse secundùm vires naturales concoctivas stomachi, eas sumentis: si enim sit activus stomachus, arbitror eum, Medicorum mihi desuper dato judicio, species hujusmodi corrumpi & alterari sufficienter per medium horæ quadrantem: si verò languens sit stomachus; notabiliter majus tempus, exigitur juxta languoris gradus; & fortassis duo horæ quadrantes requirentur, ob caloris nativi obtusam, & relaxatam activitatem.

10. Corruptis speciebus à DEO producitur nova substantia

DICO quartò: quando contingit corruptio realis in speciebus Eucharisticis tanta, ut Christus desinat esse præsens; immediatè à DEO nova substantia completa; aut saltèm materia prima apta generationi formæ novæ inducendæ per agens

agens creatum producitur. Ita Scotus 4. d. 12. q. 6.

Probatur: Hanc viam tenendo, ostenditur agens creatum non creare; & salvatur simul activitas nativa causarum naturalium in corruptione specierum Sacramentalium: ergo &c.

QUÆSTIO XXX.

An necessitate medii sumi debeat Eucharistia ab omnibus?

1. Neque parvulis.

GRæci moderni putant realem sumptionem Eucharistiæ etiam parvulis esse necessariam necessitate medii: contra hos.

DICO primò: Neque parvulis, neque adultis est necessaria necessitate medii ad salutem realis Eucharistiæ sumptio.

De *parvulis*, res est definita in Tridentino Sess: 21. cap: 4. & Can: 4. his verbis: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, Anathema sit.*

2. Neq; adultis est necessaria Eucharistia necessitate medii.

De *adultis* est etiam communis sententia Doctorum, eamq; insinuat Doct: Subt: 3. d. 40. q. un: Et fundatur non leviter in Conciliis; maximè Trid: quod exactè assignat ea, quæ sunt necessaria necessitate medii omnibus adultis & parvulis; nullam faciendo mentionem de Eucharistiæ reali sumptione; sic Sess: 7. Can: 5: definit baptisma omnibus parvulis, & adultis esse necessarium necessitate medii ad salutem: & Sess: 14. Can: 6. idem definit de pœnitentia quoad relapsos: ac tandem quando Sess: 13. naturam ac excellentiam Sacramenti Eucharistiæ explicat, nihil omninò dicit de ejus necessitate medii ad salutem: Quod solidum præstat argumentum, præfatum Concilium non censuisse, sumptionem realem Eucharistiæ esse ullo modo necessariam, necessitate medii ad salutem.

3. Stabilitur Conclusio pro utriusq;

Probatur deinde ratione Conclusio; nullum Sacramentum de facto est medium necessarium, nisi per modum remedii, sed sumptio realis Eucharistiæ non est hoc modo necessaria: ergo &c. Maj: est certa; quia omnes concedunt Sacramenta esse instituta, ut remedia nostræ infirmitatis. Min: probatur: quia, vel esset remedium necessarium pro ipsa prima justificatione obtinenda; vel pro obtinenda perseverantia in gratia accepta: primum dici nequit; quia de fide est, baptismum pro omnibus, & pœnitentiam pro relapsis, esse de se remedium certissimum ad obtinendam primam gratiam justificantem: Nec etiam secundum; quia ipsa perseverantia in justitia semel accepta, vel restituta, & sinè ulla interruptione usque ad finem continuata, non est simpliciter necessaria ad salutem; imò paucissimis de facto datur, cùm plurimi justi sæpiùs relabantur: ergo multò minùs Eucharistia in ordine ad talem perseverantiam, est medium necessarium.

4. Neq; votum Eucharistiæ est necessarium remedium salutis.

DICO secundò: Sinè Fundamento asseritur, votum saltem Eucharistiæ pro parvulis, vel adultis habere specialem ullam necessitatem medii salutis.

Probatur: quia CC: & PP: docent baptismum, vel ejus votum habere ex se (adeoque sine relatione ad aliquod aliud præter merita Christi, & DEI acceptationem) sufficientem, & efficacem virtutem conferendi primam gratiam justificantem: similiter pœnitentiam ad eandem restituendam in relapsis: ergo ad neutrum effectum, Eucharistia in re, vel in voto est simpliciter necessarium remedium parvulis, vel adultis.

5. Præcluditur quædam instantia Adversariorum de Eucharistiæ necessitate.

Dicere autem (ut dicunt Adversarii) quòd baptismus, vel pœnitentia includat votum implicitum sumendi Eucharistiam; nisi intelligatur hoc de quodam generali voto observandi Divina mandata occurrente occasione, (de quo nulla potest esse quæstio) absque ullo fundamento dicitur: quia ut declarat Trid: Eucharistia in re suscepta non causat gratiam ordinariè; nisi per modum nutrimenti, adeoque supponendo vitam gratiæ jam aliunde acceptam: ergo ejus votum non operatur; nisi similem effectum; adeoque sinè fundamento asseritur tale votum requiri ad ipsam primam gratiam.

6. An scriptura pro baptismo, & Eucharistia, eandem necessitatem proponat.

Objicies primò; S. Scriptura eodem verborum tenore, quo inculcat necessitatem Baptismi, inculcat etiam hujus Sacramenti necessitatem: ergo &c. Probatur Ant: quia sicut dicitur *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Sic dicitur Joan: 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* ergo &c.

7. Dicitur quòd non.

Respondeo quamvis verba utrobique pariter sonare videantur; tamen verborum interpretatio ex materia subjecta accipienda est; Sermo enim rei accomodandus est; non res sermoni: & ideò cùm de fide sit, hoc Sacramentum ordinariè præsupponere, non constituere statum gratiæ; è contra verò baptisma, & pœnitentiam ordinariè constituere, non præsupponere eundem statum; ideo quis non videt verba indicantia necessitatem Eucharistiæ, esse aliter interpretanda; quàm, quæ indicant necessitatem baptismi; adeoque merito

Aa

sitò Ecclesia, quæ S. Scripturæ est interpres, intellexit verba illa Joan: 6. de necessitate tantùm præcepti Divini; & hoc ipsum quoad capaces præcepti, ut sunt adulti; alia verò quæ pro baptismo citantur, de necessitate medii; utpote sinè quo, nec ipsa prima justificatio, quæ simpliciter est necessaria, contingit.

8. *Gravis objectio ex Innoc: & Aug: pro necessitate medii Eucharistia.*

Objicies fortiùs ex Innocentio I. in Epist: ad Conc: Milevitanum, ubi de Pelagianis disserens dicit sic: *Illud verò quod vestra Fraternitas eos asserit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sinè baptismatis gratia posse donari; perfatuum est: nisi enim manducaverint carnem Filii Hominis, & biberint ejus Sanguinem non habebunt vitam in semetipsis: qui autem hanc in eis sinè regeneratione defendunt, videntur mihi velle ipsum baptisma cassare, cùm prædicant hos habere, quod in eos credunt non nisi baptismate conferendum: si ergo nihil volunt officere, nec renasci; fateantur necesse est, nec regenerationis sacra flumenta prodesse.* Quam Innocentii sententiam S. Augustinus totis viribus amplectens sic ait; lib: 1. contra Julianum c. 4. *S. Innocentio vide quid respondeat, qui nihil aliud de hacre sapit*; & paulò post, *qui denique parvulos definivit; nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse.* Similia habet lib: 2. ad *Bonifacium.* lib: *de peccato originali* cap: 18. & apertissimè lib: 1. *de peccatis & peccatorum remissione* cap: 20. asserit tam parvulis, quàm adultis esse necessarium necessitate salutis manducare carnem Filii hominis, & bibere ejus Sanguinem: ergo &c.

9. *Solutio ejusdem communis*

Ad hæc omnia communior, & acceptior est solutio, & interpretatio TT: quòd nimirùm citatis duobus Patribus nunquam in mentem venerit, realem sumptionem Eucharistiæ esse infantibus necessariam necessitate medii; sed solùm spiritualem; seu, quod idem est, rem & fructum Eucharistiæ, quem quidem fructum consequuntur, quando per baptismum Corpori Christi Mystico, id est Ecclesiæ, incorporantur. Ita Vasq: & Author Annotationum ad opera S. Aug: in annotatione loci citati ultimi.

10. *Contra priorem solutionem militat particularis difficultas.*

Hanc solutionem Ego lubens amplexarer; nisi sequentia motiva me terrerent. Primò quòd ista interpretatio nullo modo consonare videatur litteræ, vel intento citatorum PP: nam ut benè perpendenti patebit, Innocentius volebat Pelagianos, asserentes sinè baptismo posse haberi æternam vitam, hoc argumento convincere: quibus necessaria est Eucharistiæ sumptio, iis magis necessaria est baptismi perceptio; cùm sit janua omnium Sacramentorum; sed infantibus omninò necessaria est Eucharistiæ sumptio: ergo perfatuum est dicere, quòd sinè baptismo possint habere vitam, utpote sine quo nec Eucharistia dari potest per quam datur vita. Min: probat Innoc: ex illo Joan: *Nisi manducaveritis.* Qui sanè discursus contra Pelagianos nil concludet, si Innocentius per carnem & Sanguinem Christi intelligeret ipsum baptisma, quatenus incorporat infantes Corpori Christi mystico. Secundò ad ipsum S. Aug: verbis claris cit: lib: 1. *de peccatis & peccatorum remissione* dicit; dum occurrens tacitæ evasioni Pelag: præfatam interpretationem omninò excludit dicens: *Non quidem hoc de Sacramento sancti lavacri* (discurrit super illa verba *nisi manducaveritis &c.*) *sed de Sacramento sanctæ mensæ suæ*; subintellige, dixit. Tertiò; quia talis interpretatio viam aperit Hæreticis omnia dicta SS: PP: quamvis clarissima, de veritate ac necessitate Eucharistiæ, etiam pro adultis, interpretandi & trahendi ad sensum quemdam spiritualem.

11. *Respondet proinde aliter Binius.*

Ad evitanda hæc incommoda alii, ut Severinus Binius, vir in Conciliis & Patribus versatissimus, planè, fatentur Innocentium, & Augustinum illius fuisse sententiæ, quòd realis Eucharistiæ sumptio omninò sit necessaria, etiam parvulis necessitate medii; & quòd fuerint moti ad hoc opinandum, eò, quòd viguerit consuetudo per 600. circiter annos in initio Ecclesiæ, dandi parvulis Eucharistiam. Verùm his obstare videtur Tridentinum Sess: 21. cap: 4. ubi antiquorum PP: (inter quos censendi sunt Innocentius & Augustinus) mentem hac in parte interpretando dicit: *Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem* (supple communicandi infantes) *in quibusdam locis aliquando servavit: ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita eos certè nullâ salutis necessitate id fecisse sinè controversia credendum est.*

12. *Judicium Auctoris circa hanc difficultatem.*

Quid ergo faciendum? aut cum prima solutione in plura absurda erit incidendum: aut cum posteriori contra interpretationem, ut videtur Tridentini, SS: PP: Innocentius, & Aug: interpretandi. Nolo hìc præcipitare sententiam: cum omni tamen submissione dicerem; meliùs esse cum Severino Binio sentire; quam ad applausum, & triumphum Calvinistarum viam aperire, extorquendi omnia dicta SS: PP: de veritate, & obligatione Eucharistiæ,

riſtiæ, etiam pro adultis, ad ſenſum ſpiritualem, & myſticum.

13. Qualiter Trid: interpretur Sanctos PP: hic.

Sed quid ad illud Tridentini? Vide ſi poſſet dici; Tridentinum quidem rectè interpretatum fuiſſe mentem, & factum antiquorum Patrum in communi; maximè illorum, qui illam conſuetudinem primò induxerunt: quod tamen non oportet extendere in particulari ad unum, vel ad alterum Patrem, maximè Scholaſticè diſputantes; & hoc ipſum per occaſionem; ut fecerunt Innocentius, & Auguſtinus, quibus & id licuit, antequam praxis illa propter alias cauſas rationabiles fuiſſet revocata, aut oppoſitum definitum ab Eccleſia.

Nec hoc rarum eſt, ut SS: PP: etiam ſummi Pontifices, multa præter verum ſcholaſticè tractent, ſinè ulla nota erroris pernicioſi; ut de Cypriano docet Auguſtinus, & de Innocentio 3. Melchiade, Zacharia, Pelagio, Joanne 22. aliisque, Scholaſtici unanimiter.

14. Euchariſtia ut ſacrificium, eſt aliquomodo ſimpliciter neceſſaria

Addo in majorem recommendationem hujus Sanctiſſimi Sacramenti, poſſe dici; Euchariſtiam, in quantùm habet rationem ſacrificii, eſſe neceſſariam ſimpliciter, pro toto Corpore Eccleſiæ, in capite & membris; quia in Lege Evangelica eſt neceſſarium Sacerdotium, ad adminiſtrandum Sacramentum pœnitentiæ relapſis, cui debet correſpondere ſacrificium; quod per Euchariſtiam offertur: non ſic autem eſt neceſſaria Euchariſtia ſingulis ejus membris, maximè infantibus baptizatis.

QUÆSTIO XXXI.

Num ſit Præceptum Divinum, & Eccleſiaſticum de reali ſumptione Euchariſtiæ.

1. Jure Divino obligat realis Euchariſtiæ ſumptio.

Hic Veritas producenda eſt contra Calviniſtas negantes, eſſe jus Divinum de reali manducatione Corporis Chriſti: cùm ſpiritualiter tantùm manducetur: contra hos

DICO primò: Extat Divinum Præceptum de reali ſumptione Euchariſtiæ, obligans omnes præcepti capaces; ſive ſint baptizati; ſive non. Eſt communis Doctorum Catholicorum.

Probatur primò; Joan: 6. v. 54. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Et 1. Cor: 11. v. 23. *Ego enim accepi à Domino &c. hoc facite in meam commemorationem*: quæ verba ad minimum præceptum ſonant, non ſolùm ad Conſecrationem; verùm etiam ad ſumptionem quoad Laicos referenda; ut apertè colligitur ex Tridentino Seſſ: 13. cap: 2. *In illius*, inquit, *ſumptione colere ſui memoriam præcepit, ſuamq; annuntiare mortem, donec ipſe ad judicandum mundum veniat.*

2. Quod & Ratio oſtendit.

Ratio hujus eſt illa, quæ ſæpè in Sacra Scriptura & PP: inculcatur; videlicet ex parte Chriſti ſumma erga nos dilectio & ex parte noſtra erga tantùm amatorem ſumma, quæ debet eſſe, gratitudo ac redamantis; ut ſicut ratione primi voluit nobiſcum eſſe in tanto Sacramento uſque ad conſummationem ſæculi; Ita ratione ſecundi nos in memoriam tanti beneficii intelligeremus ſumptionem tanti Sacramenti, ipsâ lege gratitudinis eſſe nobis neceſſariam, non dubitantes præceptum Domini eſſe.

3. Et paritas eſus agni paſchalis.

Deinde ſi Judæis, quibus omnia in figura contingebant, ſinè diſcrimine Sacerdotis, aut Laici, in memoriam tranſitûs de Ægypto mandatum Divinum datum eſt; ut quotannis agnum paſchalem cum azymo comederent; quantò rationabiliùs fuit, ut Chriſtiani omnibus, præcepti capacibus, à DEO præciperetur eſus veri Agni Chriſti, & Divini panis, in memoriam tranſitûs totius orbis à ſervitute diaboli.

4. Doctores variant de tempore obligationis Euchariſtiæ ſumendæ.

Circa autem determinatum tempus adimplendi hoc Divinum præceptum, variant AA: Et quidem in primitiva Eccleſia fuit præceptum quotidie communicandi, ex Anacleto Papa Epiſt: 1. c. 2. & refertur in cap: *Epiſcopus de Conſecrat*: Sed Fabianus Papa limitavit hoc ad ter in anno communicandum; videlicet in Natali Domini, Paſchate, & Pentecoſte. Verùm refrigeſcente devotione, Eccleſia in Conc: Lateranenſi ſub Innoc: 3. ut habetur in cap: *omnis utriuſq; ſexûs*; ſic de hac re ſtatuit; *Omnis utriusq; ſexûs fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, ſemel ſaltèm in anno confiteatur, ſuſcipiens reverenter, ad minus in paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum; niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abſtinendum; alioquin vivens ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Eccleſiaſticâ careat ſepulturâ.* Unde

5. Etiam jure Eccleſiaſtico oritur obligatio communicandi realiter.

DICO ſecundò: Extat etiam præceptum Eccleſiaſticum de reali ſumptione Euchariſtiæ. Eſt Catholicorum.

Probatur ex jam citatis Conciliis: & pluribus Patribus, quos vide apud Controverſiſtas.

6. Obligatio

Ex dictis infertur primò: Præceptum illud Divinum, & Eccleſiaſticum non obligare quempiam (niſi ſit articulus mortis)

Eucharistia determinatur ad semel in anno.

tis) ad frequentiùs quàm semel in annn communicandum; alioquin non providè Ecclesia determinaret; vel potiùs laxaret tempns illud ad annuam duntaxat Communinnem.

7. Est probabiliter divinum præceptum de annua Communione.

Infertur secundò: Qnamvis non ita certum sit, nec Ecclesia qnidquam expressè declaraverit, an vi etiam præcepti Divini obliget annua Communin; tamen periculnsissimum esse transgredi Ecclesiæ præceptum; non solùm qnia certissimè peccatur mortaliter in Legem Ecclesiasticam; sed etiam quia valdè probabile est, qnòd etiam in Divinam; cùm Ecclesiæ præceptum in proposito videatur esse determinatin juris divini. Et ratin etiam est; quia hoc Sacramentum institutum est per modnm cibi & potûs nutrientis animam; quâ analogiâ significatur sinè cœlesti hnc alimento hominis spiritnalem vitam diu subsistere nnn posse, juxta illud: *Nisi manducaveritu* &c.

8. Quando incurrantur pœna negligentium annuam Communionem.

Snlùm circa pœnas illas, transgressnribus hujus præcepti comminatas, sciendum; eas non incurri, anteqnam à Judice Ecclesiastico actn infligantur; ut docent communiter AA:

9. Pueri non tenentur communicare annuè.

Infertur tertiò: ex illis verbis *postquam ad annes discretionis pervenerint*; Infantes ac parvulos nnn obligari: tnm quia sunt incapaces præcepti: tum quia tales cum debita reverentia non sciunt tantum Mysterium sumere; quod tamen in dictn Decreto Conc: Lateranensis requiritnr.

10. Quis sit annus discretionis.

Quisnam autem censendus sit annus primus discretinnis, ex actinnibns hnmanis ratinnalibus, & mnraliter Circumstantinnatis benè vel malè; Item ex Jndicin populnrum, & praxi intelligentium, est colligendus: & est probabile, qnòd inter 10. & 14. ætatis annum expleatur.

11. Communio in articulo mortis est Divini juris.

Addunt communiter nunc AA: præceptum etiam Divinnm obligare quemcunque, legitimè non impeditum, ad communicandum in articulo mnrtis, etiamsi aliàs eodem annn, vel mense, ante infirmitatem communicaverit: Quod quidem satìs ratinnabile videtur: primò; qnia nulln tempore fructus, ant finis hujus Sacramenti est magìs necessarius; quàm in fine vitæ. Secundò: quia propterea Cnnc: Nicænum I. Can: 13. vocat hoc Sacramentum *Viaticum* diceus: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularisq; servabitur; ita ut si quis egreditur de corpore, ultimô & necessariô Viaticô minimè privetur.* Tertiò: idem colligitur ex perpetua Ecclesiæ sollicitudine, quàm habet circa ægros, in articuln mnrtis communicandns.

12. Vasquezii sententia circa Viaticum sumendum.

Dnbitant tamen AA: an satisfiat huic præceptn; si contingat periclitantem aliquot diebus v. g. 10. vel 14. ante, mnrbum, nil cogitantem de morte, adeoque de Viatico, communicâsse; præsertim, si interea nnn est mortaliter relapsus; nec adsit contemptus. Vasqnez absnlutè negat fieri satìs; qnia putat præceptum hoc obligare ad sumendam Eucharistiam in articuln, nnn qunmndocunqne, sed per modum Viatici.

13. Auctoris sententia prafertur.

Sed hoc nimis durum videtur; ideoque veriùs cum Paludann, Aretinn, Soto, & aliis puto; quòd talis citra contemptnm Sacramenti verè satisfaceret tam Divino, qnàm Ecclesiastico præcepto: quia nt fatetur ipse Vasq: à vnluntate sumentis non pendet, quòd hoc Sacramentum per modnm Viatici sumatur; nec ex vi vocis *Viaticum* aliud requirere videtur, quàm quòd Viator, vel in ipsa inchoatinne viæ, vel paulò ante, sumat refectinuem, etiam nil cogitans de itinere: quid enim refert, quòd quis manè benè pransus, postea circa meridiem cogitet de itinere primò? nnne autem 10. vel 12. dies antecedentes transitum de hac vita, secundùm prudentum æstimatinnem, non habentur nisi pro pauln antè.

14. An ly nisi manducaveritis &c. Joan: 6. probet benè jus Divinum de Eucharistia sumenda?

Contra Conclusionem nnn occurrit, quod nbjiciatur: nisi quòd scriptnra nullibi exprimat præceptum Divinum expressiùs, quàm Jnan: 6. *Nisi manducaveritis* &c. sed iste locus videtur, vel nihil, vel nimiùm probare: qnia vel potest intelligi de spirituali duntaxat manducatinne; & sic nihil probat: Vel si de reali intelligatur; non apparet, cur nnn etiam nbliget nmnes ad communicandum snb utraque specie; qnod est niminm.

Respondeo: hunc locum benè probara Conclnsionem; cùm loqnatur de snlis adultis; & sic nnn probat niminm.

15. Omittens tempore Paschali communionem tenetur probabilius eam alio tempore supplere.

Quæres interim; ntrum qui nmisit tempore Paschali communinnem; teneatur vi præcepti Ecclesiastici supra ex Conc: Lateran: citati, transactn jam Paschate, commnnicare? Hicq: & alii putant quòd non: Ratin eorum est; qnia sicut qui nmisit jejunare die præscripto ab Ecclesia; vel dicere breviarium; non tenetur ampliùs die subseqnenti jejnnare, vel dicere breviarium; & si hæc npera faciat, nnn adimplet præceptum transgressum: ita dicendum de nmissinne Commmuninnis Paschalis. Cæterùm alii Doctores putant; quòd teneatur, etiam transacto Paschate,

commu-

communicare: utraque sententia est probabilis; Secunda tamen magìs amplectenda; disparitas autem est de jejunio & Communione; quia præceptum de Communione probabiliter est Divinum; de jejunio autem, Ecclesiasticum.

16. *Quid sentiendum modo de quotidiana Communione.*

Quæres secundò: An etiam defactò consultum sit quotidie communicare etiam Laicis? Respondeo: quòd spectatâ naturâ Sacramenti eis consultissimum sit, & utilissimum quotidie communicare, & cibo illo vivifico nutrire animam; ut, quod per concupiscentiam deperditum est, restauretur: ita loquitur Trident: Sess: 13. cap: 8. S. Bonaven: 4. d. 12. p. 2. D. Thom: & PP: plures relati à Suar. disp: 69. Sect: 3. Per accidens tamen defactò, spectatis vitæ hujus impedimentis & distractionibus, rarò hodie inter Laicos reperiuntur, qui idonei sint ad S. Eucharistiam sæpiùs quàm octavo die, cum ea, quâ par est, reverentia, atque animæ suæ fructu, aliorumque ædificatione sumendam. Quibus verò personis in particulari consultum sit, communicare quâlibet septimanâ, & quandoque etiam Festis occurrentibus infra septimanam; vel etiam singulis quandoque diebus (si continentes, & à mundo abstractæ personæ sint) prudens Confessarius, spectatis eorum statu, devotione, & dispositione, dijudicabit.

QUÆSTIO XXXII.

Utrum Sacerdos teneatur Consecrare utramque Speciem?

1. *Utraq; species in sacrificio debet Consecrari jure Divino.*

Dico primò: Consecratio utriusque speciei est præcepta Sacerdoti jure Divino, & Ecclesiastico. Ita Scotus 4. d. 8. q. 3. contra Sanch: Majorem, Adrianum &c.

Probatur primò: de Divino: ex Trident: Sess: 22. c. 1. dicente: *Christum Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini DEO Patri obtulisse, ac sub earum rerum symbolis, Apostolis, eorumq; in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepisse per hæc verba; hoc facite in meam commemorationem*: ergo si oblatio seu sacrificium debet fieri in utraque specie, debet etiam in utraque confici Sacramentum; cùm illud non conficiatur, nisi in sacrificio.

2. *Obviatur cuidam instantiæ de Consecratione Sanguinis.*

DICES: Illa verba fuisse à Christo prolata post Consecrationem Corporis tantùm ergo non præcepit Consecrationem Sanguinis. Contra: Ex Evangelista Luca colligitur, quod verba illa, etiam de Sanguinis Consecratione sint intelligenda; dicit enim Lucas: *similiter modo* &c. Si similiter & eodem modo: ergo præcepit hìc sicut ibi. Deinde Apostolus 1. Cor: 11. prædicta verba ponit, etiam post Sanguinis Consecrationem.

3. *Ecclesia providentia circa utriusq; speciei Consecrationem.*

Probatur secundò ex praxi Ecclesiæ: quæ idcircò tam solicitè providet, ut nunquam una species sine alia Consecretur; imò etsi Sacerdos non foret jejunus; imò etsi alter deberet supplere, quod prior inchoavit; ut habetur in Tolet: 7. Can: 1. & Tolet: 11. Can: 14. & refertur Can: *illud* & Can: *nihil* 7. q. 1. Accedit: Sacrificium hoc ex sua institutione esse repræsentationem sacrificii cruenti; quæ explicitè & completè reperitur in duplicis speciei Consecratione: ergò &c.

4. *Factum Christi non obest Conclusioni.*

Nec obstat: quòd Christus juxta nonnullos PP: Consecraverit in Castello Emaus sub specie panis tantùm. Nam si hoc verum est (de quo PP: & Interpretes controvertuntur) & Consecratus fuerit panis solus (eò quod de vino non fiat mentio; quod etiam procedit ab Authoritate negativa) id fieri potuit à Christo solo, per potestatem suæ excellentiæ.

5. *Ob dandum Viaticum non licèt tantùm unam speciem Consecrare.*

Ex his sequitur: non licere sub una specie Consecrare; etiam ad communicandum infirmum; juxta DD: communiter. Ratio est: quia illicitum est directè intendere mutilationem sacrificii, à DEO prohibitam graviter, ut aliquis alius impleat præceptum, fortè Divinum, communicandi in articulo mortis.

6. *In certis casibus potest mutilari sacrificium.*

Possunt tamen dari casus aliqui; in quibus Sacerdos unâ specie jam Consecratâ, licitè non Consecrat aliam: v.g. si physica, vel moralis impotentia superveniat; puta si deprehendat vinum, venenum esse infectum, vel esse aquam, & aliud vinum reperiri nequeat: aut si immineat vitæ periculum v.g. ex ruina templi, incendio, aut incursu hostium.

7. *Nec Papa potest dispensare, ut Consecretur unica species.*

Magìs controversum est; An Authoritate Papæ possit fieri Consecratio unius tantùm speciei? Affirmant non solùm illi, qui censent Consecrationem utriusque speciei esse tantùm juris Ecclesiastici; sed etiam nonnulli ex illis; qui censent esse juris Divini: eò quod Papa videatur posse dispensare in votis, matrimonio rato, & similibus, quæ sunt juris Divini. Sed Oppositum est communis sententia DD: Pontifex enim non potest propriè dispensare in jure Divino, etsi possit illud interpretari; ut docetur in materia de Legibus. Deinde nullus est usus in Ecclesia hujus dispensationis, hactenùs visus; quod vehemens

Bb

mens indicium est Papam non posse dispensare in hoc puncto.

8. *Volater: mendosa relatio.*

Nec refert; quòd Innoc: 8. dicatur dispensasse cum Norwegis; ut in solo pane Consecrarent; teste Raphaele Volater: lib: 7. Geographiæ cap: *de Saxenibus*, eò quòd ibi vinum ob nimiam frigiditatem conservari non possit, Nullum enim alicubi extat hujus dispensationis vestigium, vel Autheoticum documentum. Deinde experientiâ etiam constat, non esse tantum ibi frigus, quin vinum commodè possit conservari. Tandem reddit Volater: suspectam totam suam historiam, per sub sequentem §. quo narrat Innocent: dispensâsse etiam, ut calicem vacuum sine vino Consecrare possent; quod non est credibile.

9. *Casus particularis, in quo uni ca specie posset Consecrari.*

Puto tamen; si casus occurreret, quo urgeretur tota natio, ob defectum vini longo tempore non acquisibilis, cessare ab immolatione sacrificii hujus fructuosissimi; sat probabile videtur, quòd ex rationabili interpretatione, tunc cessaret obligatio præcepti Divini de integritate sacrificii; prout etiam materialis integritas Confessionis, jure Divino præcepta, definit obligare in casu necessitatis, citra dispensationem.

10. *Etiam Jure Ecclesiastico utraque species est Consecranda.*

Probatur etiam Conclusio de præcepto Ecclesiastico; quia cap: *comperimus* dist: 2. de *Consecrat*: habetur; quòd Gelasius Papa præceperit Sacerdotibus, ut integra Sacramenta percipiant, & consequenter etiam ut integra consecrent: *quia*, inquit Papa, *divisio unius, ejusdem*, *mysterii, sine grandi sacrilegio, non potest provenire.*

11. *Consecrans debet utramq; speciem sumere de Jure Divino & Ecclesiastico.*

Quæres: Utrum etiam jure Divino, & Ecclesiastico teneantur Sacerdotes Consecrantes communicare sub utraque specie? Respondeo: ipsos teneri utroque jure. De Ecclesiastico patet ex cap: *relatum de Consecrat*. dist: 2. & Conc: Tolet: 5. & Trid: Sess: 13. Can: 8. De Divino etiam probatur: quia Luc: 22. præcipitur Sacerdotibus; ut faciant, quod fecit Christus: sed Christus seipsum communicavit, & Consecravit sub utraque specie: ergo &c.

QUÆSTIO XXXIII.

An Laicis debeatur jure Divino, Communio sub utraque specie?

1. *Origo Hæreticorum prætendentium usum calicis.*

De Communione sub una, vel utraque specie nulla reperitur controversia fuisse in Ecclesia ante annum 1400. sed postea anno 1410. Petrus Dresdensis Pragæ ursit, Laicis Communionem sub utraque specie dandam; uti refert Æneas Sylvius in Hist: Boem: cap: 35. Huic novo fidei Pædagogo adhæsit Huss in Epist: 48. Deinde Lutherus; qui licèt suam hac de re sæpè mutaverit sententiam: ultimatè tamen prædictis accessit: Sicut & Calvinus lib: 4. Instit: cap: 17. cum tota fæce Modernorum Hæret: in Germania, & alibi: Contra omnes

2. *Communio sub utraq; specie non est juris Divini.*

DICO primò: Nullum extat præceptum Divinum, quo Laici obligantur ad communicandum sub utraque specie. Est de fide definita in variis CC: maximè Constantiensi Sess: 13. Et Trident: Sess: 21. c. 1. his verbis: *Si quis dixerit, ex DEI præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi Fideles, utramq; speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere: Anathema sit.*

Probatur primò: Communicantibus sub una tantùm specie, promisit Christus vitam æternam, tam benè ac communicantibus sub utraque: ergo nullo præcepto obligantur fideles Laici ad communicandum sub utraque specie: Ant: probatur, ex illo Joan: 6. v. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* ubi nulla fit mentio Sanguinis, sub specie vini contenti: ergo &c.

3. *Secunda proba Conclusionis.*

Probatur secundò: Pleræque figuræ Eucharistiæ manducationem sub una specie significant: ut ligni vitæ in paradiso; Agni paschalis; manna; participatio sacrificiorum: ergo & ipsum figuratum, quod est Eucharistia, sub una specie sumi potest, absque inconvenienti à Laicis.

4. *Tertia proba.*

Probatur tertiò: In primitiva Ecclesia, fideles frequenter communicabant sub una tantùm specie; adeoque constat Ecclesiam tunc non censuisse sumptionem speciei, jure Divino necessariam. Ant: patet; quia tempore persecutionis concedebatur fidelibus, ut hostias sacras domum deferrent, & inde quotidie sumerent; ut constat ex Tert: lib: 2. *ad Uxorem*: & Clemente Alexandrino, Cyprian: Basilio, & aliis: domum autem non ferebant, nisi solas species panis; quia calix non dabatur ad manus Fidelium, sed ori admovebatur; ut patet ex Cyrill: Catech: Mistagog: 5. ergo &c.

5. *Quartum Argumentum probativum ex ritu Ecclesiæ.*

Idem comprobat ritus antiquus communicandi infantes, qui cum non possent cibum aliquem solidum sumere instillabant in os eorum aliquid Sanguinis Domini; ut etiam, testatur Cyprian: Sermone *de lapsis*: adeoque sub una specie dabatur Eucharistia.

Deinde antiquissimus Ecclesiæ Latinæ usus (cujus meminit antiquus Ordo Romanus,

manus, ante annos 800. editus) habet; ut Sacerdos in Paraſceve ſub una tantùm ſpecie communicet. Et ſimile quiddam teſtatur de Eccleſia Græca Conc: Laodicænum Can:49. in qua per totam quadrageſimam, præterquam in Sabbato, & die Dominico, fiebat communio ex præſanctificatis; ut apud Latinos in paraſceve.

6\. *Stabilitur quintò doctrina Catholica ex Eccleſiæ conſuetudine.*

Quintò idem patet: ex antiquiſſima conſuetudine (quam etiam ſæculum Concilii Nicæni agnovit, & de qua videri poteſt Clemens Rom: lib:8. *Conſtitut:* cap:13. & Euſebius lib:6. *Eccleſiaſtica Hiſtoria* cap: 34.) aſſervandi in loco deputato Euchariſtiam pro ægrotis, ita ut teſte Sophronio in *Prato Spirituali* cap:79. ſervaretur aliquando per annum: Species autem vini tam diu conſervari non poſſunt: ergo &c.

7\. *Eadem doctrina manu tenetur ex conſuetudine.*

Tandem Manichæi teſte Leone I. Serm: 4. *de Quadrag:* communicabant ſemper ſub una tantùm ſpecie; & tamen ex hoc præciſè capite: non ſunt redarguti erroris ab Epiphanio, Auguſtino, vel aliis, qui de ipſorum erroribus ſcripſère: ergo fuit uſitata communio primis temporibus ſub una ſpecie; quod tamen non foret dicendum; ſi extaret præceptum Divinum de communicando ſub utraque ſpecie: ergo &c.

8\. *Alia proba pro Catholicis.*

Probatur quintò Concluſio: totus Chriſtus continetur ſub alterutra ſpecie: ergo non eſt ratio præcipiendi generaliter utramque ſpeciem.

9\. *Rurſus alia ex facto Chriſti.*

Probatur ſextò: Chriſtus communicavit 2. Diſcipulos in Emaus in una tantùm ſpecie; ut teſtatur S.Chryſ: Aug: Theoph: &c. & expreſsè colligitur ex illo Lucæ 24. v.35. *Cognoverunt eum in fractione panis.* Item tempore Apoſtolorum communio ſub una tantùm ſpecie fuit in uſu; ut docent ſimiliter citati PP: Et patet ex illo Act:2. v.42. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtol: & communicatione fractionis panis, & orationibus*: vel ut Syrus vertit; communicabant in precibus, & fractione Euchariſtiæ; item ex illo Act: 20. *Unâ autem Sabbathi cùm conveniſſemus ad frangendum panem*: quibus in locis nulla fit mentio calicis, aut alterius ſpeciei: ergo de ea ſumenda nulla videtur etiam extare Lex Divina.

10\. *Et ex circumſtantia Nazaræorum.*

Confirmatur: Inter Neo-Converſos ad fidem Chriſti fuerunt multi Nazaræi; ut patet Act: 21. quibus interdictum erat bibere aliquid de vino; Num:6. & illi converſi ſtrictiſſimè ſervabant Legem veterem quoad hæc, & ſimilia puncta: ergo illi communicabant ſub una tantùm ſpecie.

11\. *Spectato jure Divino utraq; ſpecies poteſt à Laicis ſumi.*

DICO ſecundò: quamvis ſpectato ſolo jure Divino Communio ſub utraque ſpecie licita ſit, eam tamen juſtè & licitè Eccleſia prohibuit. Prima pars eſt communis inter Catholicos & Hæret; & probatur quia à tempore Apoſtolorum uſque ad tempus D. Thomæ Aquinatis, ut ipſe teſtatur hic quæſt:80. art: 12. viguit aliquibus in locis Communio ſub utraque ſpecie.

12\. *Eccleſia ob juſtas cauſas unam ſum ſpeciel Sanguinis ſuſtulit à Laicis.*

Probatur ſecunda pars, quæ eſt de fide ex Trident: Seſſ: 21. c. 1. Chriſtus dedit, Eccleſiæ authoritatem diſponendi de Sacramentis, ſalvâ eorum ſubſtantiâ, prout magis judicaret cedere in illorum reverentiam, ac ſuſcipientium utilitaetm: ut habet Trid: cit: & colligitur ex illo 1. Cor: 4. v.1. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum DEI*: ſed ſumptio ſub utraque ſpecie non ſpectat ad ſubſtantiam Euchariſtiæ: & ſunt variæ, ac rationabiles cauſæ, ob quas Eccleſia ſumptionem ſub utraque ſpecie, prohibuit: ergo &c. Min: quoad primam partem, eſt oſtenſa in priori Concluſione; probatur ergo quoad ſecundam; allegando cauſas, quarum

13\. *Prima cauſa Eccleſiæ auferentis Calicem.*

Prima eſt: quia quidam Hæretici, ut Berengarius, antiquitùs negârunt totum Chriſtum cum Corpore & Sanguine ſub una ſpecie contineri; ſed Corpus ſolùm ſub una, & Sanguinem ſub altera dicebant contineri; unde utramque ſpeciem eſſe neceſſariam putabant; horum errori ſe oppoſuit Eccleſia, & rationabiliter præcepit Communionem ſub una tantùm ſpecie.

14\. *Secunda Cauſa.*

Secunda eſt: quia Huſſitæ, Lutherani, & Calviniſtæ docuerunt Communionem ſub utraque eſſe de præcepto Divino; quod falſum eſt; ideò contra eosdem Conſtant: Concilium, & Baſili: & noviſſimè Tridentinum decrevit, Communionem ſub una tantùm ſpecie, eſſe à Laicis peragendam.

15\. *Multa alia cauſa pro facto Eccleſia afferuntur.*

Tertia: ad evitandas multas irreverentias, quæ circa SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie à Laicis ſumendum contingebant prohibuit, uſum alterius ſpeciei; nam frequenter in concurſu Fidelium, ſacratiſſimus Sanguis effundebatur ſuper veſtes, barbas, & in terram; maximè in communicatione ſenum, tremulorum, infantium, puerorum, infirmorum, & agreſtium perſonarum. Deinde Venerabile ſub ſpeciebus vini non poteſt commodè transportari ad ægros; nec diu conſervari in Altari; ſicut ſub ſpeciebus panis. Multi etiam nauſeant ſpecies vini

à natura; his proinde dare Venerabile sub speciebus vini, videbatur Ecclesiæ periculosum; accedit, quòd sub una etiam specie totus Christus cum Divinitate, Humanitate tota, & Sanguine fit præsens; corpus enim vivum Christi sub specie panis esse nequit, sinè vero Sanguine, quod est alimentum Corporis; aliàs esset cadaver. Tandem vinum pro communicandis tot Laicis in omnibus Regionibus tam commodè haberi nequit. His aliisque rationibus mota Ecclesia in Conciliis diversis, maximè Constant: & Trident: interdixit Laicis usum calicis, seu alteram speciem Eucharistiæ.

QUÆSTIO XXXIV.

Solvuntur Argumenta Hæreticorum, de utraq; specie.

1. *Dissolvitur Objectum Hæret: desumptum ex illo:* Nisi manducaveritis:

OBjiciunt primò Hæretici illud Joan: 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem* &c. ergo præcepta est Communio sub utraque specie. Respondeo primò: Neg: Conseq: nam qui dixit hoc; dixit quoque; *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; ut rectè notavit Trident: Sess: 21. adeoque cùm etiam usui unius speciei attribuatur vita æterna; in primo textu nullum debet esse præceptum Divinum de usu utriusque speciei. Respondeo secundò: Cum Tridentino explicando illum objectum textum; quòd non debeat intelligi de manducatione, & bibitione seorsim sub speciebus diversis; sed solùm de reali manducatione Corporis & bibitione Sanguinis; abstrahendo à modo; quæ manducatio & bibitio etiam fieri potest, sub una tantùm specie sumpta. Respondeo tertiò: potest propositio Christi intelligi, in sensu etiam copulativo; seu potiùs distributivo; idque secundùm rigorem Dialecticum hoc modo: *Si nec manducaveritis carnem Filii hominis; nec biberitis ejus Sanguinem*: nam ista particula exceptiva *nisi* involvit Negationem; & valet idem quod *nisi non* (ut etiam expressit Græcus) & repeti debet etiam in secunda parte propositionis compositæ; veluti si dicatur: nisi adsit Ceres, & Bachus, friget Venus; sensus est, si neutrum adsit, friget Venus; cùm alterutrum sufficiat. Resp. quartò: Commodè etiam dici posset; quòd ly *Et* pro *vel* sumatur; sicut alibi in scriptura frequenter sumitur, maximè Act: 3. v. 6. *Argentum, & aurum non est mihi*, id est, argentum, vel aurum non est mihi: Item Lev: 20. v. 9. *Patri, matriq; qui maledixerit, Sanguis ejus super eum*, id est Patri, vel Matri, qui maledixerit.

2. *Alia Scriptura objecta reconciliatur pro Catholicis.*

Objicit secundò Calvin: lib: 4. Instit: c. 17. Edictum æterni DEI est; ut omnes bibant Matth: 26. *Bibite ex hoc omnes*: iisdem enim dictum est, bibite, quibus manducate: ergo &c. Respondeo Neg: ult: propositionem Antecedentis; quòd iisdem dictum sit bibite, quibus dictum est, manducate; sed solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus dictum est, bibite omnes: idemque Syros vertit *vos omnes*: & Lucas expressit cap: 22. v. 17. *Dividite inter vos*: sic scilicet, ut in orbem vos omnes Apostoli aliquid ex isto calice bibatis; panem enim Consecratum ipsemet fregerat, & singulis dederat; unde hoc impletum fuisse testatur Marc: 14. v. 23. *Et biberunt ex eo omnes*.

3. *Instantia Calvini solidè retunditur.*

Instat Calvinus *quo*, inquit, *oraculo revelata est vobis illa interpretatio? aut cur meliore illo seculo ab Apostolis ad 1000. annos postea, sinè exceptione omnes fiebant utriusq; Symboli participes? ignorabátne vetus Ecclesia, quos convivas Christus ad suam cœnam admisisset?* Respondeo Ego: Oraculo Spiritûs Sancti, qui propterea promissus est, & missus, ut Ecclesiam suam doceret omnem veritatem, etiam in scripturis absconditam; & quo edocta Ecclesia, pro rerum, temporum, & locorum varietate, Sacramenta dispensat, salvâ eorum substantiâ; prout suscipientium utilitati, & Venerationi Consentaneum judicaverit. In sæculis illis prioribus, quia melioribus, & sanctioribus, fiebat Communio sub utraque specie; in hoc sæculo nequam, quo hæreses pessimæ Calvin: & Luther: succreverunt, maximè circa hoc punctum; & in quo charitas, ac reverentia Divinorum refrixit; salubriter instituit Ecclesia, ut Calix Laicis non daretur. Sed nec verum supponit Calvinus; quòd nusquam in Ecclesia veteri fuerit usus unius tantùm speciei: præter fundamentum enim nostrum pro prima Conclusione præcedentis quæstionis supra datum, legat Paulinum in *vita S. Ambrosii* scribentem; eundem ab Episcopo Vercellensi sub una specie Eucharistiam accepisse; legat Amphilochium hoc idem de S. Basilio in articulo mortis, asserentem: legat Cyprian: *Serm: de lapsis*: & alios: & inveniet, usum unius speciei viguisse, etiam intra illos 1000. annos.

4. *Patres in Communi pro Or-*

Objiciunt tertiò: Authoritates quorundam SS: PP: ex quibus tamen nil aliud habetur; quàm usum calicis olim fuisse Laicis licitum; cùm necdum esset, ab Ecclesia

rthodoxa doctrina trahuntur.

clesia interdictus. Quòd si subinda PP: videantur dicere (tamen apertè non dicunt) Sanguinem esse necessariò sumendum; intelligunt ipsum Eucharistiæ Sacramentum, quod Corpus, & Sanguinem continet; & indifferanter à Patribus exprimebatur, modò nomine Corporis; modò nomine Sanguinis; eò quòd tunc sub utraque specie permitteretur. Deinde multi ex Patribus agebant contra Manichæos docentes; non licere Sanguinem sumere sub speciebus vini; eò quòd vinum esset à malo DEO productum, & fel draconum: unde ne Catholici illis consentire viderentur, SS: PP: docuerunt Corpus, & Sanguinem esse sumendum sub diversis speciebus; sinè tamen obligatione præcepti Divini. Tandem potest dici, quòd velint Sanguinem esse sumendum saltèm cum Corpore, in quo continetur.

5. Authoritas Gelasii non facit pro Hæreticis.

Objicitur quartò: signanter Authoritas Gelasii Papæ cap: 2. *comperimus de Consecrat*: dist: 2. ubi detestatur perceptionem Sacramenti sub una tantùm specie; & præcipit sumi sub utraque. Resp: juxta D. Thom: & antiquas Glossas, quòd loquatur de sacrificantibus: & planè consonat titulus præfixus apud Gratianum. Si autem loquatur etiam de Laicis (ut quidam volunt) arguit superstitionem quorundam, qui more Manichæorum, credentes Christum assumpsisse Corpus sinè Sanguine; & vinum esse creaturam malam; abstinebant semper à Calicis usu: Et huic Responsioni favet Parenthesis illius cap: *quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi.*

6. Imprudens Hæret: appellatio ad Tribunal Justitiæ pro Calicis usu.

Objiciunt quintò Hæretici omnes: ad tribunal justitiæ appellantes: Christus in suo Testamento legavit omnibus suis filiis Corpus, & Sanguinem suum: ergo injustè fraudantur paternâ hæreditate Laici. Respondeo: quòd non advertant isti Advocati appellantes, Hæreditatem nobis relictam, non esse panem, aut vinum; aut eorum species; sed Corpus & Sanguinem Domini; quæ defacto etsi sub una specie Ecclesia dignè accedentibus dat: ac neminem defraudat: qua de causa igitur appellant ad tribunal Christi? Et quis quæso censendus est magis falsasse paternum Testamentum in proposito? An qui nudam substantiam panis, & vini dat Fidelibus, sinè vera, & reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi? an qui integrum sinè ulla divisione omnibus dat in una specie? quod ultimum facit Ecclesia.

QUÆSTIO XXXV.
An Eucharistia conferat majorem gratiam, sub duplici, quàm sub una specie?

Occasione querelarum, quas Hæretici evomunt contra Ecclesiam Catholicam, eam insimulando defraudationis paternæ hæreditatis, & particularis gratiæ, quæ in altera specie, & calice relicta est Fidelibus; quæri potest; an reverà utraque species simul sumpta majorem gratiam conferat? qua in re:

1. Non datur major gratia in sumptione utriusq. speciei simul.

DICO primò: Non plus spiritualis gratiæ, fructus, aut dulcedinis accipit quis, communicando sub una tantùm specie; quàm sub utraque simul, cæteris paribus. Ita D. Thom: D. Bonaventura, Richardus, Gabriel; estque communior apud veteres, & Recentes TT.

Colligitur primò ex Trid: Sess: 21. c. 1. quatenùs contra Hæreticos definit, nullam esse obligationem sumendi utramque speciem quoad Laicos; quia assignans hujus rei rationem dicit cap: 3. *sub altera tantùm specie, totum atque integrum Christum, verumq. Sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* Ex quibus sic Argumentor contra nostros Catholicos DD: sub qualibet seorsim specie cotinetur totus, & idem Christus, fons omnis gratiæ, cum Corpore, anima, & Sanguine, tanquam principale significatum: argo & idem accessorium, quale est gratia, quod debet semper sequi ad principale, ubicunque, & qualitercunque positum: Consequentia tenet; si enim sub qualibet seorsim specie accipiatur totus, & idem Christus, & ejus accessorium totum, & in eadem mensura, quod est gratia Sacramentalis, accipi debet; cùm non sit potior ratio de accessorio, quàm de principali.

2. Consilium Moguntinum stat pro Conclusione.

Probatur secundò ex Conc: Mogunt: Provinciali sub Sebastiano cap: 32. ubi habetur; *Jam nec hoc quidem quisquam Fidelis dubitare debet, illum sub una specie communicandi morem ad salutem sumentium æque utilem, & efficacem esse, quàm alterum sub utraq.: ergo &c.*

3. Et ratio Confutans Hæreticos.

Probatur tertiò: dicendo, quòd ambæ species non plus fructûs, & gratiæ conferant, quàm una; magis ostendimus contra Hæreticos, non necessitatem utriusque speciei quoad Laicos, nullamque congruentiam, ob quàm utraque species ei adaberet dari: ergo &c.

Cc Proba-

4. *Roboratur Conclusio dissolvendo argumenta Adversariorum.*

Probatur quartò evertendo fundamenta Adversariorum; & respondendo ad eorum objectiones. Unde

Objicies primò primum fundamentum eorum: alius est effectus cibi, alios potûs; cibus enim famem; potus sitim extinguit: sed Eucharistia sub specie panis non est nisi cibus; & in specie vini tantùm potus: ergo alium effectum habet in uno, & altero; & consequenter utraque sumpta majorem causat gratiam. Respondeo Neg: Min: quia utrobique est cibus, & potus; quia utrobique totus Christus cum Corpore, & Sanguine.

5. *In unaquaq; specie est ratio cibi & potûs.*

6. *Catholicis DD: respondetur.*

Objiciunt secundò Catholici DD: Eucharistia sub specie panis est Sacramentum: ergo quà tale confert gratiam peculiarem; vel ergo superaddita sumptio calicis gratiam auget; vel non auget; si primum; habetur intentum: si secundum; ergo verum Sacramentum, in ritè etiam dispositis, non confert gratiam; & sic etiam frustra à Sacerdote sumitur. Respondeo primò: retorquendo de 2. hostiis successivè sumptis: item de 3. immersionibus aquæ baptismalis; quæ non plus causant, quàm una ex illis. Respondeo secundò: Eucharistiam sive sub una specie, sive sub altera esse verum Sacramentum; & quidem quantùm est ex parte significati integrum; licèt ex parte signi partiale tantùm; ideoque sub alterutra seorsim, & interpolatè sumptum, habere effectum gratiæ sanctificantis; æqualem tamen, & eundem: quòd si simul, & per modum unius refectionis utraque species sumatur, potest dici; quòd vel totus effectus tunc per primam speciem percipiatur; vel quòd non nisi completâ sumptione utriusque: nec per hoc altera species superfluit; quia utiliter fit, sinè quo ratio sacrificii non intelligitur completa: & præceptum Domini est, ut in Ecclesia sub utraque specie quoad aliquos sumatur; quia licèt res significata sit per omnia eadem; modus tamen significandi, non est idem.

7. *Clem: VI. intentio aperitur in Bulla quadam.*

Objicies tertiò: Clemens VI. in Bulla ad Regem Angliæ (ut refert Vasqu: & Aversa; Lugo autem, & Decastillo appellant Galliæ) anno 1341. concedit ei etiam usum Calicis, idque ad majus gratiæ augmentum: ergo. Respondeo: Pontificem loqui de augmento obtinendo ex opere operantis, per majorem devotionem, inde (ut confidit) excitandam.

QUÆSTIO XXXVI.

De Effectibus Eucharistiæ.

1. *Eucharistia causat primariò gratiam secundam.*

DICO primò: Primarius, & per se Effectus hujus Sacramenti est secunda gratia, seu augmentum gratiæ habitualis; non verò prima. Est communis Theologorum.

Probatur prima pars ex Conc: Lateran: *de Sum: Trin: cap: cum Marthæ*. Et Florent: in *Decreto Unionis*, ac Trid: Sess: 7. *de Sacramentis in genere*; ubi hæc Conclusionis pars definitur: ergo &c.

2. *Quod Scriptura & Ratio suadet.*

Probatur secundò: ex S. Scriptura Joannis 6. v. 58. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*: ergo &c. Ratione etiam ostenditur; quia sicut cibus, & potus materialis auget vitam sumentis; ita hoc Sacramentum vitam spiritualem gratiæ augebit; cùm institutum sit per modum cibi, & potûs spiritualis: ergo &c.

3. *Non causat gratiam primam ordinariè.*

Probatur secunda pars: Non est institutum hoc Sacramentum ad conferendam primam gratiam; sicut est institutus Baptismus, & Pœnitentia: ergo &c.

4. *Scriptura quædam & Trid: conciliantur.*

DICES: ex forma hujus Sacramenti, *Hoc est Corpus meum*: & *hic est Sanguis meus qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: colligitur, Eucharistiam esse institutam ad conferendam primam gratiam: ergo &c. Confirmatur ex Tridentino Sess: 13. c. 5. docente: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum &c. Anathema sit*: ergo supponit Trid: Eucharistiam hunc habere effectum. Respondeo ad primum: ex illis formis solùm colligi; quòd Sanguis Christi in cruce effusus, fuerit pretium universale redemptionis nostræ, & remissionis peccatorum; non verò quòd defactò in Sacramento causet remissionem peccatorum omnium, & producat primam gratiam. Vel certè potest intelligi de venialibus peccatis; quæ tollit Eucharistia. Ad Tridentinum dico: supponere tantùm Concilium, quòd per accidens quandoque, & secundariò possit Eucharistia remittere peccata mortalia, & sic causare primam gratiam; quod & nos docemus. Unde

5. *Eucharistia per accidens solet causare gratiam primam.*

DICO secundò: per accidens in aliquo casu, secundariò, & indirectè Eucharistia confert primam gratiam. Ita Scotistæ communiter & RR:

Probatur primò: quia casus contingere potest, quòd quis ad Eucharistiam accedat, nullam habens conscientiam peccati mortalis, & putans invincibiliter se esse in gratia;

gratia; iste recipit primam gratiam virtute Eucharistiæ: ergo &c. Ant: patet: quia nulla est ratio denegandi taliter communicanti gratiam; & piè præsumendum est de Largitore bonorum omnium, quòd taliter disposito suam non denegat munificentiam: ergo &c.

6. *Aliud argumentum ad idem.*

Probatur secundò: si ob aliquam rationem in nullo casu posset Eucharistia primam gratiam conferre, & peccatum remittere mortale, maximè quia ex sui institutione solùm ad augmentum gratiæ est ordinata; tanquam Sacramentum vivorum: sed hæc ratio non convincit: ergo &c. Probatur Min: Baptismus, & Pœnitentia tanquam Sacramenta mortuorum, ad dandam primam gratiam, & remittendum mortale ex Divina institutione sunt ordinata; & tamen ipsa in aliquo casu solùm causant gratiæ augmentum; in eo nimirum, quò quis haberet actum contritionis antequam hæc Sacramenta reciperet; vel in casu, quò quis cum solis venialibus ad Sacramentum Pœnitentiæ accederet: argo idem dici potest de Eucharistia.

7. *Effectus Secundarius Eucharistia.*

DICO tertiò: Eucharistia etiam per modum Effectûs secundarii remittit peccata venialia; præservat à mortalibus; diminuit fomitem, & inordinatum appetitum. Est communis Theologorum, & Sanctorum Patrum.

Probatur prima, & secunda pars de *remissione venialium, & præservatione*, ex Trident: Sess: 13. cap: 2. dicente: *Eucharistiam esse antidotum, quò liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur*, Idem habet Catechismus Pii 5. & Innoc: 3. de *Sacro Mysterio Altaris* c. 44.

8. *Quomodo remittat venialia Eucharistia.*

De *diminutione fomitis* etiam patet ex PP: & TT. quia Eucharistia causat multas particulares gratias auxiliantes; ut infra dicam; per quas debilitatur prava inclinatio ad peccatum, in qua consistit fomes peccati: ergo &c.

Quæres: An remissio venialium fiat per Eucharistiam mediatè tantùm, & indirectè, quatenùs virtute illius conferuntur auxilia, ratione quorum homo elicere potest actus bonos, & ferventes charitatis; quibus doleat de venialibus, & proponat imposterùm illa cavere. An verò etiam directè, & immediatè. Relictis aliorum Responsionibus variis Respondeo ego: quòd utroque modo possit fieri remissio venialium; primò quidem modò; quia illa auxilia sunt nutrimentum spirituale animæ: sicut ergo nutrimentum corporale præbet vires ad restauranda damna corporalia; ita Eucharistia vires spirituales præbet, puta diversa auxilia, quibus mediantibus homo ferventiores actus charitatis elicit ad remissionem venialium disponentes. Secundò etiam modò fieri potest immediatè; Eucharistia enim altiori modò, & perfectiori, causare debet remissionem venialium, quàm Sacramentalia v. g. aqua benedicta, quæ ex opere operantis venialia remittit; quatenùs à DEO auxilia impetrat, quibus homo actus eliciat, venialia retractantes: ergo Eucharistia ex opere operato, id est per augmentum gratiæ habitualis remittere debet venialia, quod est remittere immediatè.

9. *Eucharistia confert auxilia gratia actualis.*

DICO quartò; Eucharistia confert etiam multa auxilia gratiæ actualis. Ita TT: communiter.

Probatur ex Florent: *in Decreto Eugenii*, dicente: *quòd omnem effectum, quem materialis cibus, & potus quò ad vitam agunt corporalem; hoc idem quò ad vitam spiritualem, & hoc Sacramentum operetur*: cibus autem corporalis dat sequentia auxilia, & effectus: quòd sustentet; augeat; reparet; delectet; confortet: ergo similia spiritualiter confeiret Eucharistia.

10. *Cujusmodi sunt gratia excitans & concomitans.*

Unde infertur primò: quòd Eucharistia conferat auxilium excitans, & concomitans ad exercenda opera vitæ spiritualis, & aliarum virtutum, maximè autem charitatis DEI, & proximi: sicut cibus corporalis præbet vires ad exercendos actus vitales: specialissimè autem charitatis DEI; sicut enim cibus corporalis assumitur ut transmutetur in substantiâ aliti; ita cibus iste cœlestis ad sumentis affectum transmutandum in ipsum Christum: unde dicit S. Bonavent: in *Opusc: de præparatione ad Missam* c. 7. *comedens incorporatur Christo, & transit in amorem, & unitatem*: per unionem utique non physicam, ut quidam putant; sed per moralem.

11. *Confert etiam gratiam conservantē in operibus pietatis; & augentem,*

Infertur secundò: quòd Eucharistia conferat auxilium conservans in operibus pietatis, & virtutum; & augens statum gratiæ. Et ratio iterum desumitur à paritate cibi materialis, conservantis vitam hominis, & augentis: insuper est Eucharistia collativa gratiæ perseverantiæ finalis; qua de causa vocatur à Trid: Sess: 13. c. 2. *Pignus futuræ gloriæ*, & cap: 8. inquit, quòd sit *verè animæ vita, & perpetua sanitas mentis, cujus vigore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam pervenire valeant.*

12. *Respergit animam dulcedine.*

Infertur tertiò: quòd spirituali dulcedine animam respergat: colligitur ex illo Gen: 49. v. 21. quod Ecclesia applicat Eucharistiæ

charistiæ; *pinguis est panis ejus, & præbebit delicias Regibus.*

13\. *Et reparat virtutes spirituales animæ.*

Infertur quartò: quòd conferat auxilium speciale reparativum virium spiritualium animæ, debilitatarum per calorem fomitis noxii: Unde ab Ecclesia vocatur *subcinericeus panis* ex 3. Reg: cap: 19. in cujus fortitudine ambulavit Elias quadraginta diebus. Ratio est eadem, quæ ante.

14\. *In instanti completi esûs causatur gratia Eucharistica.*

Quæres: Quando Eucharistia causet suos effectus? Respondeo: quòd tunc primò, quando est instans completæ manducationis; id est, quando trajicitur species in Stomachum. Ratio est; quia, ut dixi, Eucharistia nutrit nos spirituali modo, cum proportione ad cibum materialem: ergo sicut cibus materialis primò nutrit, quando est trajectus in stomachum; ita Eucharisticæ species panis, & vini.

15\. *Eucharistia successivè nutrit animam.*

Quæres: An in stomachum trajecta Eucharistia successivè nos nutriat tam diu, usque dum consumantur species? Respondeo: rem esse soli DEO notam, qui successivè, vel instantaneè producere potest gratiam: probabiliter tamen puto; quòd tam diu DEUS animam Effectibus Eucharisticis nutriat; quàm diu communicans perseverat in ipsius contemplatione devota, & quamdiu species in stomacho existunt indigestæ. Ratio mea pro primo est; quia hic dicendi modus magis excitat populum ad devotionem, & reverentiam debitam tanto Sacramento, ob spem majoris fructûs consequendi ex Communione: Insuper commendat DEI Misericordiam. Ratio etiam pro secundo est: quia sic Christus non videtur esse otiosus eo tempore in stomacho, quo durant species: & suadetur etiam à paritate cibi materialis in stomacho existentis.

QUÆSTIO XXXVII.

Quæ Dispositiones ex parte Corporis debeant esse in sumente Eucharistiam?

Hic se extendunt nonnulli Recentiores: Sed Ego summariè ea, quæ digniora consideratu sunt, tangam. Unde

1\. *Communicans regulariter debet esse jejunus.*

DICO primò: Sumens SS: Eucharistiam debet esse jejunus, jejunio naturali. Ita Theologi communiter.

Probatur ex vetustissima, & continua Ecclesiæ consuetudine, jejunium tale præscribentia; cujus initium S. Augustinus *Epist*: 118: c. 6. reducit ad ipsos Apostolos: ergo &c.

2\. *Uti determinavit Ecclesia.*

Probatur secundò: ex determinationibus Ecclesiæ in Conc: Carthag: 3. c. 29. Constant: Sess: 13. & aliis.

Dixi notanter *naturali jejunio*, id est; ut à media nocte nil cibi, vel potûs assumpserit communicans: hoc enim praxis Ecclesiæ requirit omninò.

Nota autem; si horologia difformes habeant progressus; poterit communicaturus in incipiendo jejonio se conformare horologio tardiori. Ratio est: quia reale noctis medium in primo mobili, rarò à secundo mobili, quale est horologium, adæquatè, & indivisibiliter assignari potest, & nobis mensurari: Unde quodvis horologium habet se instar sententiæ probabilis: Inter autem sententias plures probabiles, possum eligere, quam volo: ergo & horologium tardius.

3\. *Jejunium Communicantium est rigorosum.*

Nota secundò: Jejunium hoc naturale debere cum omni rigore regulariter intelligi; ita ut si minima portio cibi, vel potûs voluntariè assumatur post mediam noctem, destruatur jejunium naturale. Unde Paulus V. in Rit: Rom: Tit: *de Communione infirmo*: prohibuit Communicantibus, masticare, & trajicere tabacam, vel quodcunque genus aromatis post mediam noctem. Aliud esset, si una cum saliva simile quid casu, & involuntariè trajiciatur; tunc enim non solveret jejunium.

4\. *Res non comestibiles, vel potabiles assumpta non solvunt jejunium naturale.*

Nota tertiò: Si entitates aliquæ v. g. cortices nucum; ungues &c. etiam voluntariè deglutirentur, quæ nequaquam rationem cibi, vel potûs habent, nec isto fine assumerentur; non solvitur jejunium naturale: sicut nec solvitur per distillationem casualem Sanguinis, aut alterius humoris capitalis in stomachum.

5\. *Terra medicinalis sumpta violat jejunium naturale.*

Violatur tamen in probabili sententia hoc jejunium naturale, per assumptionem terræ medicinalis, & Sanguinis, qui sponte fugitur è digito vulnerato, & deglutitur. Ita plures TT: Recentiores.

Nota quartò: à Conclusione excipi sequentes casus; in quibus in communicante non requiritur jejunium naturale.

6\. *Redactus ad punctum mortis non jejunus potest communicare.*

Primus Casus est: Si infirmus aliquis sit constitutus in articulo mortis, potest communicare non jejunus. Ratio est; quia tunc urget præceptum communicandi, cui cedere debet aliud de jejunio naturali; docet hoc praxis Ecclesiæ & Concilium Constantiense Sess: 13. unde non tenetur infirmus cum notabili damno v. g. privando se medicinâ, differre Communionem in sequentem diem, ut tunc possit

jejunus

jejunus communicare. Quod etiam de suppliciò afficiendis procedit; si non possit executio differri.

8. Infirmus frequentiùs mutato statu potest non jejunus communicare.

Sed dubitatur, an infirmus sæpiùs possit in eadem infirmitate, non jejunus Communicare? Resp. si mutetur status morbi, ita ut prius periculum mortis, in quo communicavit, evaserit moraliter; poterit in altero periculo superveniente, etsi postridie, iterum communicare non jejunus. Ratio est; quia tunc censeri potest periclitari velut ex alio morbo. Ita DD:

9. Imò stante eodem statu infirmitatis.

Imò etsi sit idem status morbi, valdè probabile est, & tutum in praxi, posse infirmum durante periculo mortis sæpiùs communicare non jejunum v. g. post octo, vel decem dies; imò juxta alios citiùs, & sæpiùs; præsertim quando infirmus est assuetus frequentiùs communicare, ita Recentiores.

10. Sumi potest Eucharistia à nō jejuno, quando imminet irreverentia.

Secundus casus est; quando hoc postulat reverentia Sacramenti; ut si sit periculum irrogandæ irreverentiæ ab Infidelibus, Hæreticis, Animalibus.

11. Et quando occurrit necessitas perficiendi Missam.

Tertius casus est; quando occurrit necessitas perficiendi sacrificium; ut primò; si Sacerdos sumpto calice advertat esse aquam, debet iterum Consecrare vinum, & sumere. Hic nota; Sacerdotem, dum sumit calicem, & gustat aquam, non debere exspuere, quod jam habet in ore. Secundò si factà Consecratione recordetur Sacerdos, se non esse jejunum: si autem ante Consecrationem recordetur, & privatim celebret; sineque infamia & scandalo possit cessare, docent DD: quòd debeat cessare; secùs si publicè celebret. Quod simili casu etiam locum habet in Laico, qui existens in Scamno Communicantium, recordatur se non esse jejunum. Tertiò: si post Consecrationem unius tantum speciei moriatur Consecrans, debet alius etiam non jejunus sacrificium perficere, & communicare, ut declarat Tolet: Conc:7.

12. Similiter quando remanent particulæ suæ hostiæ; & sit apud altare Sacerdos.

Quartus casus est: si Sacerdos sumptà ablutione, quàm diu est in Altari, advertat aliquas Particulas suæ primariæ Hostiæ, vel etiam aliarum à se tunc Consecratarum, potest eas sumere. Ratio est; quia sumptio illarum spectat ad complementum illius ejusdem sacrificii, & constat cum aliis moraliter unam actionem Sacramentalem, in cujus initio servatum est jejunium naturale: Neque enim est necesse, nec possibile, ut Sacerdos omnes omninò species sumat, antequam degustet alium potum: quia ante primam ablutionem, non potest ultimam guttam Sanguinis ex calice haurire, nec in sumenda ablutione facere, ut restantes guttæ Sanguinis priùs deglutiantur, quàm vinum. Unde improbanda est anxia quorundam in elambenda quasi ultima Sanguinis gutta cum nausea adstantium, sollicitudo; quibus potiùs curæ esse deberet honestas in evacuando Calice; cùm longè minùs referat, quòd paulò plures fortassè Sanguinis guttæ remanentes, ablutionis vino misceantur.

13. Secùs si ampliùs non sit.

Dixi *quamdiu est in Altari*; quia quando jam recessit ab altari censetur ministerium suum explevisse, & consequenter non potest hoc titulo sumere Eucharisticas illas particulas; sed debet se gerere, sicut alii non sacrificantes.

14. Particulæ remanentes quandoq; debent sumi, quandoq; non.

Dixi etiam *particulas suæ principalis hostiæ, vel aliarum*; nam Reliquiæ alio tempore Consecratæ, cùm non spectent ad complementum hujus sacrificii, debent asservari, si commodè fieri potest, secundùm DD: communiter: si autem commodè hoc fieri nequit, utpote, quia non celebrabitur alia Missa, debent ob reverentiam Sacramenti sumi, etiam extra altare; quemadmodùm quoque inventæ reliquiæ, de quibus dubitatur, an sint Consecratæ, possunt sumi post sumptionem Calicis, vel post ablutionem.

15. Quid faciendum purganti Ciborium.

Ex his patet: quòd dum Ciborium est purgandum, particulæ sunt sumendæ antè ablutionem, quantùm fieri potest: quæ autem ob parvitatem aliàs non possunt ante sumi, possunt sumi cum vino, aut aqua missa in Ciborium.

16. Polluti & menstruata possunt communicare stantibus certis circumstantiis.

Nota quintò: licèt olim fuisset præceptum aliquod, ut opinatur Vasq: ut polluti; & fœminæ tempore menstruorum; & qui habuissent copulam conjugalem abstinerent certo tempore à Communione; illud tamen ampliùs non vigere fatentur DD: Ex condecenti tamen meliùs est, abstinere à sacro hoc convivio illo die, quo culpabilis præcessit pollutio; etsi per Confessionem esset deleta: maximè quando relinquit alterationes corporis, distractiones animi, & hebetudinem mentis. Quòd si tamen rationabilis causa suaderet, posset licitè communicare; modò pro viribus voluntas illis motibus, & distractionibus repugnet. Unde conjugibus sequenti die communicaturis dissuadenda est petitio debiti; nisi rationabilis causa, præter Voluptatem intercedat: In his omnibus standum est prudenti judicio Confessarii, qui secundùm reverentiam tanto Sacramento debitam, & animarum profectum judicare debet.

QUÆSTIO XXXVIII.

Quæ Dispositiones ex parte Animæ debeant esse in Communicante.

1. Communicaturus debet præmittere Confessionem si in mortali existat.

DICO primò: Communicans debet se priùs ponere in statum gratiæ per confessionem Sacramentalem; si conscius sibi sit peccati lethalis. Ita communis Doctorum.

Probatur ex Tridentino Sess: 13. c. 7. dicente: *Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum; probet autem seipsum homo: Ecclesiastica autem Consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absq; præmissa Sacramentali Confessione ad S. Eucharistiam accedere debeat*: ergo &c.

2. Quod & PP. docent.

Probatur secundò ex PP: signanter Clem: Rom: lib: 7. Constit: Apostol: cap: 27. *Si quis sanctus est, accedat; si quis non est; curet, ut fiat per Pœnitentiam*: ergo &c.

Probatur tertiò Ratione: Sacramentum Eucharistiæ est Sacramentum vivorum: ergo supponit vitam animæ; sed vita animæ est gratia: ergo &c.

3. Quandoq; sufficit præmittere contritionem.

DICO secundò: Tempore necessitatis, si copia Confessoris haberi nequit, sufficit Communicaturo, se ponere in statum gratiæ per solam contritionem. Est plurium Doctorum.

Probatur ex consuetudine Ecclesiæ; & piorum, ac Doctissimorum Virorum: qui in casu Conclusionis tantùm conteruntur, & communicant: nec in hoc ab Ecclesia reprehenduntur. Videtur tandem esse mens ipsiusmet Concilii Trident: cit: ergo &c.

4. Specificantur casus in quibus sufficit contritio communicaturo.

Nota autem necessitatem realem communicandi cum contritione sola esse: primò, in articulo mortis, quando quis aliàs esset discessurus sinè viatico. Secundò: quando Sacerdos tenetur ex officio celebrare; nec potest hoc facere per alium. Similiter quando opus est, celebratione ad Consecrandum hostiam pro Communione moribundi; Sive Sacerdos teneatur ex officio: sive non. Tertiò: quando sinè scandalo, aut infamia celebratio, aut Communio non potest omitti: ut si Sacerdos incepisset se publicè vestire; vel si Laicus jam accessisset ad Scamnum Communicantium, nec posset absque nota recedere; secùs est; si detur tantùm occasio alicujus admirationis. Simile est, quod docet hìc Scotus d. 9. dicens: quando in aliqua Religione, vel Ecclesia est consuetudo, ut omnes pariter publicè communicent; tunc si quis, dum debet communicare, non habeat idoneum Confessarium ad manum (quòd sæpè in Monialibus inclusis contingere potest) potest communicare; etiamsi occurerat peccatum mortale, de quo tamen vel sit indirectè absolutus, vel contritus.

5. Ob devotionem tantùm non licèt communicare cum sola contritione.

Nota secundò: Quòd si non sit aliqua necessitas similis in his casibus expressa; sed tantùm singularis devotio ad communicandum v. g. ad lucrandas Indulgentias, honorandum Sanctum, cujus festum celebratur; non est licitum Communicare sinè prævia Confessione. Ratio est: quia Trid: requirit necessitatem: & meritò: quia obligatio Juris, præsertim Divini; ut hic putatur esse probabiliter, vel saltem præcepti Apostolici tam notabilis, non tam facilè cessat. Ex quo

6. Neque ut impleatur annua Communio.

Infers primò: Quòd conscio peccati mortalis, verisimiliùs non sit licitum celebrare, aut communicare sinè prævia Confessione etiam ad præceptum annuæ Communionis implendum: Talis enim nullam patitur necessitatem; cùm obligatio annuæ Communionis cesset, ob concursum præcepti Divini incompossibilis. Ita Præpos: Suar: &c.

7. Nec ut audiatur Missa.

Inferes secundò: Ob eandem rationem non posse talem Sacerdotem celebrare (nisi ratione Officii obligetur) ut ipse, aut alius audiat Sacrum die festo.

8. Quando censeatur non adesse copia Confessoris.

Nota tertiò: tunc censeri non adesse copiam Confessarii: primò, quandò absolutè non adest Confessarius. Secundò: quando nullus adest, cui posset pœnitens confiteri, sinè interprete. Tertiò: quando non potest confiteri Confessario præsenti, sinè gravi periculo infamiæ, damni, pertractionis ad peccatum, revelationis peccati Confessi &c. tunc enim si aliquid horum habeat locum respectu unius, vel alterius, teuetur illis omissis confiteri cætera, respectu quorum non censetur Confessarius deesse: Si autem aliquid horum habeat locum respectu omnium mortalium, censetur absolutè deesse Confessarius. Ita communiter Doctores.

9. Qua distantia Confessoris excusat à Confessione.

Quantùm verò debeat Confessarius distare, ut censeatur abesse; non potest certâ Regulâ definiri: sed pendet à prudenti judicio. Generatim hoc solùm dici potest; eum censeri abesse; quando ob infirmitatem, difficultatem itineris, brevitatem temporis, præsentiam aliorum, urgentia negotia &c. Sinè gravi incommodo, hìc & nunc adiri non potest.

Nota

10. *Communicans ſinè pravia Confeſſione quid ſecundùm Trid: facere ſit obligatus.*

Nota quartò: Trident: cit: ſubjungere pro Sacerdotibus, circa hoc punctum, in caſu abſentiæ Confeſſarii ſequentia. *Quòd ſi neceſſitate urgente Sacerdos absque pravia Confeſſione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Ubi rigidum ponit præceptum; non verò conſilium; prout putarunt aliqui. Patet hoc ex ſenſu Eccleſiæ communi: & noviſſimè ex determinatione Alexandri VII. qui inter 45. Propoſitiones à ſe prohibitas, anno 1665. & anno 1666. etiam poſuit ſequentem 38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate, cum peccato mortali confitendi quàmprimùm; Conſilium eſt; non præceptum.*

11. *Ly quàm primùm Trid: explicatur.*

Nota quintò: illam particulam, *quamprimùm* nonnullos Theologos intellexiſſe, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur, etſi poſt menſem: hoc etiam idem Alexander propoſitione 39. prohibuit, tanquam erroneum. Alii Theologi, ut rigoroſiſſimè explicarent ly *quamprimùm*, dixerunt hoc eſſe intelligendum immediatè poſt Miſſæ celebrationem. Verùm cum communiori arbitror, ly *quamprimùm* non eſſe tam rigoroſè explicandum: nec etiam tam laxè: ſed medio quodam ſenſu; ita ut licèt intercederet dies una, vel altera, usque ad Confeſſionem; adhuc adimpleretur præfatum præceptum. Ita Herinx.

QUÆSTIO XXXIX.

Quinam poſſint ſumere Euchariſtiam?

1. *Infantes modo non communicantur.*

NOta primò: licèt olim in Eccleſia fuerit conſuetudo communicandi etiam infantes, ut teſtatur Trident: Seſſ: 21. c. 4. tamen poſtea ubique ſublata eſt. Nunc ſervanda eſt conſtitutio, quæ habetur in Can: *Omnis utriusque ſexûs*, extra *de Pœnitentia & remiſſ:* de quo fusè ſupra quæſt: 31. hujus Diſt:

2. *Pueri tamen Communionem petentes ſunt communicandi in articulo mortis.*

Nota ſecundò: Pueris non eſſe denegandam Euchariſtiam in articulo mortis; ſi illam petant. Colligitur ex cap: pen: 26. q. 6. dicente: *Cui Sacramentum pœnitentiæ conceditur* (prout pueris concedi poteſt, etiam ante perfectum uſum rationis) *neque Euchariſtia Sacramentum negari debet; ſi deſideret.*

3. *S. Synaxis non eſt porrigẽda amentibus*

Nota tertiò: Eis, qui ab infantia perpetuò amentes fuerunt, Euchariſtia non eſt danda. Ratio eſt: quia eadem ipſorum ratio eſt, quæ infantium: Ita S. Thom: 3. p. q. 80. Henri: Scotus, &c. His verò qui poſt rationis uſum in amentiam inciderunt; ſi antè petierunt Euchariſtiam, danda eſt in articulo mortis tantùm; modò non ſubſit ſuſpicio aliqua peccati mortalis; aut periculum vomitûs; vel irreverentiæ: Habetur in Concilio Arauſicano I. Can: 3 Carthag: 4. Can: 75.

4. *Benè tamen ſemifatuis.*

Semifatui; qui debilem; & imperfectum rationis uſum habent; ſunt admittendi ad S. Euchariſtiam. Ita S. Thom: 3. p. q. 80. art: 9. licèt rariùs, quàm alii; ſecundùm prudentis Confeſſorii judicium; ad minimum in Paſchate; dummodò eum uſum rationis habeant; ut ſciant inter cibum profanum, & ſpiritualem diſcernere.

5. *Etiam mutis & ſurdis.*

Nota quartò: Mutus & ſurdus à nativitate, Sacramentum Pœnitentiæ per nutus, ac ſigna accipere poteſt; ut tradit ex communi Doctorum Sanchez Toletus &c. ac proinde etiam Euchariſtiam cum aliis Sacramentis; dummodò ſigna talia det, quæ ab aliis communiter fieri ſolent in digna ſumptione Euchariſtiæ; v. g. quòd cum reverentia S. Hoſtiam adoret, cum devotione ſumat tanquam cibum non profanum; ſed ſpiritualem. Item quòd cum dolore ac gemitu ad Confeſſarium accedat: ita Doctores apud Laym: tract: 4. de S. Euchariſtia.

6. *Energumenis pariter*

Nota quintò: Energumenis, ſeu obſeſſis à malo Spiritu S. Euchariſtia danda eſt; dummodò ſinè irreverentia Sacramenti communicari poſſint: Ita Conc: Arauſ: c. 14. S. Thom: Soto &c. Ratio eſt: quia aliàs magìs ac magìs inimicus inſultaret Energumeno, ſi eum à cœleſti medicina videret ſegregatum; inquit Caſſian: collat: 7. c. 30.

7. *Inſtructio Sacerdotis volentis communicare indæmoniatos.*

Si dæmon fortaſſè perſonam obſeſſam vexaret, dum ante altare genuflexa S. Euchariſtiam eſt ſumptura; tunc Sacerdos recordetur ſe Exorciſtatûs ordine eſſe inſignitum; idcircò moneat obſeſſam, ut credat, ſe ut Miniſtrum Chriſti, & Eccleſiæ habere poteſtatem, ſuper dæmones: ſic immediatè contra dæmonem magnâ audaciâ, ac fiduciâ in DEUM erectus dicat; *Ego Sacerdos ut Miniſter Chriſti & Eccleſiæ, in nomine JESU præcipio tibi dæmon, ne impedias hanc creaturam, quin liberè humiliter, ac devotè ſumere, ac in ſtomachum recipere valeat S. Euchariſtiam, quam modò illi ſum adminiſtraturus.* Ita inſtruit Candidus Brugnoli Tract: 9. cap: 11.

8. *Publici peccatores rejiciendi ſunt à S. Menſa Domini.*

Nota ſextò: Peccatori publico ſeu notorio, facti, aut juris notitiâ, tali tam publicè, quàm privatim S. Euchariſtia eſt neganda. Definitur in Can: *pro dilectione, de Conſecrat:* diſt: 2. Ratio eſt; quia ex una parte publicus peccator neque re ipsâ,

neque externa specie jus habet, S. Eucharistiam petendi: ex altera parte ad Sacerdotis Officium spectat; ut sit dispensator Fidelis; & Sanctum non det canibus, Matth: 7. ita sentit S. Cyprian: Aug: & Chrys: hom: 83.

9. Quod censeatur verè notorium crimen.

Crimen autem fit notorium tribus modis: primò per Confessionem rei in judicio. Secundò per sententiam condemnatoriam in eundem latam; quæ duo dicuntur notoria juris. Tertiò, Notitiâ facti; si crimen palàm commissum, nullâ tergiversatione celari, aut excusari possit; sicut docet Abbas, & alii Canonistæ, in c. *vestra de cohabit: Clericorum & Mulierum.* Hinc si quis domi habeat Concubinam, majori parte Parochianorum hoc cognoscente, repellendus est à Communione.

10. Quid faciendum cum emendato, cujus tamen crimen adhuc putatur vigere?

Nota septimò: Quamvis Sacerdos privatâ notitiâ sciat peccatorem esse emendatum; si tamen emendatio publicè sit ignota; & criminis infamia perseveret; neganda est ei Eucharistia, ob causam Scandali vitandi; quod tamen Scandalum interdum tolli potest; si pœnitens post Sacramentalem absolutionem, in privata Capella communicetur; aut si Sacerdos cum licentia pœnitentis, adstantibus significet, hominem emendatum & absolutum esse. Propter etiam publica, & vehementia criminis indicia, quæ violentam præsumptionem inducunt, S. Eucharistiam negandam esse docent Richar: Palud: & Henriq:

11. Privato peccatori publicè petenti Communionem, non est deneganda.

Nota octavò: Quando peccator non est publicus; sed infamatus, sive suspectus; si publicè petat, se aliis communicantibus ingerens, non est illi Eucharistia neganda. Ita habetur in cap: *si Sacerdos, de officio judicis Ordinarii*; ubi legitur nullum esse nominatim arguendum, & increpandum; neque à Communione removendum; nisi judiciario ordine possit probari, uno ex tribus modis post notabile 6. expressis.

12. Non item occultè petenti.

Peccatori autem occulto, occultè S. Eucharistiam petenti, neganda est: sumitur ex cap: *si tantùm* 2. q 6. Ratio est; quia talis peccator nullo jure petit Eucharistiam; suppono enim, quòd neque infamiam incurrat ex denegatione; neque populi Scandalum; aut simile grave incommodum sequatur. Ita Scotus 4. cum communi Theologorum.

13. Publicus peccator alio translatus potest Communicari.

Nota nonò: Peccator publicus & notorius in una Regione, si se transferat in aliam; ubi crimina ejus sunt occulta, à Communione non est repellendus. Ita A. len: S. Thom: S. Bonav. Ratio est; quia ibi nullla est causa Scandali; imò si publicè repelleretur; Sequeretur gravis infamia. Deinde publicus in uno loco, non est publicus in altero: sed occultus: ergo &c.

14. Communio non debet porrigi ad purgandum miraculosè crimen.

Nota decimò: Nullo modo licet alicui Eucharistiam ministrare, ut ejus crimen miraculosè detegatur; vel innocentia ostendatur. Ita definitur in Can: *consuluisti* 2. q.4. Unde Canon, *si Episcopo* 3. q.4. ubi tale genus purgandi crimen permittitur; abrogatus est à S. Stephano Papa in Can: cit: *Consuluisti*.

15. Supplicio afficiendi possunt refici S. Synaxi.

Nota undecimò: Christianis ad mortem damnatis, danda est Eucharistia. Habetur in *Clement:* 1. & Gloss: *de Penit: & remiss:* verb: *Pænitentia*. Quod intelligendum est; si in judicio crimina confessi fuerint: nam si publicè negent; tanquam suspectis de falsitate, non est danda Eucharistia.

QUÆSTIO XL.

Quis sit Minister Eucharistiæ?

IN hac quæstione iterum confutandus est Lutherus, qui dogmatizavit, quemvis Laicum posse Consecrare, & Eucharistiam administrare: imò libro *de Missa privata, & Unctione Sacerdotum*, dicit fore verum Sacramentum, quamvis à diabolo conficeretur: sed

DICO primò: Solus Sacerdos potest validè, & ritè Consecrare, & administrare Sacramentum Eucharistiæ.

1. Solus Sacerdos est Minister Eucharistiæ conficiendæ.

Probatur primò: ex diversis Ecclesiæ decisionibus; maximè ex Conc: Nicæno 1. Can: 14. ex Lateran: Florent: & Trid: Sess: 22. Can: 2.

2. SS: PP: ad idem.

Probatur secundò: ex plurimis SS: PP: qui mirificè extollunt Sacerdotium, ob connexam vim Consecrativam; & Angelis eos æquiparant: Sic loquitur Chrys: Ambros: Nazian: Hieron: &c.

3. Et praxis Ecclesiæ ac traditio.

Probatur tertiò: ex perpetuo Ecclesiæ usu, & traditione; omniumque sæculorum Orthodoxorum consensu. Et ratio petitur ex Christi ordinatione, qua scimus Luc. 22. solis Sacerdotibus dictum fuisse: *Hoc facite in meam commemorationem.*

4. Quiscumque verus Sacerdos validè conficit Eucharistiam.

Nota autem primò: non referre ad validam Eucharistiæ Consecrationem, tametsi Minister sit censurâ Ecclesiasticâ innodatus; vel pœnâ Canonicâ degradatus, vel Schismate notatus: & ratio est; quia in hujusmodi Ministris manet character, & consequenter intrinseca potestas verè consecrandi.

5. Potestas confectiva

DICO secundò: Sacerdotibus jure Divino convenit potestas conficiendi, & dispensandi Eucharistiam. Est communis.

Pro-

Euchari-stia Jure Divino Sacerdotibus convenit.

Probatur ex dictis Christi in ultima Cœna; qui solis Apostolis, & eorum successoribus Sacerdotibus, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Unde canit Ecclesia: *Cujus officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent cæteris*: ergo &c.

6. *Olim Diaconus dispensabat Eucharistiam.*

Nota tamen: potestatem dispensandi Eucharistiam posse delegari Diaconis: & hoc olim fuisse valdè usitatum; uti refert Clemens Rom: *constitut:* 8. c. 28. S. Cyprian: & patet ex dicto S. Laurentii ad S. Sixtum Papam; *Cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.*

7. *Modò hæc praxis cessavit.*

Nota præterea: hanc consuetudinem delegandi dispensationem Eucharistiæ Diaconis, modò esse quasi extinctam, ob pluralitatem Sacerdotum: nec proinde facilè erit practicanda; nisi gravis ratio urgeat; puta, infirmitas Sacerdotis, & obligatio pœnitentium, ut Communionem Paschalem perficiant; aut Viaticum sumere teneantur.

8. *Sacerdos quandoq; seipsum extra Missam potest communicare.*

Nota quartò: Sacerdos occurrente gravi necessitate, & in absentia Sacerdotis alterius potest sibi ipsi porrigere Eucharistiam extra Missam. Ratio est: quia nusquam reperitur hoc vetitum ab Ecclesia; ergo &c.

9. *Ob rationabile motivũ pars majoris hostiæ dari potest communicaturo.*

Nota quintò: in defectu Hostiæ minoris, ob causam gravem, posse Sacerdotem sacrificantem, volenti communicare, dare fragmentum Hostiæ grandioris. Ratio est: quia hujusmodi avulsio partis non tollit integritatem sacrificii: Imò olim vigebat hujusmodi usus in Ecclesia, ut recensent AA: Modò tamen hujusmodi usus in desuetudinem abiit: Tamen si adhuc hoc practicaretur, arbitrantur DD: Sylv: Bona Henriq: &c. non committi mortale.

10. *In necessitate quis possit esse Minister dispensanda Eucharistia.*

Nota sextò: quòd in necessitate, vel neglectu manifesto proprii Parochi, quivis Sacerdos etiam Regularis, imò & Diaconus possit esse Minister Eucharistiæ dispensandæ; uti habet Tolet: Miran: Suar: Rodriq: &c.

QUÆSTIO XLI.

De Privilegiis Regularium in Eucharistia administranda?

1. *Prohibitio Regularium circa administrationem Euchari-stiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii.*

DICO primò: Regulares omnes prohibentur sub pœna Excommunicationis ipsò factò, cujus absolutio est Papæ reservata, sinè licentia Parochorum, ipsorum subditis administrare S. Eucharistiam in die Paschæ; & quando datur pro Viatico in articulo mortis constitutis: & extremam Unctionem; excepto casu articuli mortis; vel quò non posset, vel nollet proprius Parochus communicare agonizantem: sicut & Matrimonia solemniter sinè prædicta licentia benedicere prohibentur.

Probatur; quia ita decernitur in Clem: I. *Religiosi; de Privileg:* Et Paulus III. idem docet.

2. *Quid possit Novicius circa Paschalem Communionem.*

Novitius tamen Sacerdos potest, etiam in die Paschatis, in Ecclesia Regularium Eucharistiam administrare absque periculo incurrendi hanc Excommunicationem. Ratio est: quia hæc Excommunicatio afficit solos Sacerdotes Regulares professos, sive per tria vota solemnia; sive simplicia, ut habet Suar: tom: 3. part: 2. Quia cùm pœnalis sit, restringenda potiùs est, quàm amplianda: non tamen esset sinè peccato; cùm sit contra intentionem Papæ.

3. *Certæ conditiones debent adesse, ut Regularis administrans Sacramenta excommunicetur.*

Nota autem: ad incurrendam prædictam Excommunicationem necesse esse, quòd Eucharistia ministretur cum præsumptione: nam qui ex ignorantia id facit, putans sibi licere; vel ex ratihabitione; sive fit de præsenti, sive de futuro ipsius Parochi (prout jam plerumque contingit in Germania, ubi Parochi ratihabent Confessiones, & Communiones Paschales, factas apud Regulares, dummodò Schedam exhibeant) non incurrit. Comprehendit hæc Censura Regulares Religiosos, qui ministrant Eucharistiam Clericis sæcularibus, aut Laicis: non verò eos, qui eam administrant Religiosis sinè Prælatorum facultate. Ita Cajet: in summa verbo *Excommunicatio c. 64.* Sotus, Brugnoli: &c.

4. *Quid per diem Paschæ Papa intelligant?*

Nota secundò: quando in Bullis Pontificum accipitur dies Paschæ, vel Resurrectionis Domini; Hoc ita intelligunt Rodriq: Suar: Vasq: Bonac: Lugo d. 18. Sect. 2. & alii communiter, contra Navar: non quòd non liceat Mendicantibus, vel Religiosis aliis administrare Eucharistiam ipsò die materiali Paschæ, sive Resurrectionis Domini, modò Fideles aliò die in sua Parochia communicent ad satisfaciendum Præcepto Communionis Paschalis; sed solùm non licet Regularibus administrare Communionem illa die, quâ Fideles satisfaciant Præcepto, præcipienti Communionem Paschali tempore perficiendam. Ratio est; quia Pontifices tantùm voluerunt consulere præcepto Communionis Paschalis, & juri Parochorum; ut videlicet quilibet annò quisque semel Communionem à proprio Sacerdote recipiat, juxta cap: *Omnes utriusque sexûs*; præcepto autem isti, vel juri nil præjudicatur, porrigendo in

die Paschæ Communionem non impletivam Præcepti.

5. Regularis non tenetur repellere Communicantes in eorum Ecclesiis die Paschæ, si allegent licentiam Parochi.

Nota tertiò: Si quis accedat communicandus ad Ecclesias Regularium in die Paschatis, vel Paschali tempore dicens, se facultatem habere communicandi ubicunque voluerit à suo Parocho; licet istam licentiam non habeat in scriptis, potest Regularis illi credere, & eum communicare. Ratio est: quia non est præsumendus quis tam immemor suæ salutis, ut tantum scelus velit, absque necessitate præsertim perpetrare. Ita Navar: in summa c.27. p. 102. de Grafiis &c.

6. Omni tempore, Paschali excepto, possunt Regulares communicare omnes Fideles in suis Ecclesiis.

DICO secundò: Regulares habent privilegia, quòd sine licentia Parochi omnibus Christi Fidelibus in suis templis, per se, vel alios Sacerdotes, omni tempore, præterquam Paschali die; modò jam supra explicato, S. Eucharistiam possint administrare.

Probatur: quia tale Privilegium eis concessit Nicol: V. Sixtus IV. Leo X. ut videri potest apud Casarub; verbo *communicare* n.4. Sect: 9.

7. Imò tempore Paschali certas personas possunt communicare.

Nota: quòd virtute horum Privilegiorum possint Regulares in suis Ecclesiis peregrinis, transeuntibus, curialibus, & mercatoribus advenis S. Eucharistiam ministrare; etiam in Communione Paschali, pro implendo Paschali Præcepto. Ratio est: quia in his cessat ratio, propter quam à Pontificibus facta est illa exceptio diei Paschatis. Ita Henriq: lib: 8. de Eucharistia cap: 55. n. 1. Rodriq: tom: 1. Reg: quæst: q. 56.

8. Privilegiū Regulariū circa Communionē dandam in privatis Capellis.

DICO tertiò: Iidem Regulares possunt in Capellis privatis, servatis servandis, celebrare, & ibidem infirmis Eucharistiam porrigere, etiam pro Viatico. Ita Suar: tom: 4. de Relig: tract: 3. lib: 9. c. 3. Rodriq: tom: 2. quæst: Reg: q. 67. Excipitur tamen Communio Paschalis.

Probatur breviter ex Privilegio Pauli V. dato Regularibus per Constit: *cùm sicut exponi.*

9. Privilegiū Regularium circa Viaticum.

DICO quartò: Regulares sæcularibus in suis Conventibus hospitantibus, ibique infirmantibus, Eucharistiam etiam pro Viatico ministrare possunt, absque Episcopi, vel Parochi licentia. Probatur: quia cùm possint Regulares in suis Ecclesiis tutò peregrinis Eucharistiam ministrare, etiam in Communione Paschali, pro implendo Præcepto; à fortiori idem poterunt præstare hospitibus & peregrinis infirmantibus in suis Monasteriis: nam nomine Ecclesiarum veniunt Religiosorum Monasteria. Eâdem ratione possunt eis dare Extremam unctionem. Extant etiam pro hac re Privilegia Pii IV. & Pii V.

10. Privilegiū Regulariū circa tumulationem hospitum.

DICO quintò: Regulares possunt eorumdem hospitum, in eorum Conventibus mortuorum, cadavera sepelire sinè licentia Parochi.

Probatur: quia concesso majori, scilicet Sacramentorum administratione, censetur etiam concessum esse minus, cap: 77. *de Decimis*. Deinde Monasteria sunt exempta ab Episcopi jurisdictione, & æquiparantur locis extra Diœcesim; licèt enim materialiter non sint extra Diœcesim; sunt tamen extra formaliter; unde sicut, si recederent in aliquo loco, extra Diœcesim, nullam haberet Episcopus, vel Parochus loci, ubi Monasterium Regularium existit, jurisdictionem; ita cùm decedunt in locis Regularium exemptis. Ita Rodriq: cit: de Graffiis, Reginal: Peyrin: &c.

11. Regularis non facilè fit excommunicatus, ob ministratam Commun: Paschalē.

Nota deinde: non facilè judicandum cum Regularem incurrisse Excommunicationem Clement: cit: in principio quæst: qui tempore Paschali Paschalem Communionem daret alieni Parochiano vel Viaticum. Quia non desunt AA: qui dicunt Regulares circa punctum hoc habere speciale Privilegium, quod derogat Clementinæ: Fundantque se primò; in Bulla Nicolai V. quâ concessit Conventui S. Hieronymi de Guadalupe in Hispania Anno 1458. ministrationem Communionis Paschalis omnibus Christi Fidelibus. Secundò; in concessione Julii II. facta Fratribus Minimis, in qua habetur; quòd sinè timore Excommunicationis, etiam in Paschate possint omnibus indifferenter ministrare Eucharistiam, sed in suis tantùm Ecclesiis: quod postea Paulus III. confirmavit, non obstantibus quibuscunque in contrarium, anno 10. sui Papatûs 13. Kal: Februarii, ut testatur Cardinalis Pœnitentiarius tunc Apostolicus. Et licèt illud Privilegium sit tantùm concessum primò uni Conventui S. Hieronymi, tamen Pius IV. & V. communicarunt omnia Privilegia illius Monasterii toti Ordini, etsi in aliis Monasteriis non militarent similes rationes, & causæ. Videatur Comp: Privileg: Cum Ordine autem S. Hieronymi, & FF: Minorum Communicant in Privilegiis etiam alii Mendicantes; & vel maximè nos Franciscani per diversas Bullas. Standum tamen

judico

judico praxi, & consuetudini modernæ, ac contrariæ sententiæ, utpote receptissimæ; ut paci consulatur; & quia absque hoc communiter jam Parochi dant facultatem, vel dissimulant, ut Communio Paschalis fiat in Ecclesiis Regularium.

DISTINCTIO V.
DE
SACRIFICIO MISSÆ.
PROOEMIUM.

Duo relucent in SS: Eucharistia, ratio nimirum Sacramenti, & ratio Sacrificii: in superioribus actum est de Eucharistia, sub ratione Sacramenti; nunc de eadem, ut habet rationem Sacrificii rectô ordine erit tractandum: quod quidem Sacrificium in Lege Evangelica unicum est, & singularissimum; omnium veterum oblationum, hostiarum, immolationum, & quorumcunque in figura ordinatorum Sacrificiorum expletivum, ac consummativum. Circa hoc itaque sit.

QUÆSTIO I.
Quid sit Sacrificium ut sic, & quæ ejus Divisiones?

Sacrificium in Scriptura dupliciter sumitur: primò latè, pro quolibet opere bono: *Sic* dicitur Psal: 4. *Sacrificate sacrificium justitiæ.* Secundò strictè, pro certo actu Religionis, specialiter exhibito in honorem DEI, & de hoc agimus hic. Unde

1. *Definitur Sacrificium in communi.* DICO primò: Sacrificium propriè dictum benè describitur; quòd *sit actus externus Religionis, & oblatio rei cum sui immutatione facta in ordine ad DEUM immediatè, significans DEI excellentiam ac, supremum dominum, cum subjectione sacrificantis ad ipsum.*

2. *Explicatur Definitio.* Probatur eam explicando: dicitur *Actus Religionis*; in quo, tanquam genere convenit Sacrificium cum aliis actibus religionis, quibus protestamur supremam Excellentiam, ut est adoratio, & similia. Dicitur *externus*; ad differentiam actûs interni, qui est effectus efficax colendi DEUM: Sacrificium autem est signum externum colendi DEUM. Dicitur *Oblatio rei*; ut distinguatur Sacrificium ab adoratione, quæ fit per corporis inclinationem, & nil DEO offertur in ea. Dicitur *cum sui immutatione*; ut distinguatur ab oblatione simplici rei facta immediatè DEO, ut quando quis offert seipsum, & orationes suas DEO; in qua oblatione nil immutatur, occidendo, vel comburendo, vel manducando, ut fiebat in Sacrificiis Legis Veteris, prout debet fieri in Sacrificio, quò protestamur DEUM esse Authorem vitæ, & mortis, qui potest omnia immutare. Per reliquas particulas exprimitur significatio Sacrificii in ordine ad terminum, qui est DEUS, & distinguitur ab oblatione facta DEO mediatè, ut à Primitiis, Decimis &c.

3. *Sacrificii Legis Naturæ, Legis Veteris & Novæ.* Sacrificium prout dividitur secundùm statum, & legem, aliud est Sacrificium Legis Naturæ; aliud Veteris; aliud Novæ. Sacrificium *Legis Naturæ* non habebat aliquem effectum aliquem, nisi ex opere operantis ratione fidei, quâ erat impetratorium, vel satisfactorium DEO. Sacrificia Legalia *Veteris Legis* addunt; quòd tollebant irregularitatem, seu immunditias legales. Sacrificium *Novæ Legis* habet proprium effectum, de quo infra.

4. *Quid victima, Immolatio, & Libamina?* Dividitur secundò: Sacrificium ex parte materiæ, seu rei oblatæ tripliciter: primò offerebantur animalia viventia; quæ *Victimæ*, & *Hostia* dicebantur; vel quia pro victoria ab hostibus impetranda; vel in gratiarum actionem de jam parta,

 offere-

offerebantur. Secundò offerebantur Sacrificia de fructibus terræ, & hæc dicebantur *Immolationes*, à mola, seu molito farre, quod dicebatur far tostum, & sale sparsum, quô molitô hostiæ aspergebantur. Tertiò offerebantur liquores, ut vinum, & hujusmodi, quæ dicebantur *Libamina*.

5. *Quid Holocaustum, & Hostia Pacifica.*

Dividitur tertiò: ratione formæ, ac finis; & est similiter triplex: interdum tota res oblata consummebatur igne; & hoc vocabatur *Holocaustum*, id est: *ascendens*; quasi ascenderet in odorem Domino. Secundò; Sacrificium partim igne consumebatur; partim cedebat in usum, & cibum Sacerdotum, quem vel in templo, vel in atrio commedebant: & dicebatur *Hostia*. Tertiò; partim igne absumebatur; partim Sacerdotibus; partim offerentibus dabatur; & vocabatur, *Hostia Pacifica*.

6. *Quid Cruentum, & Incruentum Sacrificium.*

Quartò dividitur: in Cruentum, & Incruentum: primùm fit cum Sanguine; alterum sine Sanguine.

Quintò in Latreuticum; Eucharisticum; Impetratorium; & Propitiatorium.

7. *Quid Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium, & Propitiatorium.*

Latreuticum habetur; quando offertur totum ad DEUM colendum, nostramque servitutem testandam. *Eucharisticum*; quòd fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. *Impetratorium*; quòd fit pro beneficiis accipiendis; & utrumque hoc in Lege Veteri vocabatur *Hostia Pacifica*. *Propitiatorium*; offerebatur pro peccatis, & pro peccatorum pœnis, ac flagellis avertendis; & hoc coincidit cum Sacrificio pro peccatis.

QUÆSTIO II.

Utrum in Missa Catholica offeratur DEO propriè dictum Sacrificium?

1. *Derivatio Missæ.*

HÆc vox *Missa* est antiquissima apud Ambros: Aug: Cassiau: Greg: & alios PP: Conc: Rom: sub S. Sylvestro; Carthag: 4. Can: 84. ubi dicit: omnes ab Episcopo debere admitti ad Ecclesiam usque ad Missam. Et secundùm aliquos dicitur esse dictio Hebraica, eadem quod Missachi; secundùm verò alios, & veriùs, est vox Latina, deducta à *Missione*; & hoc sive, quia in ea mittuntur ad DEUM preces, & vota: sive quia olim paulò post principium mittebantur extra Ecclesiam Catechumeni: hi enim licèt essent in fide instructi; nondum tamen erant renati; & ideo non erant de Corpore Ecclesiæ; & per Consequens nec Sacris interesse debebant; sed dimittebantur: & nunc etiam in fine totus populus dimittitur, cùm dicitur, *ite Missa est*.

2. *In sensu Theologorum quid sit Missa.*

Ad Propositum nostrum: hic Missa sumitur ex usu Ecclesiæ pro collectione omnium actionum, quæ fiunt à principio Sacri Eucharistici Sacrificii, usque ad finem; in quo Corpus, & Sanguis Christi Consecratur, & offertur.

3. *Blasphemiæ Hæreticorum contra Missam.*

Nota: nusquam tam impiè os suum aperuisse in Cœlum Magistros illos omnis impietatis, Calvinum, & Lutherum; quàm dum de tremendo hoc Mysterio verba blasphemiæ effundunt, appellantes Missam Catholicam, horribile Sacrilegium; idololatriam; Sacrificii Crucis Christi abnegationem; commentum Papisticum; abominationem; exitialem voraginem; & similia. *Pestilentissimo errore* inquit Calv: lib: 4. *Instit*: c. 18. *Sathan totum pænè Orbem excæcavit; ut crederet Missam Sacrificium*. Et Luther: lib: de *abrogatione Missæ*: *profiteor imprimis adversus eos, qui clamaturi sunt, quod contra statuta PP. docuerim* (subintellige abrogationem Missæ) *nihil horum me auditurum*. Et lib: *de Missa privata*: *hic non moramur, si clamitent Papistæ, Ecclesia Ecclesia, Patres Patres* (subintellige docent in Missa offerri verum Sacrificium) *quia, ut dixi, hominum dicta, aut facta, nihil in tam magnis causis curamus; Scimus ipsos Prophetas lapsos esse, adeoq; Apostolos*.

Verùm non obstantibus his latratibus insanis Hæresiarcharum, cum Catholica veritate.

4. *Missa Cathol: est verum Sacrificium.*

DICO primò: In Missa nostra Catholica offertur à Sacerdote verum, & proprium Sacrificium. Ita Catholici.

Probatur primò ex Trid: Sess: 22. Can: 1. dicente: *Si quis dixerit, in Missa non offerri DEO verum, & proprium Sacrificium; Anathema sit*: quam veritatem cap: 2. ejusdem Sess: mirâ gravitate, & sermonis majestate fusiùs explicat. Vide loc: citatum.

5. *Quod probatur ex Christi institutione.*

Probatur secundò ex ipsa Christi institutione; quando dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ubi verbum *facite*, æquivalet verbo *Sacrificate*: sic enim Sacra Scriptura interdum loquitur, Levit: 15. v. 14. *Sumet duos turtures; dabitq; Sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum*: ergo offertur in Missa verum Sacrificium.

6. *Etiam ex SS: Patribus.*

Probatur tertiò: ex innumeris antiquissimis Patribus, veritatem hanc attestantibus: unicum ego adduco Andream Apostolum; qui Ægeæ Proconsuli suadenti, ut Diis immolaret, respondit: *Ego Omnipotenti DEO immolo quotidie, non taurorum*

carnes;

carnes; nec hircorum Sanguinem; sed immaculatum Agnum in altari: ergo Immolatio, seu Sacrificatio jam à tempore Apostolorum fuit in praxi; hæc autem fit in Missa: ergo &c.

7. *Ecclesia traditione*

Probatur quartò: ex perpetua Ecclesiæ traditione; quæ semper intellexit in Missa offerri verum Sacrificium; & hoc ipsum in pluribus CC: definitur; ut in Nicæno I. Can: 14. Toletan: I. Can: 5. Antisiodorensi cap: 8. Lateran: c. 2. Florent: &c. Confirmant hoc vetustissimæ Liturgiæ, id est Latinè Ministeria, diversarum Ecclesiarum: ut Chrysost: Basilii, S. Jacobi Apostoli; & S. Marci Evangelistæ; quæ pro Sacrificatione SS: Eucharistiæ per modum Missæ sunt ordinatæ. Accedit quòd in Canone Missæ frequenter fiat mentio *Oblationis*, *Hostiæ*, & *Sacrificii*: qui Canon saltem à tempore D. Gregorii Papæ ante annum 1000. integer extabat, ut modò legitur, & licèt usque ad tempora Gregorii aliqua verba in eo addita fuerint; adhuc etiam longè ante, & ab ipso Ecclesiæ initio majori ex parte extabat; ut in antiquissimis Græcorum Liturgiis legitur; & in Canonibus Apostolorum; & apud Clementem Papam, & Dionys: Areopagitam; qui eum ipsis Apostolis convixère: ergo ex ipsa antiquitate colligitur semper extitisse Missam, in qua verum Sacrificium offertur.

8. *Definitione Sacrificii.*

Probatur quintò ex definitione Sacrificii supra data; quæ tota convenit Sacrificio Eucharistico, in Missa oblato: invenitur enim actus Religionis; item immutatio; quia substantia panis destruitur totaliter; item Christus accipit novum ubi Sacramentale: ergo &c.

9. *Et ratione Novæ Legis.*

Sextò ex ratione Novæ Legis; in omni namque Lege, & Republica benè institnta, hæc tria semper fuerunt conjuncta, Lex, Sacrificium, & Sacerdotium; item in omni Lege, & statu hactenùs fuerunt Sacrificia, quibus homines DEUM colebant: ita ut nulla natio, etiam barbara, legatur fuisse sine aliquo Sacrificio: ergo à fortiori in Lege Nova debet esse Sacrificium verum, quo DEUS verus speciali cultu colatur: sed aliud assignari nequit; quàm Eucharistiam: ergo.

10. *Figuris.*

Septimò ex Figuris, & Prophetiis clariss, clarissimè ostenditur, Sacrificium Eucharisticum: principalis figura ejus fuit Sacrificium Melchisedech Gen: 14. confitens in oblatione panis, & vini; Unde S. Aug: 16. Civ: c. 22. loquens de oblatione Melchisedech dicit: *ibi primùm apparuit Sacrificium, quod nunc à Christianis offertur DEO, toto orbe terrarum*: & consonant reliqui Patres apud Bellarmin: lib. 1. *de Missa* c. 6.

11. *Et Prophetia.*

Prophetia ejus habetur Malachiæ 1. *Non est mihi voluntas in vobis* (supple Sacerdotibus Mosaicis, eorumque Sacrificiis) *dicit Dominus Exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usq; ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco Sacrificatur, & offertur Nomini meo oblatio munda*; utique Eucharistica, uti explicat Trident: Sess: 22. c. 1. & PP: unanimiter; ut Damas: lib: 3. *de fide* c. 14. & alii apud Controversistas.

QUÆSTIO III.

Argumenta Hæreticorum enervantur?

1. *Scriptura hic non faquandò vet Hæreticis.*

Objiciunt primò Hæretici: Christus mulieri Samaritanæ Joan: 4. v. 23: respondit: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate*; per quæ verba insinuat, omnem cultum externum, atque adeò Sacrificium in Lege Nova cessaturum: ergo &c. Respond: per hæc verba Christum tantùm voluisse; quòd cæremoniæ, carnales, apud Judæos Typicæ, apud Samaritanos verò falsitatibus permixtæ, essent cessaturæ; & nova cultûs forma, magis spiritualis, & vera, externa tamen, introducenda.

2. *Quo sensu Christus dicatur unicus Sacerdos.*

Objiciunt secundò: Christus est unicus Sacerdos, & quidem in æternum, teste Apostolo ad Heb: 7. ergo in Lege Nova non sunt Sacerdotes successores, qui offerant; Respondeo: Neg: Consq: quia licèt non habeat Sacerdotes successores æquales in jurisdictione, & authoritate; habet tamen successores Vicarios, qui possunt offerre. Deinde: Christus dicitur unus Sacerdos; sicut dicitur alibi unus Pastor, & unus Magister; & tamen, hoc non obstante, sunt in Ecclesia plures Pastores, & Magistri. Est ergo unus per excellentiam, & primitatem.

3. *Missa non præjudicat Sacrificio.*

Objiciunt tertiò Calvinistæ: Sacrificium Crucis habet vim infinitam satisfaciendi: ergo multiplicare tot Sacrificia Missæ, non est aliud, quàm negare virtutem, & sufficientiam Sacrificii Crucis. Confirmatur ex Apostolo ad Heb: 9. v. 25. *Semel ad destructionem peccati per Hostiam suam apparuit Christus, semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Et cap: 10. v. 14. *Unâ oblatione consummavit in æternum Sanctificatos*: ad quid ergo tot Missæ, clamat Calvinus?

Respondeo primò: retorquendo argumentum: Sacrificium Crucis habet vim infinitam, & æternam respectu omnium hominum: ergo ad quid Sacrificia Mosaica, & Legis Naturæ? Item ad qoid sunt Sacramenta Novæ Legis, & Cœna Domini?

4. *Imò ejus valorem applicat nobis.*

Respondeo secundò: Nunquid legem destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus; nunquid Crucem destruimus per Missam? absit, cùm Sacrificium Missæ nil aliud sit, quàm continua Crucis commemoratio. Certè nullus magis evertit Crucem Christi, quàm Hæreticus; qui memoriam ejus obliterat. Habet quidem Sacrificium Crucis virtutem infinitam moraliter pro infinitis, si essent, culpis expiandis; & ideo meritò dicit Apostolus; suisse semel oblatum, nunquam reiterandum: sed re ipsâ non sanctificat, nec exhaurit peccata; nisi quibus ritè applicatur (non enim omnibus immediatè applicatur seipso; aliàs omnes homines essent salvandi) per nil autem meliùs applicatur virtus Sacrificii cruenti Crucis, quàm per Sacrificium hoc Eucharisticum incruentum, in memoriam prioris pientissimè institutum; sicut & Calvinus habet necesse fateri; nec Sacrificium Crucis cuiquam prodesse, nisi cui per Verbum DEI, & Cœnam Domini, tanquam per ordinata media applicatur, sine ullo præjudicio infiniti ejus valoris.

5. *Apostolus elucidatur in favorē Catholicorum.*

Objiciunt quartò: Nullum Sacrificium, sæpiùs iteratum, perficit cultores: ut habet Apostolus ad Heb: 7. sed Sacrificium Missæ sæpiùs iteratur: ergo &c. Respondeo primò: etiam fides, & Cœna Hæreticorum sæpiùs iteratur: ergo nec illa perficient ipsos Hæreticos, nec proderunt. Respondeo secundò; quòd Apostolus ibi declaraverit hoc interesse inter Sacrificia Mosaica, & Sacrificium Crucis Christi; quòd illa, tametsi sæpiùs iterata, non poterant per se perficere, & sanctificare Judæos; Sacrificium verò Crucis semel oblatum, per se fuit summi valoris; & ideo sufficientissimum ad justificandos omnes, quibus debitè applicatur; quæ applicatio in antiqua Lege per Sacrificia, & Sacramenta illius Legis fiebat; nunc verò per Sacramenta Ecclesiæ, & Sacrificium Missæ.

6. *Glossatur dictum Apostoli ad Heb: 9. pro Missa.*

Objiciunt quintò: *Sine Sanguinis effusione non fit remissio* ad Heb: 9. sed in Missa non fit effusio Sanguinis: ergo Missa non est Sacrificium propitiatorium. Respondeo primò retorquendo: etiam in fide justificante Hæreticorum non fit Sanguinis effusio: ergo nec fides eos justificat. Respondeo secundò: verum esse dictum Apostoli; sed intelligendum non de effusione sanguinis hircorum, aut vitulorum; sed Agni Immaculati, qui occisus est ab origine mundi, & effudit Sanguinem, utique in acceptione & præsentia Patris, acceptantis illum Sanguinem, sive olim per Sacrificia vitulorum; sive nunc in Sacrificio Missæ repræsentatum.

7. *Panis & vinum est res, & materia aliquomodo Eucharistiæ.*

Quæres: Cùm tria in Sacrificio Missæ reperiantur; panis & vinum; Christus ipse, & tandem species Sacramentales; quænam res sit, quæ propriè offertur, & sit materia Sacrificii? relictis diversis Theologorum placitis breviter, Respondeo: omnia tria aliquo modo dici rem, & materiam Sacrificii: *Substantia quidem panis & vini* impropriè, & minùs principaliter: Colligitur ex modo loquendi Ecclesiæ in Offertorio: *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam Hostiam*, quæ adhuc est substantia panis: & sic panis, & vinum est materia, seu res transiens, ac terminus à quo Sacrificii: Dixi *minùs principaliter*; quia licèt Substantia panis destruatur in potestatem divinæ excellentiæ, & potentiæ; tamen hæc destructio non est primariò intenta; sed secundariò: primariò enim per verba Consecrationis intenditur introductio Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus.

8. *Etiam Christus dicitur res Eucharistiæ.*

Christus itaque est res, quæ propriè & principaliter in hoc Sacrificio offertur. Colligitur ex Tridentino Sess: 22. cap: 2. dicente: *In divino hoc efficio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel se ipsum cruentè obtulit.* Ita etiam loquuntur passim SS: PP:

9. *Et tandē species Eucharisticæ sunt etiam res Eucharistiæ.*

Species Sacramentales demum, etiam pertinent ad rem Sacrificii: Colligitur etiam ex Tridentino loco cit: c. 1. dicente: quòd Christus sub Signis sensibilibus, id est, speciebus Sacramentalibus immoletur: ergo etiam species ad victimam hujus Sacrificii pertinent. Ratio potest esse; quia victima, ut sit humano usui accommodata, debet esse sensibilis: per species autem Sacramentales fit sensibilis: ergo &c.

QUÆSTIO IV.

In qua actione ponatur Essentia Missæ?

1. *Diversæ actiones Missam integrant.*

IN processu totius Evangelici Sacrificii plures interveniunt actiones; circa quas proinde inquiri potest; quænam sit essentialiter requisita ad Sacrificium Missæ. Potiores autem sunt sequentes. Prima est oblatio

oblatio antecedens Consecrationem. Secunda est, actio Consecrativa. Tertia est alia oblatio consequens Consecrationem. Quarta est hostiæ fractio, & injectio particulæ in species Consecratas vini. Quinta est sumptio.

2. *Oblatio antecedēs, cōsequens, & fractio hostiæ, non sunt de essentia Missæ.*

DICO primò: Nec oblatio antecedens Consecrationem; nec consequens; neque fractio hostiæ, est de Essentia Missæ. Est communis contra Canum &c.

3. *Ratio pro primo, & secundo.*

Probatur prima, & secunda pars: Oblatio antecedens in ea forma, & modo, quo fit, non fuit à Christo adhibita; & Ecclesia etiam primitiva eam non adhibuit; neque in Liturgiis eodem modo habetur; similiter & oblatio consequens non fuit semper in usu; nec Christus ipsam adhibuit: ergo utraque non spectat ad Essentiam Missæ.

4. *Ratio pro tertio.*

Probatur etiam *de fractione*: quia licèt Christus fregerit panem; tamen illa fractio non habuit se formaliter ad rationem Sacrificii; sed solùm materialiter; ut Sacramentum Apostolis dispensaretur: ergo non spectat ad Essentiam Sacrificii, vel integritatem essentialem. Confirmatur: Si spectarent hæc omnia ad ejus integritatem essentialem, non possent in ullo casu omitti: Sed possunt omitti: ergo &c: Prob: Min: in casu, quò quis Consecraret aquam pro vino; iterum conficiendum est in vino, sinè præmissa oblatione Calicis; sed incipiendo simpliciter ab illis verbis Canonis: *Simili modo postquam cœnavit* &c. item in casu, quò tota hostia caderet in calicem Consecratum, non debet frangi, ut notant Rubricæ Missalis: ergo hæ actiones possunt omitti.

5. *Sola Consecratio constituit essentialiter Missam*

DICO secundò: Tota & essentialis ratio Sacrificii Missæ consistit in sola Consecratione. Ita S. Bonav: D. Thomas, Vasq: Suar: Con: Bernal: Caspensis &c. contra Mastrium Lug: Ponc: Hiqt qui docent sumptionem etiam intrare essentiam Missæ.

Probatur primò ex SS. PP: Ambros: in Psal: 39. *Tunc ipse offertur in terris, quando Christi Corpus offertur; & tunc ipse offerri manifestatur in nobis, quando sermo ejus sanctificat Sacrificium quod offerimus.* Sic loquitur Irenæus lib: 4. *contra Hæreses* c. 32. S. Chrys: hom: *de proditione Judæ* ergo &c.

6. *Rationibus ostenditur assertum.*

Probatur secundò ratione: Character & potestas Sacerdotalis per se primò ordinatur ad actum essentialem Sacrificii: sed in Missa nulla est actio soli Sacerdoti propria, præter Consecrationem; quia & Diaconus potest Eucharistiam administrare, & Laicus etiam sumere: ergo &c. Secundò: Christus est principalis offerens in hoc Sacrificio; sed nulla actio præter Consecrationem fit hic in persona Christi: ergo &c. Tertiò: in Consecratione perfectè inveniuntur omnia ad essentiam Sacrificii requisita: imprimis enim habetur immutatio hostiæ, quatenùs Corpus & Sanguis Christi succedit in locum panis: secundò res illa sacra, in quam fit ista immutatio, DEO exteriùs offertur; dum in altari sub speciebus Sacramentaliter collocatur; in antiqua enim Lege, victimam in altari ponere, erat re ipsâ DEO offerre. Quartò: Eadem illa res sacra & oblata quodammodò etiam immutatur, quatenùs in altari sub speciebus accipit formam cibi & potûs; & ex hoc ordinatur tandem ad realem quandam destructionem, hoc est ad perdendam præsentiam Sacramentalem, per ejus à Sacerdote sumptionem, ac specierum digestionem. Denique omnia ista principaliter fiunt ad profitendam Divinam Majestatem, ejusque in nos beneficia; ac in recognitionem humanæ infirmitatis; nec ad Essentiam Sacrificii requiritur plus: ergo in Consecratione sola consistit Essentia Sacrificii.

Quæ pro se adducit Mastrius, & Bellarminus; solùm probant, sumptionem esse de integritate integrali hujus Sacrificii, ex Divino præcepto: Unde

7. *Quæ sint partes integrantes Missam.*

DICO tertiò: Oblatio, quæ fit post Consecrationem, & sumptio sunt tantùm partes integrales Sacrificii Missæ.

Probatur de *oblatione*: quia non censetur Sacrificium perfectum donec res offeratur; tum quia si Sacerdos factâ Consecratione moriatur, tenetur alius offerre & sumere; ut integrum fiat Sacrificium. De *sumptione* etiam ostenditur: quia in Concil: Tolet: 12. cap: 5. Et cap: *relatum* dicitur: *Quale erit Sacrificium, cujus nec ipse sacrificans particeps efficitur.* Tum quia de ratione completa hujus Sacrificii est repræsentatio Passionis Christi, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem*: sed non repræsentatur Passio, & Mors Christi, nisi adsit consumptio, ut habetur 1. Cor: 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc &c. mortem Domini annunciabitis &c.* ergo &c.

8. *In Parasceve non fit Sacrificiū propriè.*

Ex his infero primò: non fieri Sacrificium propriè in die Parasceves; quando Sacerdos ostendit populo hostiam pridiè Consecratam, & ipse aliam non Consecrat; quamvis eam frangat, & sumat; ut etiam docet Henriq: Pesantius, Azor: Bellarm: quia non ponitur Essentia Sacrificii; quæ est Consecratio.

9. *Quando Missa suppletur per alium Sacerdotem est Sacrificium verum.*

Infero secundò: Econtra verum fieri Sacrificium, quando unus Sacerdos perficit Missam, inchoatam ab alio, qui mortuus est post Consecrationem. Ratio est: quia adest Consecratio, & actio præcedentis, quæ conjungitur moraliter cum actione alterius, complentis Missam.

10. *Auctor Missæ est Christus.*

Circa institutionem Missæ Nota: ipsam esse institutam à Christo quoad essentiam & substantiam. Colligitur ex Luc: 22. & Matth: 26. ubi novum condidit Testamentum, disponens hæredibus suis regnum, sicut Pater suus sibi disposuit; ut super mensam ejus edant, & bibant in regno; quod Ecclesia conservavit; *Cenantibus enim* (inquit Scriptura) *illis accepit JESUS panem &c.* ita testatur Innoc: 3. *in speculo* dicens; *Sanè (ut promissum est) Missam instituit D. JESUS Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech, quando panem, & vinum in Corpus, & Sanguinem convertit dicens: hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus; subjungens; hoc facite in meam commemorationem.*

11. *Propalatores Apostoli, & Ecclesia.*

Firmatâ prædicta Missæ institutione, ceperunt Apostoli hoc sacrosanctum frequentare Mysterium, propter causam, quam Christus expresserat; & formam servantes in verbis, & materiam tenentes in rebus; sicut Apostolus Corinthiis testatur, dicens 1. Cor. 11. v. 23. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam &c.* Apostoli ergo hanc Missam practicarunt, dicentes non solùm prædicta Salvatoris verba; verùm & Orationem Dominicam. Unde S. Petrus sic Missam primus dicitur celebrâsse in partibus Orientalibus, ubi post Domini Passionem quatuor annis Cathedram tenuit Sacerdotalem. Missa ergo quoad totam actionem, ut includit omnes Cæremonias, & ritus, instituta est ab Ecclesia, ut constat ex Trid: Sess: 22.

QUÆSTIO V.
De Quantitate Valoris Missæ?

1. *Quid valor Missæ ex opere operato; & operantis.*

Nota primò ex Scoto Quodl: 20. Missam sortiri duplicem valorem; ex opere operato; & ex opere operantis: primus fundatur in meritis exhibitis Christi: secundus in personalibus meritis: de secundo conveniunt omnes Doctores; eum esse in entitate finitum: quæstio ergo movetur de primo, quam Doctor subtilis cit: loco nervosè pro more tractat, cum quo

2. *Valor Missæ est finitus entitative.*

DICO primò: Valor Sacrificii Missæ est simpliciter finitus. Est S. Bonav: & Scoti Quodl: 20. Rich. Suar: Aretini, Tolet: Navar: &c.

Probatur primò ratione Doctoris: Si Valor Missæ esset infinitus, sufficeret una Missa pro omnibus vivis, & defunctis; & ita satisfaceret obligatus ad plures Missas, legendo unicam; quod est contra praxim Ecclesiæ, & Decreta S. Congregationis; habeturque inter propositiones prohibitas nuper ab Alexandro VII. ergo Valor Missæ est simpliciter finitus.

3. *Probatio à ratione ad idem.*

Probatur secundò: Valor hujus Sacrificii participatur ex valore Sacrificii Crucis, & applicat illum valorem; sed hic non fuit infinitus intensivè: ergo nec valor hujus Sacrificii. Prob: Min: causa dans valorem Sacrificii Crucis fuit finita, nempe actiones meritoriæ Christi, quatenùs ab humana & finita voluntate procedentes: ergo & ipse effectus causæ debet esse finitus, qui est iste Valor. Deinde: dato, quòd valor Sacrificii Crucis fuisset infinitus: tamen Valor Missæ non debet esse infinitus; quia applicans perfectionem principalis causæ, non in eodem gradu illam participat: ergo &c.

4. *Congruentia bona pro Conclusione.*

Convenientissimum itaque est; ut sustineatur valorem Missæ esse finitum; ut hâc ratione sæpiùs à Sacerdotibus frequentetur, & offeratur; ut multiplicentur Capellaniæ, & obligationes aliæ, quas Fideles in commodum animarum suarum piè fundare solent.

5. *Scoti discursus pro hac sententia.*

Confirmatur ex Scoto quodl: 20. art: 1. idem numerò Sacrificium, ob sui infinitatem in valore, ex æquo pluribus prodesse posset tantùm, acsi uni applicaretur; & tunc frustra in Ecclesia essent speciales Orationes assignatæ, aliæ pro vivis; aliæ pro Defunctis: & iterum pro vivis aliis, & aliis; ut patet in *Missali Rom:* quia non plus valeret illis specialibus personis; quàm generaliter cuicunque in Ecclesia. Deinde: sequitur inquit idem Doctor, Sacerdotes, qui non ex stipendio, nec ex aliqua alia obligatione; sed ex devotione mera celebrant, contra charitatem facere; si pro una anima purgatorii celebrent; quia secundùm ordinatam charitatem pro omnibus celebrare deberent; cùm ex charitate Sacerdos teneatur impetrare bonum pluribus, & unâ Missâ, si posset, evacuare totum purgatorium: ergo &c.

6. *Missa pluribus applicata mi nùs valet quàm applicata uni.*

Ex his colligitur virtutem, & valorem hujus Sacrificii, applicatum pluribus non tantùm valere in eodem gradu omnibus, quantùm si uni tantùm: Ratio petitur ex dictis.

Objicies primò: Christus qui offertur, & of-

7. *Non procedit benè argumentum à valore Sacrificii Crucis, ad Sacrificium Missæ.*

& offert hoc Sacrificiu, & infiniti meriti, saltèm extensivè: ergo hoc Sacrificium est infiniti valoris. Respondeo primò Neg: Ant: nam ostendi in Materia de Incarnatione, merita Christi non esse infiniti valoris, secundùm Scotum. Respondeo secundò Neg: Conseq: quia ex infinitate rei oblatæ in hoc Sacrificio, non rectè infertur valor infinitus in oblatione; aliàs oblatio, quâ Beata Virgo suum Filium obtulit in templo, habuisset valorem infinitum. Deinde quamvis hoc Sacrificium sit idem cum Sacrificio Crucis quoad rem oblatam; non tamen quoad valorem provenientem ex oblatione: nam oblatio in hoc Sacrificio est actio Sacerdotis, quæ est finiti valoris; oblatio verò in Sacrificio Crucis fuit actio immediata Christi; quæ erat infiniti valoris, & dignitatis ex ea parte, quâ erat intrinsecè dignificata ab ipsa persona Verbi increata.

8. *S. Hieron: objectus exponitur*

Objicies secundò: S. Hieron: relatum in cap: *Non mediocriter 24. de Consecrat:* dist: 5. *dum pro centum* (inquit) *animabus psalmus, vel Missa dicitur, nihil minùs, quàm si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur*: quod utique dici non posset nisi esset infiniti valoris: ergo &c. Respondeo: sensum istorum verborum esse, ut docet Scotus quodl: 20. non minùs Sacerdoti prodesse unam Missam, vel psalmum, attentè & devotè dictum, ac cum fervore Spiritûs, quàm centum remissè, & frigidè, ac cum tristitia Spiritûs cordisque anxietate. Et iste sensus colligitur ex verbis S. Hieron: immediatè præcedentibus, quæ sunt hæc: *Melior est quinque psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate, & spirituali hilaritate, quàm totius Psalterii modulatio cum anxietate cordis & tristitia*: quæ verba, inquit Scotus cit: dixit Hieron: ad consolationem Monachorum, qui si pro multis orare tenentur, tamen non oportet tot psalmos legere, quia vergeret in fastidium; sed meliùs satisfacit illis, si pro eis dicantur pauciores, & cum hilaritate cordis.

9. *Disparitas inter baptisma pluribus simul applicatum, & Missam.*

Objicies tertiò: Idem Sacerdos unicâ actione potest plures baptizare, ita ut æqualiter omnibus gratia conferatur ex opere operato: ergo à pari de Celebratione Missæ. Respondeo Neg: Conseq: quia cum baptismus sit ablatio passiva, ut ait Doctor 4. d. 6. q. 2. quot erunt homines abluti, tot erunt Sacramenta baptismatis; atque ideo multiplicato Sacramento multiplicabitur fructus, & effectus illius: Missa verò pluribus applicata est solùm unum Sacrificium; atque ideo ex opere operato unum tantùm sortitur effectum.

10. *Missa habet quamdam valorem infinitum syncathegorimaticè.*

Nota tamen: etiam in hoc Sacrificio quamdam Valoris infinitatē syncathegorematicam admitti posse, respectu ajusdem effectûs, tam satisfactionis, quàm impetrationis; quatenùs potest crescere valor semper è meliori dispositione offerentis, vel illius pro quo offertur; quæ dispositio cùm crescere semper possit; poterit etiam crescere proportionaliter valor Missæ. Nec hoc est contra Scotum: Scotus enim quando negat hujusmodi valorem esse infinitum in Sacrificio Missæ, loquitur de valore ex se, & independenter à meliori dispositione. Ratio autem hujus doctrinæ est; quia facit ad majorem Missæ venerationem: nam sic fideles ferventiùs ad ejus celebrationem, & Eucharistiæ in ea sumptionem præparabuntur: quòd dico hic de Missa; sentio de causatione omnium Sacramentorum.

11. *Etiam independenter à meliori dispositione.*

Imò etiam infinitas quædam syncathegorematica attribui potest Missæ valori independenter à meliori dispositione; quatenùs scilicet non potest assignari tanta pœna uni debita, post remissionem culpæ relicta; quin si deberet subire majorem, Missa sufficeret pro majori, & majori, dummodò non sit æterna; quod sufficit, ut aliquo modo Valor Missæ dicatur infinitus; & hunc sensum infinitatis valoris admisit Ponc: hic, & cedis in majorem Missæ excellentiam: Nec puto esse contra mentem Doctoris Nostri subtilis, qui videtur solùm loqui de infinitate Cathegorematica.

QUÆSTIO VI.

De Triplici Missæ fructu; ejusque applicatione.

1. *Quid valor generalis Missæ?*

NOta primò: Triplicem esse fructum Missæ seu valorem; nempè generalem; specialem; & medium. *Generalis* dicitur; quem Ecclesia intendit applicare, non solùm omnibus omninò Fidelibus vivis, & defunctis; verùm etiam Pontifici Imperatori, Regi, Principi, Episcopo & aliis Fidelibus, quorum meminit Sacerdos in Sacrificio, sive sint absentes, sive etiam præsentes; quem fructum quisque recipit majorem, aut minorem juxta Christi determinationem, intentionem Ecclesiæ, & propriam cujusque cooperationem. Ita Scotus in Quodlib: 20. art: 2. & alii

2. *Quid specialis?*

Fructus seu valor *Specialis*, quem alii specialissimum vocant, est proprius ipsius Sacerdotis, dum celebrat, quem fructum non tenetur, imò in multorum sententia

Gg nec

nec potest alteri applicare. Ratio est, quia hic Fructus est proprius & personalis ipsius Sacerdotis; & quia si Sacerdos in peccato mortali celebret, nullum percipit Fructum, & tamen satisfacit obligationi stipendii; ita Coninck &c. AA.

3. *Quid medius?*

Fructus *medius* est ille, qui alteri applicatur ex intentione offerentis. Circa hunc Tertium.

4. *Monitum primum Scoti pro Sacerdote, ad intentionem alterius celebrante.*

Nota: Scotum tria hic salubriter admonere; primò: quando Sacerdos obligat se ad celebrandum juxta intentionem dantis medium florenum v.g. non debet hoc intelligi factum per conventionem strictè legalem, seu per commutationem rei spiritualis pro temporali; quia hoc esset Simoniacum: sed debet intelligi tanquam commutatio liberalis eleemosynæ spiritualis pro eleemosyna corporali; juxta illud 1.Cor:9. v.12. *Si nos vobis spiritualia seminamus; magnum est si carnalia vestra metamus.* Itaque offerens eleemosynam corporalem, mendicat spiritualem; & offerens spiritualem titulò mendicationis potest exigere eleemosynam corporalem; uterque tamen pactâ illâ mutuè ac liberali promissione manebit strictè obligatus in conscientia solvere, quod promisit. Plura de hæc infra.

5. *Monitum secundum*

Secundò monet; quando quis facit applicationem medii fructûs pluribus particulariter, nec est certa Regula statuens cuinam ex illis magis specialiter facienda; tutiùs semper est, facere generalem applicationem taliter: Digneris Domine oblationem istam specialiter accipere pro illis, pro quibus nosti me teneri specialiter offerre, & in illo gradu, in quo nosti me teneri.

6. *Monitum tertium.*

Tertiò monet; quòd in Ecclesiis curatis, & Collegiatis, ubi ex fundatione Ecclesiarum debent tot sacra legi pro Parochianis, aut Fundatoribus, non satisfaciat applicando ista sacra pro istis, aut aliis, quibus consimili obligatione in solidum obligatur: quia ex fundatione talis Ecclesiæ, vel Capellaniæ applicatio jam est determinata ad istos in speciali. Circa applicationem Fructûs Missæ.

7. *Fructus Sacrificii ut oblati in Christi persona pendet ab applicatione Ministri.*

DICO primò: Fructus Missæ ex opere operato respondens Sacrificio, id est quatenùs offertur in persona Christi, omninò pendet ab intentione, & applicatione Ministri, sive eum sibi ipsi applicet, sive alteri.

8. *Ratio ad hoc.*

Probatur: quia Sacerdos ex vi Ordinationis suæ constitutus est à Christo Minister, ac Dispensator Mysteriorum, ac donorum DEI; sicut indicat forma Ordinationis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis, ac Defunctis*: ergo &c.

9. *Prælati Regulares possunt subditos cogere ad applicandas Missas determinatè.*

DICO secundò: Possunt, & debent Prælati, tam Regulares, quàm sæculares subditis Sacerdotibus in virtute Obedientiæ præcipere, ut certâ, ac determinata intentione juxta onera obligationum celebrent, & subditi sub mortali obedire tenentur. Ita commun:

Probatur prima pars: Prælati habent spiritualem Jurisdictionem in sibi subditos Sacerdotes; adeoque præcipere eis possunt illa, quæ in salutem animarum cedunt; sicut est celebratio Missæ: ergo &c.

10. *Imò debet.*

Probatur secunda pars: quòd *debeant eis etiam præcipere*: quia aliàs non celebrantibus subditis determinatè intentione, negligerentur obligationes Missarum, stipendia defraudarentur, & injustitia magna committeretur.

11. *Superior nequit irritare intentionem particularem subditi celebrantis.*

Nota autem: tametsi Fraxinellus & alii DD: doceant; Prælatos Regulares posse Sacerdotum Subditorum intentionem in Missarum celebratione irritare; ita ut Sacrificii valor ei valeat, cui à Prælato applicatur, non cui à Sacerdote; eò quòd sint Domini Operationum subditorum, quæ possunt efficere Obedientiæ, quæ ab illis promittitur in solemni voto: possintque vota subditorum irritare; tamen alteram sententiam probabiliorem censeo; quæ docet: quòd non possit irritare particularem intentionem celebrantis; ita Brugnoli noster Suar: Con: Laym: &c. Unde quamvis Religiosus illicitè & cum peccato mortali omninò, contradicente, & prohibente Prælato Regulari, applicet Missam alteri, quàm jusserit Prælatus; nihilominùs valida est applicatio; & fructus ex opere operato provenit ei, cui Sacerdos vult: Ratio est; quia hæc applicatio est actus potestatis Ordinis, quæ ex potestate Prælati Regularis non dependet.

12. *Celebrans ante vel in Consecratione debet applicare fructum Sacrificii ex opere operato absque conditione de futuro.*

DICO tertiò: Sacerdos debet determinatè, & absolutè fructum Sacrificii, qui est ex opere operato, alicui applicare ante, vel in ipsa Consecratione; unde non est in ipsius potestate ipsum suspendere, & postea alicui applicare finitâ Missâ. Est com: DD:

13. *Quod probatur.*

Probatur: Sacerdos dispensat fructum Sacrificii, quatenùs Christi personam sustinet: Sustinet autem Christi personam ante Consecrationem, vel in ipsa Consecratione: ergo &c. Unde deducunt AA: similiter non esse validam istam, vel similem applicationem, sub conditione in futurum contingente; v.g. *volo ut Sacrificii Fructus proveniat illi homini, cui superior meus interrogatus,*

rogatus, postea voluerit; vel qui proximè mihi stipem dabit. Ratio est: quia ad effectum Sacramentorum, & Missæ requiritur intentio absoluta Ministri, & independens ab eventu contingente: unde invalidè baptizatur homo sub conditione, *si à Fide suscepta defecturus non sit.*

14. *Potest; si conditio esset jam impleta.*

Secùs dicendum; si conditio tempore præterito, vel præsenti sit impleta v.g. *Baptizo te, si baptizatus non es. Offero secundùm eam intentionem, quam hodie Prælatus meus in Missa habuit. Item offero pro illa persona, quæ hodie aureum dedit.* Ita Layma: &c.

15. *Quadam sententia Vasq; rejicitur.*

Nota secundò: quamvis Corduba & Vasq: asserant; Sacrificium offerri posse pro eo homine, quem DEUS scit primum ex tali Ordine, Communitate, vel Provincia moriturum. vel pro illo, pro quo Deus novit, proximè aliquem Missam postulaturum, nam illa conditio, *quem DEUS novit*, jam reipsa existit. Nihilominus probabilior videtur opposita Opinio; quæ est Suar: Bon: &c. eò quòd prima Opinio videatur esse contra usum Ecclesiæ; & magnos abusus parere posset, si introducatur.

16. *Sacerdos gerit triplicem personam in Missa.*

Nota tertiò: Sacerdotem triplicem personam agere in Missa. Primò Christi. Secundò Ecclesiæ. Tertiò personam privatam; non solùm in memento; sed etiam in publicis Orationibus, & tota Sacrificii actione: quatenùs gerit personam Christi, dicetur infra; interim de aliis.

17. *Ut gerit personam Ecclesiæ, non audet Sacrificare contra Ecclesiæ intentionem.*

DICO quartò: Quatenùs Sacerdos orat, & sacrificat in persona Ecclesiæ, cujus ad DEUM Legatum agit, nec licitè, nec validè illius intentionem mutare potest; ut, vel aliquem excludat, quem Ecclesia in sua generali includit; vel aliquem v. g. excommunicatum includat, quem Ecclesia vult esse exclusum. Ecclesiæ autem intentio manifestatur in illis Orationibus, quæ recitantur in Missa Parasceves, ad significandum, quòd Christus pro omnibus sit mortuus.

Probatur: quia ex nullo capite constat, Sacerdotem habere potestatem variandi intentionem generalem Ecclesiæ: ergo &c.

18. *Ut privatus homo potest pro omni forte homini applicare Missam.*

DICO quintò: Quatenùs Sacerdos ut persona privata Sacrificium offert, & Deo supplicat (puta in memento) sic potest fructum tam impetratorium, quàm satisfactorium ex opere operantis applicare cuicunque homini capaci, quamvis excommunicatus, non toleratus sit. Ita Sylvester Navar: Avila &c.

Probatur: quia cùm talis Oratio sit propria actio ipsius Sacerdotis, meritò ejus arbitrio relinquitur, neque ab Ecclesia prohibetur: eâdem ratione audientes Missam possunt pro quocunque orare, & Missam offerre privata devotione.

19. *Fructus Missæ applicatus incapaci quorsum deveniat?*

Nota quartò: Fructum Satisfactorium applicatum defuncto incapaci secundùm Cord: Henr: & alios Doctores reponi in thesaurum Ecclesiæ; quia non est potior ratio, cur uni potiùs applicetur, quàm alteri: Secundùm verò Bonac: provenit sacrificanti, si indigeat, & fecit intentionem pro se.

20. *Intentio habitualis sufficit pro Missæ applicatione.*

DICO ultimò: Ad applicationem Missæ sufficit habitualis intentio, id est, actualis non retractata.

Probatur: Hæc intentio non est effectiva Sacramenti; ergo non debet necessariò esse actualis, vel virtualis, quæ sunt effectivæ; sed sufficit habitualis.

QUÆSTIO VII.

De Effectibus Missæ: & de his pro quibus licet Sacrificare.

1. *Missa est propitiatoria pro peccatis.*

DICO primò: Sacrificium Missæ est Propitiatorium pro peccatis & hic est primus ipsius Effectus. Ita DD:

Probatur ex Tridentino Sess: 22. Can: 3. dicente: *Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis; aut nudam Commemorationem Sacrificii in Cruce peracti; non autem propitiatorium &c. Anathema sit.* Et ostenditur etiam ratione: quia si in antiquis illis Sacrificiis, quæ tantùm erant umbræ hujus, fiebat expiatio, saltèm legalis: ergo in hoc Sacrificio fit vera expiatio peccatorum. Deinde hoc ipsum indigitant illa verba S. Evangelii; *Hic est Sanguis, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Et alia S. Pauli ad Heb: 5. v. 1. *Omnis námque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis:* ergo &c.

2. *Et probabiliùs infallibiliter.*

Quæres: An infallibiliter Effectum propitiationis operetur Missa? Respondeo cum communiori DD: Affirmativè: Colligitur ex Tridentino citato: & forma Calicis; quæ refertur etiam ad effusionem mysticam Sanguinis in Missa.

3. *Et etiam impetratoria variorum beneficiorum.*

DICO secundò: Est etiam Impetratorium, & meritorium diversorum beneficiorum, gratiarum, bonorum tam corporalium, quàm spiritualium: & hic est alter ejus Effectus. Ita AA:

Probatur ex eodem citato Tridentino dicen-

dicente: *Si quis dixerit, soli prodesse sumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; Anathema sit*: ergo &c.

4. *Virtute Missæ confertur infallibiliter gratia Pœnitentia.*

Petes an gratiæ ad pœnitendum dentur infallibiliter virtute hujus Sacrificii? Respondent DD; passim affirmativè; non quidem, quòd dentur semper efficaces gratiæ: sed saltèm inefficaces. Ratio colligitur ex Tridentino citato: & quia hoc decet præstantiam hujus Sacrificii; & promissionem Divinam; & patet ex forma Consecrationis Calicis. Quod autem hæ gratiæ sæpè non sentiantur; contingit, vel quia peccator obicem illis ponit; vel quia dantur tempore DEO placito; ideoque vocatur à DEO donum pœnitentiæ, *auxilium opportunum.*

5. *Singulares alii effectus Missa.*

Ex dictis infertur primò: Sacrificium hoc tantùm valere ad augendam justificationem, impetrandam castitatem, aliasque virtutes, & avertenda mala oppofita; ut peccata, tentationes ac infestationes Dæmonum: item ad temporalia beneficia, spiritualibus subservientia obtinenda v. g. sanitatem, aeris elementiam, frugum abundantiam; & opposita incommoda avertenda, v. g. infirmitatem sterilitatem &c. ut satis ostendit doctrina PP: & quotidianus usus Ecclesiæ, pro his & similibus orantis. Et ratio est; quia Orationes aliæ devotæ valent ad hus, & similes effectus obtinendos: ergo à fortiori Sacrificium hoc, quod est præstantissimum genus Orationis ratione Christi, qui est principalis offerens, & res oblata.

6. *Qui tamè non obtinentur infallibiliter.*

Nota autem istos Effectus determinatè, & infallibiliter semper non obtineri, ut docet experientia; imò multa absolutè obtineri non possunt; ut si duo sacrificent, petentes opposita: Si non obtineatur determinatè illud quod petitur; obtinetur saltèm aliud, quòd DEO meliùs visum fuerit.

7. *Ad eos obtinendos juvat multùm dispositio Sacrificantis.*

Nota secundò: Ad obtinendos Effectus hos & similes, multùm conducere sanctitatem & devotionem Sacrificantis: etsi enim dignitas principalis offerentis, & rei oblatæ sit sufficientissima ad quodlibet impetrandum; efficacia tamen etiam proportionatur devotioni ipsius Ministri.

8. *Missa servit ad abolendas pœnas temporales.*

DICO tertiò: Missa est etiam Satisfactoria pro pœnis temporalibus inferendis. Ita Catholici,

Probatur: Indulgentia in probabiliori sententia est infallibiliter satisfactoria: ergo & Missa.

Probatur secundò ex Tridentino Sess: 22. Can: 2. docente: hoc Sacrificium prodesse pro *pœnis, Satisfactionibus* &c.

Probatur tandem tertiò. quia Sacrificia antiqua emundabant ab immunditia legali: ergo hoc efficaciter *à pœna peccati.*

9. *Quomodo pro Beatis sacrificare liceat?*

Circa alteram Quæstionis partem, Nota primò: quòd pro beatis non offeratur nec offerri debeat Sacrificium, quatenùs est propitiatorium: siquidem ipsi finè umni culpa sunt: nec quatenùs est satisfactorium; quia nullius pœnæ ampliùs sunt debitores: neq; quatenùs est meritorium; quia ipsi non sunt, ampliùs in statu merendi; neque propriè & directè, quatenùs est impetratorium; siquidem Beati in Cœlo orationibus nostris non indigent: Unde Innoc: in cap: *cum Martha de Celebratione Missarum* ex S. August: Serm: 17. de verbis Apostoli ait; *injuriam infert Martyri, qui orat pro Martyre.* Offertur ergo Sacrificium pro Beatis, quatenùs est laudis & gratiarum actionis; quia dum DEO Sacrificamus, laudamus eum, & gratias ei agimus, pro sanctorum victoria, eorumque deprecatione preces nostras exaudiri petimus; sicut explicat Trid: Sess: 22. cap: 3. ex S. August:

10. *Missa est fructuosa pro animabus Purgatorii*

DICO quartò: Missæ Sacrificium prodesse animabus in Purgatorio existentibus ex opere operato, & infallibiliter ad remissionem pœnarum per modum impetrationis ab ipsis consequendam. Ita Suar: Vasq: Amic: Con: Faber noster, & alii.

Probatur ex Tridentino Sess: 22: cap: 2. & Can: 3. ubi directè hanc vocat Apostolorum Traditionem.

11. *Quod & Ratio suadet.*

Ratio etiam est: quia cùm animæ in Purgatorio sint vera ac viva membra Ecclesiæ, atque capacia fructûs Sacrificii propitiatorii; non est ratio cur ipsis denegetur prodesse: esse autem viva membra, inde patet; quia sunt adhuc sub potestate & dominio Ecclesiæ militantis; quamvis enim sint in termino merendi & demerendi; non tamen sunt in termino solvendi debita contracta in vivis; & ideo in forma Ordinationis Sacerdotis dicitur: *Accipe Potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & defunctis*; cùm ergo sint sub dominio Ecclesiæ, poterunt infallibili lege juvari, sicut adjuvantur vivi.

12. *Sacerdos nomine Christi pro omnibus potest sacrificare.*

DICO quintò: Quatenùs Sacerdos personam Christi gerit, potest Sacrificare, pro omnibus viventibus, tam parvulis, quàm adultis, Fidelibus, & Infidelibus.

Probatio sumitur ex verbis, quæ in Calicis oblatione dici solent: *pro nostra, & totius mundi salute.* Deinde Sacrificium cruentum in Cruce pro omnibus oblatum est:

est: ergo & incruentum offerri potest, cùm sit illius repræsentativum: ergo &c.

13. *Confirmatio ejusdē doctrinæ.*

Nota autem: quòd peccet graviter Sacerdos, si pro excommunicatis non toleratis Missæ Sacrificium offerat in persona Ecclesiæ; quia hoc ei prohibitum est ab Ecclesia in cap: *à nobis* 2. de Sent: Excom: Prædicta tamen prohibitio non impedit quò minùs in persona Christi validè offerat Missam pro Excommunicatis, quatenùs capaces sunt fructûs impetrationis; imò etiam satisfactionis, si præter censuram nullum aliud impedimentum habeant, puta quia jam sunt emendati, & absolutionem desiderant. Ratio est: quia potestas consecrandi, & offerendi pro quibuscunque vivis & defunctis, quatenùs capaces sunt, est annexa Ordini ex Christi institutione. Ecclesia itaque solùm prohibet suo nomine & publico Ecclesiæ ministerio dicere suffragia, legere Missas publicas pro Excommunicatis; non tamen si in persona Christi hæc fiant; Ita Brugnoli, Avila, Con: &c.

14. *Pro Catechumenis licitum est Missam offerre.*

DICO sextò: Pro Catechumenis tum vivis tum defunctis Sacrificium aliquo modo offerri potest. Ita docet S. Clemens Aug: &c.

Probatur: Nam licèt verisimile non sit, ipsis prodesse ex opere operato; sicut nec Sacramenta eis prosunt; quippe quæ à Christo pro salute Ecclesiæ sunt instituta, in qua necdum sunt Catechumeni: tamen secundùm fructum impetrationis ex opere operantis potest Missa eis prodesse; ut habet Vasq: Suar: Con: &c.

15. *Et pro Infidelibus.*

DICO septimò: Pro Infidelibus Paganis, & Judæis similiter Missa offerri potest per modum deprecationis, ut ad Christianam fidem convertantur: Ita S. Clemens Aug: Prosper &c.

Probatur ex S. Paulo: qui 1. Tim: 2. v. 1. sic ait: *Obsecro fieri obsecrationes &c. pro omnibus hominibus, Regibus &c.* qui tunc temporis erant gentiles. Secundò in Parasceve Ecclesia sic orat: ergo &c.

QUÆSTIO VIII.

De Obligatione celebrandi, quoad Personas, & Locum.

1. *Peccat Sacerdos nunquam celebrans.*

DICO primò: Probabiliùs esse, simplicem Sacerdotem mortaliter peccare, si nunquam celebret toto anno: tenetur enim saltèm ter, vel quater in anno in festis præsertim solemnioribus Sacrificare. Ita S. Thom: Richard: Palud: &c.

Probatur: quia hoc est discrimen inter Sacramenta, & Sacrificium; quòd Sacramenta referantur ad fidelium usum; quare ad eorum administrationem soli illi tenentur, qui habent curam animarum: Sacrificium verò pertinet ad offerendum DEO, ad quod quilibet Sacerdos obligatur aliquoties, ratione ordinationis: unde dicit Paulus cit: supra, *Pontificem esse assumptum, ut offerat, dona & Sacrificia.* Et Concilium Tridentinum Sess: 23. c. 14. *de Reformatione* hoc mandat; *curet*, inquit, *Episcopus, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus celebrent Missas.* Confirmatur ex cap: *dolentes de Celebratione Missar:*

2. *Quando Curati obligantur celebrare?*

DICO secundò: Sacerdos curatus per se, vel per alium, omnibus illis diebus celebrare est obligatus, quibus plebs ipsi subdita ex præcepto Ecclesiæ Missam audire tenetur.

Probatur ex Tridentino Sess: 23. cap: cit: *Si curam habuerint*, inquit, *animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*: docetque hoc communis Theologorum, Sotus Azor: Suar: Tolet: Con: Brug: Herinx &c.

3. *Curati non tenentur semper applicare Missas pro populo.*

Advertè autem hic: quòd licèt Parochus obligetur diebus festis singulis celebrare Missam juxta dicta, ut populus impleat præceptum de audienda Missa; non tamen videtur obligandus ad applicationem Sacrificii pro populo singulis prædictis diebus. Ratio est; quia obligatio ad celebrandum, & obligatio ad applicandum videntur obligationes diversæ; ab una autem obligatione non est facienda extensio ad aliam; *quia ex diversis illatio non infertur L. Papinianus exuli ff de Minoribus 25. annis.* Et subscribit Con: q. 83. art: 1. dub: 11. Nav: cap: 25. n. 92. Reginald: & Suar: Itaque arbitror; pro regula generali hoc esse tenendum: ut Curatos tot tantùm Sacrificia applicare pro suis ovibus teneatur; quot prudenter judicat correspondere proventibus, ac redditibus Ecclesiasticis uberibus, vel tenuibus; salvo tamen jure fundationis, vel alterius obligationis, quam Curatus spontè acceptâsset. Ratio est; quia beneficia Curata propriè instituta sunt ad pascendum populum verbo, & Sacramentorum administratione: non item ad sacrificandum pro illo semper. Interim tamen lex charitatis, & æquitatis ratio suadet; ut Pastores Ordinarii scilicet Papa, Episcopi, Ordinum Prælati, & Parochi pro suis subditis DEO intra, & extra Sacrificium, frequenter supplicent.

4. *Quid sentiendum de obligatione Capellanorũ.*

Nota autem: Capellanum ex justitia, sub mortali culpa esse obligatum, ad illum Missarum numerum, quem Litteræ Fundationis requirunt: Ita DD: communiter. Putat tamen probabiliter Nav: lib: 2. *de restit.* c. 2. n. 210. Si infirmetur Capellanus, aliudque impedimentum brevi tempore durans superveniat v. g. unâ, vel alterâ hebdomadâ, præsumendum esse, Fundatorem, & Ecclesiam, non intendisse tam arctam obligationem; ac proinde talem non teneri ad recompensationem: nam etiam Dominus, tametsi jure detrahere possit de mercede famuli propter ejus infirmitatem: sicut colligitur ex L. *si uno* §. *item cum* ff. *locati*, & docet Angelus Sylv: Armilla; si tamen pius, & benignus sit, detrahere non solet. Circa secundam partem Quæstionis.

5. *Habens onus in determinato loco celebrandi, tenetur ibi legere Missam.*

DICO tertiò: Sacerdotem, qui onus celebrandæ quotidie Missæ in determinata Ecclesia, vel Capella, vel Altari suscipit, teneri quotidie ibidem celebrare per se, vel alium, juxta fundationem.

Probatur: quia ubi verba sunt clara, non est recedendum ab eis L. *non aliter* ff. *de Lege* 3. Excipiunt tamen DD: quòd propter reverentiam Sacrificii, vel aliam justam causam, quandoq; possit abstinere; etiam semel in hebdomada, quo tamen die, nec pro se, nec alio potest celebrare.

6. *Alibi celebrantes, quàm conventum fit, in dando stipendium, peccant graviter.*

DICO quartò: Sacerdotes, qui accepto stipendio, ut in altari privilegiato celebrent, alibi celebrant, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem. Ita Nav: c. 25. n. 134. Azorius &c.

Probatur: quia in re gravi, non servarent promissum, & servarent stipendium invito Domino; tenentur itaq; hoc compensare aliis proportionatis precibus. Neque consensus hæredum juvat, ut Sacerdos alibi satisfacere possit: *non enim est adimplenda voluntas hæredum, sed testatoris*, juxta Clement: *quia contingit, de Religios: domib:*

7. *Limitatur præcedens doctrina.*

Adverte tamen: si adsit justum impedimentum v. g. si Ecclesia, vel privilegiatum altare violetur; vel inundatio superveniens impediat accessum Capellano; vel simile; præsumendum est, Fundatorem voluisse, principaliùs Missæ fructum sibi suisque defunctis applicari, quàm loci particularis venerationem: Ita de Grafiis p. 1. *decis: aurearum* lib: 2. c. 53.

8. *Capellanus potest anticipare Missas, determinato loco legendas.*

Nota Capellanus, qui ad ter v. g. celebrandum in determinato loco est obligatus; satisfacit, si anticipet antecedenti septimanâ ibidem celebrando; nisi secùs in instrumento Fundationis exprimatur. Ita Nav: lib: 2. *de restit:* c. 2. Bona: &c. Ratio est: quia non defraudat eum, cui applicari debet Sacrificium.

QUÆSTIO IX.

De Stipendio Missarum; & Obligatione inde resultante.

1. *Qualis obligatio nascatur inter petentem Missam pro Stipendio & celebrantem?*

NOta primò: Quòd licèt nulla Conventio strictè realis, vel justitia propriè commutativa intercedat inter Stipendium & Missam: quia justitiæ æqualitas inter Missam, utpote rem spiritualem, & Stipendium materiale assignari non potest; tamen inter Stipendium dantem, & Sacerdotem, non absolutè pro Sacrificio, sed pro sustentatione obligatio justitiæ nascitur, ut docet Aragonius de *Just: & Jure* q. 85. art: 3. Vasq: Suar: Unde Sacerdos sinè labe, vel nota Simoniæ apud legitimum Judicem, & viâ Juris Stipendia pro Missis celebratis, à solvere recusantibus exigere potest: Ratio est: quia Stipendia non exquiruntur, ut pretium Sacrificii; sed ut merces laboris, ac operæ; vel ut eleemosyna, superioris lege aut consuetudine Sacerdotum sustentationi debita. Ita discurrit Azorius p. 3. *Instit: Moral:* l. 12. c. 6. q. 2. Noster Brugnoli &c. Pariter pro obligatione celebrandi summo mane; vel in loco à Civitate remoto; pro labore prævio in itinere; vel etiam certis diebus, potest pinguius Stipendium accipi, quàm sit lege, vel consuetudine receptum: constat ex capite *significatum, de præbendis*: & habet Aragonius, cum aliis Canonistis.

2. *Quis labor Missæ sit pretio æstimabilis?*

Nota secundò: quòd labor, qui insumitur in celebratione Missæ, sicut etiam in administratione Sacramentorum, & Sacramentalium sit duplex: Unus est, cum ipsa actione conjunctus, quæ aliquem laborem exigit; ut legere Missam; & aquam elevare ad baptizandum; qui quidem labor spiritualis est; cùm actio hæc laboriosa rem spiritualem efficiat, id est, gratiam; & habeat originem à spirituali principio, puta ab Ordine sacro: ideo pro hoc labore pecuniam sumere, est simonia. Ita S. Thom: 2. 2. q. 100. art: 2. Cajet: Syl: Aragon: &c. alter labor est antecedens ipsam celebrationem; ut ire ad loca distantia &c. qui labor est merè temporalis, & per se pretio æstimabilis. Ita Abbas c. *cùm secundum* n. 3. *de præbendis*, Cajet: Aragon: Less: & communis.

3. *Quivis Sacerdos*

Nota tertiò: Omnes Sacerdotes tam pauperes, quàm divites jure naturæ fortassis

potest pacisci de Stipendio Missæ.

tassis pro missis celebrandis de justo Stipendio pacisci possunt; quia Sacerdotibus ex justitia debetur sustentatio, sive sint pauperes, sive divites; unde dicit Paulus 1. Cor:9. v.13. *Qui altari deserviunt, de altari participant*: Cautissimè tamen in tali pacto agendum est propter negotiationem & scandalum evitandum. Sic statuit Trident: Sess:22. *Decreto de evitandis & observandis in Missa celebratione* dicens: *ut Episcopi omnino prohibeant cujusvis generis mercedem, conditiones, pacta, & illiberales & importunas, eleemosynarum exactiones potiùs, quàm postulationes.*

4. *Non liceat pro minutis diversis Stipendiis unam Missam legere.*

Quæres: An pro una Missa possint accipi à diversis plura minuta Stipendia usque ad qualitatem Stipendii justi? Respondeo inprimis non posse; si expressè obligavit Sacerdos, pro quolibet minuto se velle integram Missam legere. Cæterùm si non se obligavit; videtur posse ex natura rei. Ratio est: quia non est defraudandus Sacerdos suâ justâ mercede, taxatâ pro Missa à Synodo, vel Episcopo loci. Nec obstat Decretum Urbani VIII. *quo sub attestatione Divini Judicii præcipitur, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuêre*; intelligi enim debet, ut docet Thomas Tamburinus lib: *3. de Sacrificio* c.1. §. 3. n. 53. quòd valit, ut tot Missæ legantur quot fuerint præscriptæ, juxta rationem datæ eleemosynæ; quatenùs nempè sufficientis ad talem numerum.

5. *Non licet tibi cum altero dimidiare taxatum Stipendiū Missæ.*

Quæres secundò: An qui Missam suscepit celebrandam pro certa eleemosyna, possit eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ, committere? Respondeo: etsi id ex natura rei non appareat clarè illicitum, ut ex aliorum contractuum exemplis ostendi potest: habet nihilominùs speciem quamdam turpis quæstûs, & ut loquitur Sacra Congregatio; *damnabilis lucri*, estque prohibitum per Decretum Urb: VIII. & Alexandri VII. & quidem juxta plerosque graviter, etsi Bordonus tom: 1. Var: resol: 25. q. 18. putet esse sub veniali tantùm prohibitum.

6. *Nisi sis beneficiatus.*

Nota autem hoc Decretum non tangere primò Beneficiatos (ut declararunt Cardinales) qui possunt excessum consueti Stipendii, alteri pro Missis alioquin celebrandis assignati, retinere sibi ipsis. Uti etiam potest hoc ipsum Capellanus habens Solarium stabile instar beneficiati. Similiter non tangit illos, qui pinguius Stipendium accipiunt per modum eleemosynæ, tanquam à speciali amico, vel benefactore.

7. *Non licet duplex Stipendiū accipere pro fructu specialissime, & medie.*

Quæres tertiò: An Sacerdos possit duplex Stipendium pro una Missa accipere, applicando uni partem illam fructùs, quæ ipsi sacrificanti respondet? Nonnulli hoc affirmant, etiam post Decreta Urbani VIII. tamen Ego. Respondeo Negativè, etiam independenter à Decretis Urbani. Ratio mea est; quia incertum est, an pars illa fructûs sit altari applicabilis: Similiter incertum est, an ista portio sit ex opere operato, & quanta: etsi quidam conjecturent æquivalere portioni, quæ datur ei, pro quo sacrificatur; alii tertiæ parti: Unde his incertitudinibus nolunt exponi dantes certum Stipendium, qui censentur exigere fructum Sacrificii certum. Tandem nuper Alexander VII. oppositum damnavit propositione 8.

8. *Idem dicendum de fructu impetrationis, & satisfactionis.*

Hinc etiam non potest Sacerdos regulariter loquendo accipere à duobus Stipendium, quorum uni applicet fructum satisfactorium, alteri impetratorium: dans enim Stipendium ordinariè desiderat utrumque secus dicendum; si unus dans consentiat in dimidiationem fructûs.

9. *Si intervenerit liberalis conventio potest 2. fructus impetrationis, & satisfactionis, applicare.*

Nota: Qui liberaliter promisit celebrare, uni pro sanitate; & alteri promisit celebrare pro satisfactione pœnarum defuncti parentis; satisfacere potest unicâ Missâ, applicando uni unum fructum, & alteri alterum ex prænominatis. Similiter qui voluit dicere Missam in gratiarum actionem pro obtento beneficio, videtur posse fructum satisfactorium alteri applicare: Ratio est: quia nulla extat de hoc prohibitio.

10. *Quantum sit peccatū non celebrare pro Stipendio accepto.*

Quæres quartò: Qualiter peccet, qui acceptô Stipendiô Missæ, non celebrat Missam? Nav: Aragon: Bonacin: &c. putant Sacerdotem acceptô Stipendiô non celebrantem peccare mortaliter, etiamsi alioquin Stipendium non attingeret notabilem furti materiam; cùm notabile damnum spirituale, id est privatio fructûs Missæ inferatur. Ego tamen cum aliis arbitror esse parvitatem materiæ unam tantùm Missam omittere; neque hic est attendendum ad damnum spirituale; sed quantitas materiæ est mensuranda ex quantitate Stipendii. Unde negligere restitutionem unius, vel alterius Stipendii Missæ, non est mortale; cùm Stipendium non sit gravis materia. Ita Herinx disp: 8. q. 15. Et alii DD:

11. *Et quando liberaliter promissa est Missa.*

Quod à fortiori locum habet in negligente Missam liberaliter promissam; etiam concesso (quod tamen multi negant) simplicem promissionem obligare graviter; imò ex doctrina Sanch; & plurium

aliorum,

aliorum in promiſſiooibus; cùm requiratur quantitas triplo, vel quadruplo major, quàm io ſorto; ot ſit materia peccati mortalis: proinde conſequenter hic procedendum foret.

12. *Num ſatis fiat obligationi, accipiendo Miſſam pro Miſſa?*

Quæres qoiotò: Ao Sacerdos, qui accepit Stipeodium ad celebrandam certam Miſſam v. g. deſuoctorum vel votivam; ſatisſaciat ſuæ obligatiooi, celebrando aliam Miſſam v. g. de ſeſto correote? Reſpoodeo: Affirmativè: non ſolùm, quando illo die occurrit doplex, quo caſu DD: commuoiter hoc admittuot; verùm etiam absque ulla dierum limitatione. Ratio eſt: quia idem Sacrificium eſt, & habet eundem effectum; preces verò, & orationes pro defunctis, vel illius ſaocti, de quo votiva petebator, compenſari poſſunt per alias Orationes & aliunde expedit, cooſuliturque io Rubr. Miſſ: ut Miſſa ſit conformis officio. Atteodendum tamen eſt, ne fiat turbatio beoeſactorum, qui determinatas Miſſas daſideraot.

13. *In Nativitate Domini Capellanus poteſt duas Miſſas pro ſe applicare.*

Nota: quòd Capellaous non teneatur in Nativitate Domini dicere 3. Miſſas ad intentionem Fundatoris; ſed poteſt dicere duas pro ſe. Item noo tenetur celebrare in triduo Majoris Hebdomadæ præter uſum receptum Eccleſiæ, aſto alioquio feriâ 5. & Sabbatho ſaocto licitè celebrare poſſit. Item io die commemorationis omnium Fidelium deſuoctorum coovenit, ut applicet Miſſam generaliter defunctis, etſi ad hoc non ſit obligatus ſtrictè; uti nec reliqui Sacerdotes.

QUÆSTIO X.

De Tempore, & Loco celebrationis: & num liceat aliquando plures Miſſas legere?

1. *Ad auroræ initium licitum eſt ſacrificare.*

DICO primò: A puocto ſurgentis auroræ usque ad meridiem, licitum eſt omni presbytero celebrare Miſſam. Ita omnes Cau: & Summ:

Probatur ex uſitata Eccleſiæ praxi. Et cooceditur ab Ioooc: Can: *de Conſecrat*: d. 1. Cao: 48. Porro circa aſcenſum auroræ.

2. *Quando initium auroræ cenſeatur eſſe:*

Nota primò: Punctum auroræ, calculò Mathematicorum iocipere ſolidâ mediâ horâ, aotequam ſolare Corpus radios vibret ſupra horizootem, eo quòd Sol adhuc diſtet 10. circiter gradibus ab horizoote.

3. *Quo tempore licitũ ſit circa meridiem celebrare.*

Nota ſecuodò: ſufficere ad evitandam culpam, ſi Miſſa inchoetur modico tempore ante meridiem; vel etiam brevi poſt; ut habet Suar: Rodriq: Laym: Con: & alii: hoc enim tempus noo eſt ita mathematicè calculandum; cùm nulla Eccleſiaſtica lex exprimat talem calculatiooem: Imò

4. *In caſu viatici dandi poteſt anticipari Miſſa, vel tardius dici.*

Nota tertiò: ſi deberet porrigi viaticom, & deeſſet particula Cooſecrata; poſſet Miſſa inchoari aote auroram, & poſt meridiem, absque Epiſcopi licentia; qoi aliàs ob realem & rationabilem caoſam, v. g. præſentiam funeris Priocipis, vel ſimilem, poteſt diſpenſare io tempore præfixo celebratiooi Miſſarum.

5. *Item in caſu itineris.*

Nota qoartò: Etiam Presbyterum, itioere fataliter impeditum, unâ horâ poſt meridiem, in die ſeſto poſſe Sacrificare, ut habet Miraoda. Heoriq: &c:

6. *Non dicto Matutino licitum eſt celebrare.*

Nota quintò: plures DD: ot Leſſ: Con: Rodriq: Vaſq: Sa, &c. ut probabiliorem ſuſtioere opioiooem illam, quæ docet, ooo fore peccatum mortale, ſacrificare ante recitatum officiom Divioum Matutinale.

7. *In Paraſceve non eſt conceſſum celebrare.*

DICO ſecundò: Io die Paraſceves eſt peccatum ſacrificare. Eſt commuois DD:

Probatur: ageretur cootra vetuſtam Eccleſiæ praxim, quam habet Inooc: I. Epiſt: *ad Decentium* c. 4. Et eſt inſertum Corpori Juris Can: cap: *Sabbatho* diſt: *3. de Conſecrat*: D. Thomas quæſt: 83. art: 2: ad 2. affert rationem; qoia videlicet Eccleſia hoc die recolit realem Paſſionem, & cruentom Chriſti Sacrificiom; unde congruit omittere myſticum, & iocruentom. Et hinc Sacerdos in Miſſa Paraſceves non Cooſecrat; ſed hoſtiam pridiè Conſecratam ſumit, projectâ ejus particolâ in vino.

8. *Nec debet dari communie.*

Nota ſextò: etiam prohibitum eſſe hoc die, exceptis ioſirmis, commuoiooem porrigere fidelibus, ut habet S. Congregatio Rit: ſob die 19. Februar: ao: 1606.

9. *In Cœna Domini & Sabbatho S. potes licitè celebrare privatim.*

Nota ſeptimò: Io Cœna Domioi, & Sabbatho ſancto quemlibet privatim poſſe celebrare, absque popoli frequentia, & Scandalo, ſi quod eſſet. Ita Doctores commuoiter.

10. *Jus Commune de loco celebrationis.*

DICO tertiò: Stando Juri Commuoi, io ſolo loco ab Epiſcopo Conſecrato, aut benedicto, licitum eſt ſacrificare. Ita Scotus 4. d. 13. q. 2. S. Thom: Sanchez & alii.

Probatur ex cap: *ſicut* & cap: *nullus, de Conſecrat*:

11. *Celebrans in loco nõ benedicto ab Epiſcopo peccat;*

Hioc ioſertur: graviter peccare eos, qui absque privilegio extra Eccleſiam, vel extra Oratorium ab Epiſcopo deſigoatum celebrant; niſi adſit juſta neceſſitas: Juſtæ autem oeceſſitates jure novo ſuot primò; Si Eccleſia alicubi diruta ſit: habetur io cap: *concedimus*, diſt: *de Conſecrat*: Secundò:

ſi ſit

nisi adsint causæ rationabiles. si sit Ecclesia ab infidelibus occupata. Tertiò; in magno populi concursu. Quartò; in longa peregrinatione Fidelium per loca barbara, vel hæretica.

12. *Non debet dici Missa in loco violato.* DICO quartò: Missa non potest celebrari in loco violato: Est communis Canonistarum.

Probatur ex Canonibus, hoc vetantibus; Et usu Ecclesiæ.

13. *Violatur Ecclesia per Sanguinis effusionem injuriosam.* Nota autem octavò: quinque modis posse violationem Ecclesiæ contingere: Primò per *injuriosam sanguinis effusionem* cap: *proposuisti* cap: *ult: de Consecrat; Ecclesia*; & cap: *ult*: Tit: eodem in 6. Ratio est: quia magna irrogatur injuria sanctitati Loci. Necesse est autem ut percussio, sive vulnus infligatur homini existenti in Ecclesia, non super tecto, aut turri, aut in crypta Ecclesiæ; etiamsi Sanguinem ex vulnere jam extra Ecclesiam fundat, vel in strophiolū; dummodò data sit causa effusionis in Ecclesia: imò etsi vulnerans extra Ecclesiam existat; quia æquè hoc casu contra sanctitatem Loci peccat. Deinde necesse etiam est; ut factum sit notorium Juris, aut Facti notitiâ; sicut ex communi docet Sà, Durand: &c. Item necesse est; ut injuria pertingat ad culpam mortalem; ita Suar: Con: &c. Unde si casu, vel injustam sui defensionem excutiatur alteri sanguis; vel cum veniali tamùm injuria; ut cùm pueri ex veniali colera sibi sanguinem eliciunt; non violatur Ecclesia. Denique opus est; ut sanguinis non aliquæ guttæ tantùm, sed plures è naribus eliciantur; quia effusio plus aliquid significare videtur, ut docet Abbas in cap: *proposuisti, de Consecrat.* Imò etiamsi effusio copiosa sit, si tamen percussio, & læsio non sit gravis, Ecclesia non debet censeri violata.

14. *Per homicidium voluntarium.* Secundò: Violatur Ecclesia *per homicidium injuriosum notorium*, quod, vel cujus causa, perpetratum est intra Ecclesiam, quamvis sinè sanguinis effusione: ita habetur cap: *proposuisti* cit: Dixi *vel cujus causa*; necesse enim non est, ut homo intra Ecclesiam moriatur (imò hoc ad rem non pertinet, quia si foris percussus intra Ecclesiam se reciperet, & moreretur, Ecclesia nō violaretur) sed solùm requiritur, ut aliquis non sinè injuria mortali intra Ecclesiam plagā receperit, ex qua postea, etiam multis elapsis mensibus, mortuus sit. Nota etiam si percussio, strangulatio &c. facta intra Ecclesiam injuriosa non sit percusso; sufficit tamen quòd sit injuriosa sanctitati Loci, ipsique DEO, ad contrahendam Ecclesiæ violationem; ut si quis seipsum vulneret: item si Judex reo mortis supplicium in Ecclesia inferat.

15. *Per seminis humani effusionem illicitam notoriam.* Tertiò: Violatur Ecclesia *per illicitam, & notoriam humani seminis intra Ecclesiam effusionem*: habetur cap: ultimo *de Consecrat: Ecclesia.* Et cap: *Ecclesiis* dist: 1. *de Consecrat*: sive ea fiat per voluntariam pollutionem; sive per carnalem copulā, etiam conjugalem: præterquam si carnalis copula, ob urgentem necessitatem, diu in Ecclesia manendo tempore belli v. g. habeatur, & probabile periculum incontinentiæ à culpa mortali excuset, ut docet Paludanus, Less: &c.

16. *Modificatio dictorum.* Nota autem hic: quòd secundùm DD: hæc effusio debeat fieri in vigilia, unde si in somno contingat; etsi causa ipsi data fuerit antea, non violatur Ecclesia.

17. *Etiam per sepulturā hominis Excommunicati.* Quartò violatur *per sepulturam hominis Excommunicati*; habetur cap: *consuluisti, de Consecrat*: Requiritur tamen post Conc: Constantiense, ut sit Excommunicatus non toleratus; id est, ut sit publicè denuntiatus; vel sit notorius percussor Clerici; sicut notant Suar: Con: &c. Et Nav: in lib: 5. Conc: 10. *de hæreticis* edit: 1. ad 4. quæst: dicit, per sepulturam Hæretici, non denunciati nominatim, locum sacrum non violari: ita in cap: *Sacris, de sepulturis*; imò neque per sepulturam hominis personaliter interdicti violatur Ecclesia: ita Suar: &c. quia nullum extat jus circa hoc.

18. *Et Infidelis tumulationem.* Quintò tandem violatur Ecclesia per *sepulturam Infidelis Pagani, & non baptizati*: habetur cap: *Ecclesiam* 1. & 2. *de Consecrat*: dist: 1. tametsi is infans sit: si tamen in utero matris mortuus sit, unà cum matre Fideli sepeliri potest; quia mater cum fœtu unum corpus censetur: ita Palud: & alii DD:

19. *Discrimen inter enumeratos modos.* Est autem notandum discrimen inter 3. priores modos violandi Ecclesiam, & 2. posteriores: quòd priores illæ violationes contrahantur per actionem culpabilem: ad posteriores verò non requiratur culpa. Circa omnia prædicta.

20. *Pollutâ Ecclesiâ polluitur Cœmeterium contiguū, non è contra.* Nota primò: Pollutâ Ecclesiâ, pollui simul Cœmeterium, si contiguum sit; ita ut ibi nemo possit sepeliri; antequam reconcilietur: non è contra; ratio est: quia juxta communem Juristarum: principale trahit ad accessorium, non è contra: habetur etiam in cap: *unico, de Consecrat: Ecclesia*, in 6.

21. *Casus inferentes violationem Ecclesiæ* Nota secundò: locum sacrum in prædictis 5. Casibus non censeri violatum, nisi de eis publicè constet, sive evidentiâ facti; sive confessione authoris; sive aliâ ratione: quare

Ii

[...]sia debent esse publici.

quare quamdiu res manet occulta, sic, ut non nisi pauci sciant, Ecclesia non est polluta; polluetur autem quandocunque propalabitur: ita DD: apud Suar:

22. *Ecclesia solùm benedicta potest à quovis Sacerdote reconciliari: Consecrata, ab Episcopo: Speciale Privilegium Reg. circa hoc.*

Nota tertiò: Si Ecclesia solùm sit benedicta; potest per Sacerdotem cum aqua ab ipso benedicta reconciliari; ut colligunt DD: ex c. *Si Ecclesia, de Consecrat:* Et idem dic de Cœmeterio solitariè posito violato: si verò Ecclesia sit Consecrata ab Episcopo, debet per Episcopum reconciliari, aquâ ab aliquo Episcopo benedictâ, cum vino, & cinere. Prælati tamen Regulares ex Privilegio Leonis X. Bulla 6. apud Rodriq: possunt suas Ecclesias Consecratas, quando pollutæ sunt, reconciliare; sed aquâ ab Episcopo benedictâ, cum vino & cinere; nisi Episcopus distet ultra 2. diætas; diæta una continet 20. milliaria Italica seu 4. Germanica; tunc enim reconciliare possunt aquâ à se benedictâ. Ita Rodriq: Portel. &c. Imò ex privilegio Pontificis ejusdem possunt iidem Prælati suas Ecclesias, & Cœmeteria benedicere.

23. *Sacrificatio sola nō reconciliat Ecclesiam pollutam.*

Nota quartò: contra Sà, Avilam &c. Ecclesiam violatam non reconciliari per præsentiam Corporis Christi; quamvis bonâ fide contingat in ea celebrari. Ita Portel, Præpositus, &c. Ratio est; quia Ecclesia non Consecrata, per hoc non Consecratur, vel benedicitur, quòd ibi Missa legatur; aliàs sanè etiam loca privata, in quibus celebratur, Consecrarentur: ergo à pari nec violata reconciliatur.

24. *Quid faciendum Sacrificanti tempore violationis Ecclesiæ.*

Nota quintò: Si Ecclesia sub Missæ Sacrificio violetur, priusquàm Canon inceptus sit; debet Sacerdos abstinere; si autem post Canonem inceptum, non. Ita Suar; Con: &c.

25. *Quæ ruina Ecclesia petat novam Consecrationem.*

Nota sextò: Ecclesia semel Consecrata debet iterum Consecrari, quando ita exusta est, ut etiam parietes sint destructi, & excrustati, habetur cap: *Ecclesiis 20. de Consecrat:* dist: 1. Ratio est; quia Consecratio consistit potissimùm in exterioribus crustis parietum. Si autem parietes in sua integritate manserint; licèt tectum corruerit, manet Consecrata. Quòd si parietes successivè destruantur: ita tamen, ut reparentur, antequam major pars censeatur periisse; Ecclesia non perdit Consecrationem. Ratio est: quia semper partem minorem accessoriam inconsecratam traxit ad se pars major Consecrata. Colligitur ex cap: *cùm in duobus, de Consecrat:* Multò minùs execratur per dealbationem.

26. *Quid Ecclesia violata, & execrata?*

Nota septimò: discrimen inter Ecclesiæ violationem, & execrationem; nam pollutâ Ecclesiâ, polluuntur etiam omnia altaria ejus: at verò execratâ Ecclesiâ per lapsum parietum, non ideò execrantur altaria. Ita Abbas, Sylv: &c.

27. *Regulariter non licet plures eôdem die Missas dicere.*

DICO quintò: Modò non licet regulariter eidem Sacerdoti plures Missas dicere eôdem die. Est communis Canonistarum, & Theologorum.

Probatur ex cap: *consuluisti, de celebratione Missar:* Et cap: *te referente.* Dixi *modo,* quia olim licitum fuit pluries in die celebrare; & S. Leo Papa, ac Bonif: Archi Episc: interdum septem, & novam Missas referuntur celebrâsse.

28. *Attamen necessitas permittit plures eôdem die Missas legere.*

A Conclusione excipitur casus necessitatis eodem cap. expressus; ubi dicitur: *Nisi causa necessitatis suadeat;* quæ dum adest, pluries celebrare licet; etiam ter, vel quater: quæ necessitas non debet esse extrema; sed prudenter determinanda; ut colligitur ex c. *sufficit, de Consecrat:* d. 1.

29. *Quinque in specie casus plurificandi Missas eôdem die assignantur.*

Casus autem necessitatis quinque à Pallud: referuntur; quos etiam admittit Anton: Nav: *in sum:* & Sylv: v. *Missa.* *Primus est:* si aliquis Pastor habeat duas Parochias; nec possit habere substitutum commodè; hunc casum communiter admittunt DD: imò Vasq: hunc solum; & practicatur à nostris Missionariis in Anglia, Hibernia, & Albania. *Secundus:* si Sacerdos moneatur post Communionem de communicando moribundo; potest dicere alteram Missam: si autem antè Communionem, debet ex hostia principali unam particulam reservare. *Tertius* in Dedicationis Ecclesiæ die, cum Ecclesia magnum populi concursum non capit; vel quando peregrini tardè adveniunt in die festo; vel aliqua insignis persona v. g. Episcopus, Princeps, vel similis; etiam die feriali. *Quartus:* Pro nuptiis, ut detur benedictio. *Quintus:* propter defunctum, sub Missa tumulandum: ultimi duo apud me non adeò certi sunt: totum prudentis viri arbitriò pensandum relinquitur hìc.

In casibus præfatis, si bis celebretur; omninò requiritur, ut Sacerdos cùm primò Sacrificat, sciat se postea iterum debere celebrare; adeoque ne sumat ablutionem; ut monent DD: si autem jam sumpsisset ablutionem, divisi sunt DD: aliis affirmantibus; aliis negantibus, quòd possit secundò celebrare: eligatur opinio quæ magis placet.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

De Ara, ſacris Vaſis; & Veſtimentis Miſſæ celebrandæ.

1. Ad celebrationem requiritur Ara lapidea.

DICO primò: ut licitè quis celebrare Miſſam valeat, requiritur Ara. Ita Catholici.

Probatur ex determinatione, & praxi Eccleſiæ; ac communi DD: ſenſu.

Nota autem: modò Aram hujusmodi, ſeu altare debere eſſe ex lapide plano; Sic enim ordinatur in cap: *altaria* Diſt: 1. *De Conſecrat*: licèt olim vigente tyrannide, licitum fuerit in ligneo ſacrificare, in Cryptis Martyrum, & ſpeluncis; eò quòd de facili amoveri potuerit.

2. Et quidē conſecrata ab Epiſcopo.

DICO ſecundò: Altare lapideum debet eſſe chriſmate ab Epiſcopo delibutum.

Probatur ex cap: cit: *altaria*: & *Epiſt*: Leonis I. quæ eſt 92. *ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ*, hoc ſtatuente.

3. Quid Altare portatile & fixum: & quomodo amittat utrumq; Conſecrationem.

Nota deinde ſecundò: duplex eſſe Altare, portatile, & fixum. Altare portatile Conſecrationem non amittit, etiamſi à ligno, cui incluſum eſt, ſeparetur; dummodò ipſe lapis notabiliter non frangatur, ita ut ſepulchri ſignum, id eſt, locus reliquiarum non avellatur, & calix ſuper id ſtare poſſit. Fixum amittit Conſecrationem, ſi ejus menſa, ſeu lapis à pede, vel columnis, quibus innititur, amoveatur; vel ita enormiter frangatur, maximè per medium; vel ubi facta eſt Conſecratio, ut ad uſus ſacros reddatur ineptum, aut nimiùm deforme ad arbitrium Epiſcopi: Item violatur per fractionem, vel imminutionem ſepulchri reliquiarum. Ita Canoniſtæ in cap: *ligneis*. Erit autem ſufficiens altare fixum ad retinendam Conſecrationem; ſi pars integra aliqua delibuta capere poſſit Calicem, & Patenam.

4. Quomodo Corporale, & Veſtes Sacerdotales amittant benedictionem.

Quod dixi de enormi fractione lapidis ſacrati; idem ſecundùm proportionem dicendum eſt, de fractione Corporalis, ac veſtium benedictarum; nam alba v. g. benedictionem amittit; ſi per fractionem inepta fiat ad uſum ſuum ſacrum; vel ſi cingulum ita frangatur; ut neutra ejus pars ad cingendum ſufficiat: ſi tamen ante plenam fractionem, reficiatur, & partes connectantur, manet benedictio. Ita Sylv: Henriq: &c. Simili ratione, Calicis, & Patenæ Conſecratio perditur per notabilem fractionem; aut deſtructionem eorum figuræ: non item per ſolam ſeparationem pedis à cuppa in calice tornatili. Ratio eſt: quià ſola cuppa in calice tornatili Conſecratur. Ita Armilla, Suarez, Henriq: &c. Non amittitur Calicis, & Patenæ Conſecratio; etſi interior inauratio temporis diuturnitate penitùs abſumpta ſit: Ita præter cit: DD: Sylv: Con: imò juxta Sà, Con: Dian: & alios, etſi de novo inauretur; tutiùs tamen eſt, ut de novo Conſecretur.

5. Calix ad Miſſam requiritur: ex quali materia debeat eſſe.

Calix cum Patena, qui eſt ſecundum requiſitum ad celebrationem, debet eſſe ex auro; vel argento; vel ratione paupertatis ſaltèm ex ſtanno; ut habetur cap: *ut calix, de Conſecrat*: diſt: 1. nullo autem modo ex vitro; vel ligno; ut prohibetur ibidem: neque ex ære; vel auricalco; ut prohibetur cap: *ut calix*: quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat; ut dicitur ibidem: Sufficit tamen, cuppam eſſe ex auro, argento, vel ſtanno; pes enim poteſt eſſe ex ære; vel ſimili materia; fortè tamen tranſiret calix ex cupro fortiter inauratus, quales in Urbe Romana in nonnullis Eccleſiis dicuntur eſſe, ſecundùm Lug: diſp: 20.

6. Calix debet eſſe Conſecratus; non item Ciborium, vel Lunula Monſtrantiæ.

Calix cum Patena debet eſſe Conſecratus: habetur cap: uni: *de S. Unctione*. De pyxide etiam, ſive Ciborio (idem eſt de Lunula in Monſtrantia) aliqui docent, debere eſſe Conſecratum: alii, meliùs ſuſtinent, ſufficere quamcunque ſimplicem benedictionem ejus; quam adhibere poſſunt ii, qui poſſunt benedicere Corporalia, & reliqua apparamenta, in quibus chriſma non intervenit. Materia pyxidis hujus non eſt determinata; ſed ex decentia debet eſſe eadem, quæ Calicis.

7. Purificatorium non debet eſſe neceſſariò benedictum.

Nota tertiò: Purificatorium, quod etiam requiritur ad celebrationem, non debet eſſe neceſſariò benedictum; unde poſſet quis locò purificatorii mundum aliud ſtrophiolum ſine ſcrupulo adhibere, dummodò ipſum poſtea non applicet ad uſus profanos: Ratio eſt: quia nulla extat benedictio Purificatorii in Pontificali.

8. Qualiter amictus alba, cingulum &c. requirantur ad celebrationem?

Nota quartò: Requiri etiam ad celebrandum, amictum, albam, cingulum, manipulum, ſtolam, & caſulam; idque ſub mortali ſecundùm Doctores communiter; quamvis teſte Præpoſitò aliqui probabiliter putent, non fore mortale; ſi unum, aut alterum omittatur in neceſſitate, v. g. cingulum, manipulus, vel ſtola; Illud etiam probabile eſt; Sacerdotem poſſe uti ſtolâ pro manipulo, & cingulô, & ſimiliter manipulô oblongô, pro ſtola: Ratio eſt: quia ſimilem habent benedictionem.

9. Mappæ Altaris quot ſint neceſſariæ?

Nota quintò: Requiri ſimiliter; ut Altare, in quo celebratur, ſit coopertum mappâ triplici; vel ſaltèm duplici; quarum una totam ejus menſam tegat: ſufficit ta-

men una lunga duplicata: Et si sit necessitas, sufficit una, simplex cum Corporali. Ita Azorius, Præpos: &c. hæc si Corporali sit paulò major, potest duplicari. Prædictæ mappæ soleot esse ab Episcopo, vel alio potestatem habente, benedictæ: sine mortali tamen, secundùm DD: plures, etiam non benedictæ adhiberi possunt; maximè, quando benedictæ commodè haberi nequeunt. Ita Vasq: &c.

10. *Quale debeat esse Corporale?* Nota sextò: requiri ulteriùs pro celebratione Corporale; quod ex lino tantùm esse debet; nec sericò, vel aurò in medio intextum benedictum ab Episcopo, vel potestatem habente, simul cum Palla, quæ censetur esse pars Corporalis. Tambur: tenet, Corporale, & Pallam etiam posse esse ex canabe; quamvis enim istæ telæ specie physicâ differant; in acceptione tamen communi hominû censentur lineæ.

11. *Quid de lumine & Cruce sentiendum?* Nota septimò: requiri etiam lumen accensum ex cap: *Litteras, de Celebrat: Miss:* quòd verò in Missali præscribantur duæ candelæ, est solùm de condecentia; unde in necessitate sufficit lucerna ex oleo, imò & candela ex sevo. Requiritur etiam Crux, in medio Altaris ponenda. Ejus tamen omissio non esset peccatum mortale; cùm nullum jus, vel consuetudo hoc dicat; quare ob hujus defectum non esset Missa omittenda. Ita Herincx, &c. Tandem Altaris frons, seu anterior pars debet esse vestita antipendio. Vide reliqua in Rub: *Missalis Romani novi.*

12. *Altare, & Calix consecrantur per solam etiam Celebrationem Missæ.* Nota octavò: Per unius Missæ celebrationem super Altari non consecrato, ipsum altare Consecrari: Quod similiter dicendum de Calice; ac aliis ornamentis. Ita Diana, Castrus &c.

13. *Regularis Laicorum privilegiû circa tactum calicis.* Quæres primò: An Clerici Regulares, sacris Ordinibus non initiati, & Regulares Laici, possint tangere calices, & cætera ad usum Divinum benedicta? Respondeo Affirmativè: quia ita concessit eis Sixtus IV. inter vivæ vocis Oracula. Item Callistus III. ut habetur *in Monum: Ord:* fol: 65. concess: 9. excipe, nisi calices actu contineant Eucharistiam. Standum tamen est modernæ praxi, & Ordinis consuetudini, quæ Laicis, & Clericis, necdum Subdiaconis, vetat tangere, calices, ciboria, & corporalia sine particulari Ministri Provincialis licentia; ut sic sacratiùs à sacratis tantummodò personis sacra vasa, & suppellex tractentur. Si à Clericis non ordinatis, Laicis sæcularibus, & fœminis absque contemptu, vel præsumptione tangantur calices, erit tantùm veniale peccatum: Ita Herincx, &c. AA:

14. *Sacra vasa, & vestes non sunt profananda.* Nota deinque: Vasa, & Vestimenta sacra cum antiqua forma non posse converti ad usus profanos: habetur cap: *in sancta*: si verò forma mutetur, atque adeò benedictio, vel Consecratio tollatur; possunt converti ad usus profanos. Item de licentia Episcopi; vel similem potestatem habentis.

15. *Sinè Ministro quando possit dici Missa.* Quæres secondò: An in casu necessitatis possit dici Missa sinè ministro v. g. ad communicandum moribundum; vel si minister inchoatâ Missâ aufugiat? Respondeo Affirmativè: quia præceptum in consuetudine fundatum, non censetur obligare, nisi extra casum necessitatis. Minister Missæ non potest esse fœmina: habetur cap: *inhibendum, de cohabitat: Cleric: & mulierum*: unde Doctores dicunt potiùs sinè omni ministro, quàm cum fœmina, esse dicendam Missam.

QUÆSTIO XII.

Afferuntur Privilegia Regularium circa Missæ celebrationem, quoad Tempus: Locum: & Benedictionem Vestium sacrarum.

Circa Privilegia Regularium, quoad Tempus celebrationis Missæ.

1. *Regulares quâcunque horâ diei festi possunt licitè celebrare.* DICO primò: Regulares possunt dicere Missas diebus Dominicis, & Festis, quâcunque horâ debitâ; etiam antequam Parochus Loci, vel Rector principalis Ecclesiæ celebraverit.

Probatur: quia ita declaravit S. Congregatio Concilii, num: 5. in Declarationibus, quæ ponuntur à Peyrino, super Constit: 7. Pii V. 5. 10. Et Leo X. Constit: 21. *Intelleximus* &c. declarat audientes Missam in Festis, & Dominicis apud Regulares, Ecclesiastico præcepto satisfacere.

2. *Etiam unâ horâ ante auroram.* Nota deinde: Regularibus Privilegiatis varias esse factas concessiones celebrandi unâ horâ ante auroram: imò ex concess: Leonis X. statim post Matutinum; & post meridiem, etiam usque ad horam 9. Hebraicam, hoc est tertiam nostram pomeridianam, rationabili occurrente necessitate; quæ videri possunt in *Compendio Privilegiorum*, verbo *Missa*. Nec revocata esse hæc privilegia per Tridentinum Sess: 22. contra aliquos docet Rodriq: tom: 1. q. 43. art: 5. Lugo, & alii DD.

Circa Privilegia Regularium, quoad Locum celebrationis Missæ.

3. *Item in domibus, & oratoriis privatis.*

DICO secundò: Possunt omnes Sacerdotes Regulares, de licentia duntaxat sui Superioris, in Oratoriis, in domibus privatis erectis, debitè dispositis, & ritè conservatis; & extra proprias Ecclesias, in vi suorum Privilegiorum, seu principaliter, seu per communicationem concessorum, irrequisitis Parochis, & quocunque alio Superiore, Missam celebrare; & SS: Eucharistiæ Sacramentum administrare.

Probatur ex Bulla Pauli IV. quæ incipit, *Cùm sicut exponi*, edita ad instantiam F. Angeli Aversa Ord: nostri Seraphici Generalis. Et alia Clementis VII. quæ incipit, *Nuper nobis*. De his legatur noster Moronus, Responsò 99. ubi efficaciter probat, Regulares posse Missas celebrare, & SS. Eucharistiam distribuere in Oratoriis Sæcularium privatis, irrequisitis, & contradicentibus Parochis, ac Episcopis.

4. *Imò in omni Loco honesto decenter ornato, & reverenter habito.*

Nota secundò: Regulares ubique locorum in Altari portatili sine licentia Episcopi posse Missam celebrare, modò sit locus reverenter & decenter accommodatus, non tantùm tempore necessitatis; sed quocunque tempore, cùm opportunum judicatum fuerit. Probatur ex diversis concessionibus Apostolicis. Prima est, Clementis VI. incipit; *virtute conspicuæ*. Secunda est Sixti IV. relata à Rodriq: tom. 1. *Quæstionum Regul:* q. 47. art: 4. Idem concessit nobis Minoribus Alexander IV. Et Societati JESU Paulus III. Bulla incipit; *licèt debitum*; in qua concessione communicamus nos Minores. Quod Privilegium concessum est etiam à Greg: IX. Archiepiso. Linconiensi directum, in jure communi insertum cap: *In his, de Privilegiis, & excessibus Privileg:* in quo apertè hæc veritas pro Minoribus, & Dominicanis definitur.

5. *Corollaria Concess: Papalium in favorē Regularis quoad Locum Celebrationis.*

Ex quo Privilegio 4. manifesta sunt: Primum: Minores, & Dominicanos illam facultatem ubique celebrandi in Altari portatili possidere. Secundum: Illam facultatem à jure esse confirmatam. Tertium: Esse independentem ab Episcoporum assensu. Quartum: Interpretationem illam, quæ ad facultatis hujusmodi usum, Episcoporum assensum desiderare videbatur, à jure esse reprobatam. Ita habetur in Bullario Roderici, inter Constitutiones dictorum Pontificum.

6. *Tridentinum exponitur pro Regularibus.*

Nota hic: Quamvis prædictis Privilegiis obstare videatur Decretum Tridentini Sess: 22. cap: un: *de observandis & evitandis in celebratione Missar.* sequentis tenoris ad Episcopos directum; *neve patiantur privatis domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad Divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium à sæcularibus, aut Regularibus quibuscunque agi: additurq; in fine: non obstantibus Privilegiis &c.* Verumtamen dico cum Canonistis Regularibus Brugnoli, &c. quòd si vis illius clausulæ, *non obstantibus Privilegiis*, afficeret Regulares, eorumque Privilegia; non propterea revocaret hoc Privilegium Gregorii IX. cùm sit insertum juri communi cap: *in his, de Privil:* Ratio est: quia inserta Corpori Juris, similibus clausulis revocatoriis, *non obstantibus Privilegiis* &c. minimè tolluntur: quod sic probo efficaciter: idem prorsus Privilegium à Jure communi concessum fuit Episcopis, sicut & Regularibus; sed per dictam clausulam, quæ æquè ad Episcopos, ac ad Regulares ex vi verborum se extendit, cùm sit universalis, dictum Privilegium firmum subsistit pro Episcopis, & non censetur revocatum; ut constat ex Declaratione Cardin: referente Barbosâ, pronunciatâ 9. Septembris 1591. ergo nec revocatum est pro Regularibus. Ita tenet Brugnoli, Diana, & alii DD: apud ipsum p. 4. tract. 4. *Miscel: resolutione* 106. In hoc puncto tametsi Privilegium sit clarum, & sine scrupulo Regulares, præsertim Mendicantes, super portatili possint in quocunque Loco honesto celebrare Missam; tamen pro pace conservanda inter nos & Loci Ordinarium, quantùm fieri potest commodè, remittantur pro facultate, seu annuentia ad Ordinarium Sæculares, qui Missas à nobis desiderant in domibus.

7. *Specialis facultas Reg: in Missionibus celebrandi ubique.*

Nota tandem: Esto quòd Tridentinum revocet prædictum Privilegium; quod firmiter negat Rodericus, & alii: attamen Regulares eo non obstante, in suis Missionibus uti possunt ex Privilegio Gregorii XIII. Societati JESU concesso, & per Communicationem extenso ad alios Ordines.

QUÆSTIO XIII.

An sit Obligatio audiendi Missam?

1. *Est Ecclesiæ præceptum de audienda Missa.*

DICO primò: Extat præceptum Ecclesiasticum vetus audiendi Missam, quò omnes Fideles, non impediti legitimè, constringuntur.

Probatur ex cap: *Missas.* Et cap: *omnes Fideles, de Consecrat:* dist: 1. circa quod

2. *Auditor Missæ qualiter debet adesse Missæ.*

Nota primò: Auditorem Missæ, ut satisfaciat, debere modo humano Missæ adesse; mente scilicet, & corpore; in tali situ, ut ad minùs visu, vel auditu percipiat sacrificantem. Quapropter non adimplent

Kk præce-

præceptum Ecclesiasticum de audienda Missa confabulatores; negotiantes; amoribus puellarum intendentes, per actiones omnis generis distractivas; ut docet Bonac: Brugnoli, &c. DD: & infra de hoc redibit quæstio.

3. *Etiam septennis quandoq; obligatur ad Missam audiendā.*

DICO secundò: Septennes proles, si usum rationis affecuti sint, ad Missæ auditionem, & quidem sub mortali tenentur. Ita Azorius, Sanch: Brug: &c.

Probatur: quia præceptum Ecclesiæ de audienda Missa loquitur indefinitè de omnibus Fidelibus, capacibus præcepti Ecclesiastici; cujusmodi sunt septennes proles: ergo &c.

4. *Non item Catechumenus.*

Nota tamen secundò: Non obligari Catechumenos: hi enim necdum sunt formaliter Ecclesiæ subditi facti.

5. *Audiens duas medias Missas successivè satisfacit Ecclesiæ.*

DICO tertiò: Auscultans duas partes Sacri à disparatis Presbyteris, disparato tempore, adimplet præceptum Ecclesiasticum. Ita Nav: Nug: Sà Brugnoli &c.

Probatur: Duæ partes Missæ faciunt veram Missam; sicut duo successivè perficientes Missam, perficiunt verum Sacrificium: ergo auscultans talem Missam satisfacit præcepto Ecclesiastico. Accedit quòd Ecclesia nunquam reprobet hujusmodi auditionem Missæ.

6. *Omittens principalē partem Missæ non satisfacit Ecclesiæ.*

DICO quartò: Peccat, & non adimplet præceptum de Missa audienda, qui Oblationem, Consecrationem, vel Sumptionem negligit. Ita Azorius &c.

Probatur: quia hæ tres partes sunt integrantes Missam: ergo &c.

7. *Imò omittens Evangelium.*

Nota etiam: si initium Missæ usque ad Evangelium inclusivè omittatur; pariter mortaliter peccatur: uti habent Doctores. Ratio est; quia à DD: censetur gravitas materiæ adesse: Non peccat tamen mortaliter, qui finita Communione, statim discedit: ut vult Rodriq: & Nug: censetur enim parvitas materiæ adesse.

8. *Habens contrariā intentionē audiendi Missam, adhuc satisfacit, si in re Missam audiat.*

DICO quintò: Qui format intentionem non satisfaciendi hâc Missâ Ecclesiæ præcepto, sed aliâ; audit tamen hanc Missam; satisfacit præcepto Ecclesiastico. Ita Nav: Azorius, Bona: &c.

Probatur Præceptum Ecclesiæ petit tantùm actum auditionis Missæ more humano; & non se explicat, an intentio satisfaciendi præcepto Ecclesiæ debeat actui esse annexa: ergo ponendo actum auditionis probabiliter satisfit præcepto Ecclesiastico. Et hinc etiam ignorans esse diem festum; si audiat Missam; satisfacit Ecclesiæ. In his tamen est notandum; ut intra debitum tempus, illi audientes Missam sciant, & cogitent, se nihilominùs præceptum Ecclesiæ adimplevisse.

9. *Quæ actiones impediant sufficientem auditionē Missæ?*

DICO sextò: Non censetur verè audivisse Missam; nec Ecclesiæ satisfecisse; qui majori parte Missæ confabulatur, vel dormit, vel objecta vana intuetur cum positiva distractione; vel confitetur sua peccata; vel concionatur. Est Scoti Anton: Con: Her: Bonac: &c.

Probatur: Hujusmodi actiones omnes impediunt attentionem requisitam, & ut homo putetur moraliter esse præsens Sacrificio: ergo &c.

10. *Recitatio Breviarii vel solutio pœnitentiæ non impedit Missæ auditionē.*

DICO septimò: Qui recitat Horas Canonicas, ad quas obligatur; vel persolvit pœnitentiam pro peccatis injunctam; aut meditatur res divinas; verè audit Missam & implet Ecclesiæ præceptum. Ita Suar: Nav: Bonac: &c.

Probatur: Hujusmodi opera cohærent cum intentione audiendi Missam; nec tollunt moralem præsentiam Sacrificii; vel attentionem; imò eam adjuvant: ergo &c.

11. *Audiendo simul duas partes diversas Missæ non satisfacit Ecclesiæ.*

DICO octavò: Non satisfacit Præceptó de audienda Missa, qui duas partes Missæ simul audit à duobus Sacerdotibus, quorum unus incipit Canonem, alter Introitum; si cesset audire Missam, dum alter pervenit usque ad Canonem. Ita Suar: Herincx, &c.

Probatur: Tum quia hoc est contra communem Doctorum, & Fidelium sensum: tum quia alioquin 7. Sacerdotibus diversas Missæ partes celebrantibus simul, posset quis voluntati Ecclesiæ satisfacere, spatio brevissimo; quod videtur inconveniens. Tandem non satisfacit præcepto de recitandis Horis Canonicis, qui psalmos legeret, alio recitante alios psalmos, & lectiones; etiamsi simul ad recitationem horum psalmorum posset attendere: ergo à pari idem hic dicendum.

12. *Regularibus Missas audiendo ad impletur præceptū Ecclesiæ.*

DICO nonò: Satisfacit Præcepto Ecclesiæ Parochianus, licèt in Regulari Ecclesia Missam audiat. Est communis DD: Tolet: Nav: &c.

Probatur ex Bulla Leonis X. Pauli III. Pii V. pro Regularibus. Unde Episcopus nequaquam potest cogere Fideles ad Missas in Parochiis audiendas, uti etiam declaravit S. Congregatio apud Aversq: q. 11. Sect: 19.

13. *Quinam excusentur ab audienda Missa?*

Nota quartò: Ab auditione Missæ excusantur. *Primò*: qui sinè detrimento proprio, vel alieno spirituali nequit accedere Missam v. g. Puella periculum raptûs in via ad Ecclesiam, vel perdendæ pudicitiæ timens. *Secundò*: qui sinè detrimento proprio,

prio, vel alieno etiam corporali, nequit, v.g. ob infirmitates, vulnerationem, &c. *Tertiò*: qui gravissima negotia debent necessariò conficere, quæ omitti nequeunt. *Quartò*: qui nequit Missam audire absque gravi damno famæ, honoris; ut si vir nobilis veste decenti careat. *Quintò*: Famuli & uxores, qui timerent rixas, verbera &c. *Sextò*: qui notabiliter ab Ecclesia distant; puta unum, & medium Milliare Germanicū, ut vult Covarr: & Her: *Septimò*: Censurâ innodati, Excommunicati, Interdicti, &c. *Octavò*: Consuetudo quorumdam locorum etiam excusat viduas ad tempus post mortem viri. Ita Sylv. &c.

14. *Accolythi accedentes, & recedentes adhuc satisfaciunt precepto de audienda Missa.*

Nota tandem Ministros Missarum, ut Accolythos & similes, licèt ad omnes partes Missæ non adsint, satisfacere Præcepto. Ita Præpos: & Herincx: Ratio est: quia in communi DD: opinione hi assistere censentur toti Missæ; dum Missæ servitiis occupantur.

De defectibus, in Missa occurrentibus supplendis; ejusdem Ritibus, videat Lector Missalia Romana in principio; ubi hæc abundè elucidantur, & proponuntur ab Ecclesia.

DISTINCTIO VI. DE POENITENTIA.

PROLOGUS.

SEcundam post naufragium Tabulam sanctum videlicet *Pœnitentiæ Sacramentum*, fortiter olim negârunt Montanistæ, & Novatiani, quos D. Aug: in *Quæstionibus Novi, & Veteris Testamenti* cap: 102. nervosè refutat. His Errorum Magistris primis subscripsêre deinde Lutherus, cum suis, & Calvinus; qui Sacramentum hoc hominum inventum appellat. Sed veritatem Orthodoxam contra hos definiunt plura Concilia; potissimè verò Florentinum *in Decreto Eug: ad Armen:* & Trid: Sess: 14. Patetque ex Scriptura S. ut suô locô ostendetur, & PP: Quoniam verò Pœnitentia habet duplicem considerationem; unam, ut virtus specialis Moralis est; alteram, ut Sacramentum est; priùs de Pœnitentia, ut habet rationem Virtutis, tractabo. Sit itaque.

QUÆSTIO I.

Quid sit Virtus Pœnitentia; An Virtus Moralis; & an distincta?

1. *Quid Nominis Pœnitentia.*

NOta primò: Ly *Pœnitentiam* etymologicè importare pœnæ tenentiam; ut habet D. Augustinus lib: *de vera, & falsa Pœnitentia*: Et Isidorus; eò quòd Pœnitens dolorem de commissis culpis, & quandam pro eis mulctam sustineat Theologicè.

DICO primò: Benè describitur Pœnitentia virtus actualis; *quòd sit detestatio & dolor de peccato Theologico commisso, determinans sufficienter ad vindicandum peccata eaque posthac evitanda, & ad applicanda omnia necessaria, ut peccator reconcilietur DEO.* Habitualis verò, erit habitus inclinans ad tales actus detestatorios. Est conformiter ad principia Scoti 4. d. 14. q. 2. PP: & Trident: Sess: 6.

2. *Definitio Pœnitentiæ Virtutis.*

Probatur: habet, quidquid desideratur ad debitam descriptionem, ly *detestatio, & dolor de peccato*, est genus, in quo convenit nostra Pœnitentia cum Pœnitentiis Civilibus, ly *Theologico*, cum aliis particulis est differentia Pœnitentiæ, ab omni alio

actu Pœnitentiali, à Theologico distincto: ergo &c.

3. Quæ detestatio sit vera Pœnitentia Virtus? Objicies primò: DEUS, & Sancti habent detestationum peccatorum; sed hi non habent Pœnitentiam: ergo &c. Respondeo: distinguendo Maj: habent detestationem peccatorum, quæ ab aliis committuntur, Concedo Maj: personalium Nego Maj: Itaque ut sit detestatio Pœnitentialis, debet respicere peccata propria ipsius Pœnitentis.

4. Pœnitentia est de genere Virtutum. DICO secundò: Pœnitentia est vera Virtus Moralis. Ita Scot: 4. d. 14. q. 2.

Probatur: Pœnitentia habet omnia requisita ad rationem Virtutis Moralis: inclinat enim ad actus laudabiles, puta detestandi peccata Theologica, eaque vindicandi, & reconciliandi se cum DEO offenso: ergo &c. Confirmatur: Pœnitentia est habitus electivus secundùm rectam rationem, ut displicentia ponatur de malo, & complacentia in bono: sed ex Aristotele 2. *Ethic*: hujusmodi habitus electivus est quædam Virtus: ergo &c. Confirmatur secundò: DEUS ordinavit Pœnitentiam in Veteri, & Nova Lege Matth: 4. ergo est vera Virtus. Consequentia tenet: quia Legislator debet ordinare virtutes, quibus mediantibus subditi fiant virtuosi.

5. Aristotelis error rejicitur. Objicies: Aristoteles 2. *Ethic*: c. 6. ait: Verecundiam non esse virtutem; eò quòd versetur circa turpe factum, de quo erubescit: ergo nec Pœnitentia erit virtus, quæ circa turpia facta Moralia versatur. Respondeo: Aristotelem in hoc dicto errasse, sicut & in aliis, circa naturam virtutis; dum docuit: omnes virtutes esse concatenatas; solumque illum dici virtuosum, qui omnes virtutes habet. Si velis Aristotelem hoc in passu concedere; Neg: Consequentiam: & dic, esse disparitatem: nam verecundia est passio naturalis naturæ, & inest naturaliter; de qua proinde nec laudatur nec vituperatur homo: non sic Pœnitentia.

6. Pœnitentia est Justitia quædam punitiva. DICO tertiò: Pœnitentia est Virtus specialis justitiæ punitivæ. Est Scoti loco cit: & Scotist:

Probatur: illa est censenda virtus specialis, quæ habet objectum formale distinctum ab objecto omnium aliarum virtutum: sed Pœnitentia habet objectum formale distinctum; ut patebit quæstione sequenti: ergo &c.

7. Quis sit finis proximus vindicationis Objicies primò ex Scoto cit: pœnitere est velle vindicare peccatum; hic autem actus respicit correctionem, & spectat ad virtutem amicitiæ; velle enim vindicare, est velle corrigere pœnitentem, ut emendetur, & reconcilietur DEO; quod proprium est amicitiæ: ergo non est specialis Virtus distincta ab amicitia. *Pœnitentia specialis?* Respondeo primò: Neg: Ant: cum sua ratione; quia DEUS vindicat peccatum in damnatis, sine ulla emendatione, aut reconciliatione. Respondeo secundò: Dist: Ant: velle vindicare est actus correctionem respiciens per accidens, & ex fine remoto; Concedo Ant: per se, & ex fine proximo, Nego Ant: Itaque finis proximus Pœnitentialis vindicationis est, satisfacere Legi, quæ mandat punire peccatum commissum; qui solam Pœnitentiam specificat.

8. Scotus exponitur pro Conclusione. DICES Scotus 4. d. 14. q. 2. ait: detestationem peccati non esse ullius virtutis specialis: ergo &c. Respondeo explicando Scotum; non est ullius virtutis specialis specialitate atomâ Concedo Ant: specialitate subalternâ Nego Ant: Itaque pœnitere spectat ad justitiam punitivam; & ideo non constituit propriam infimam speciem.

9. Vindicatio Pœnitentialis fit ex duplici motivo. Objicies secundò: Pœnitere, seu vindicare peccatum ob amorem DEI, est actus charitatis; & non justitiæ punitivæ: ergo &c. Respondeo Dist: Ant: si fiat ex solo motivo charitatis, Concedo Ant: si non, Nego Ant: Pœnitentialis itaque vindicatio fit ex motivo Charitatis; & præterea ex motivo, ut observetur Lex dictans peccatum esse puniendum.

QUÆSTIO II.

De Objectio formali, & Materiali Pœnitentiæ Virtutis.

1. Opiniones diversitas allegatur circa formale Objectum Pœnitentiæ Virtutis. NOta primò: Diversitatem opinionum Recentiorum esse, in assignando Objecto formali virtutis Pœnitentiæ. Nam Vasq: cum nonnullis ei attribuit honestatem, relucentem in compensatione DEO facienda. Amicus Suar: &c. modificant honestatem hanc; dicuntque eam sub ratione resarcitiva Juris Divini læsi esse Objectum Formale Pœnitentiæ. Lugo statuit honestatem, quæ est in ipsa pacificatione cum DEO: contra hos breviter.

2. Nec honestas compensationis est Objectum formale Pœnitentiæ. DICO primò: Motivum seu Objectum formale, quò movetur Pœnitens ad detestanda peccata, neque est honestas relucens in compensatione; neque quæ est resartiva Juris DEI; neque quæ reperitur in pacificatione cum DEO. Est conformis Scoto 4. d. 14. q. 2.

Probatur prima pars: ex D. Aug: lib: de

de vera, & falsa Pœnit: cap: 8. definiente Pœnitentiam virtutem; *Quod sit vindicta puniens in se, quod dolet commisisse;* in qua definitione nulla fit mentio de compensatione: ergo non est Objectum formale Pœnitentiæ. Consequentia tenet; quia in definitionibus rerum exprimi debent formalia specificativa: Confirmatur ex Trid: Sess: 14. c. 9. ubi explicatur natura Pœnitentiæ per vindicationem peccatorum sine compensationis honestate attenta: ergo hæc non est motivum, & formale Objectum Pœnitentiæ.

3. *Neg. resarcitio Juris Divini.*

Probatur secunda pars: Etiam per actus aliarum Virtutum potest resarciri Jus DEI læsum, puta per actus obedientiæ, & virtutum oppositarum illis vitiis, quibus Jus DEI læsum fuit: ergo hæc resarcitio non est ratio formalis specificativa Pœnitentiæ.

4. *Neg. Pacificatio cum DEO.*

Probatur tertia pars: Pacificatio, & honestas in ea relucens, sunt tantùm finis extrinsecus Pœnitentiæ; cùm sint Objectum formale Charitatis DEI; Charitas enim vult DEI amicitiam: ergo nequit esse Objectum formale Pœnitentiæ. Consequentia patet: quia nil extrinsecè specificans virtutem, est Objectum, & ratio formalis virtutis: ergo &c. Confirmatur: Pacificatio, Amicitia DEI &c. est effectus Pœnitentiæ: ergo non Objectùm formale ejus.

5. *Sed peccatum ut vindicabile.*

DICO secundò: Objectum & motivum formale Pœnitentiæ specialis Virtutis, est peccatum, ut vindicabile. Ita Scotus 4. d. 14. q. 2. D. Thom: 3. p. q. 85: art: 3. Intelligo autem per ly *vindicabile*, idem quod in pœnam commutabile, & per aliquam satisfactionem, vel satispassionem expiabile.

Probatur primò: Peccatum Theologicum sub ratione vindicabilitatis ad nullam aliam virtutem pertinet, quàm ad Pœnitentiam: ergo &c. Probatur Ant: inductione non ad virtutes Theologicas, Fidem; quia ejus Objectum formale est Veracitas Divina revelans: Non ad Spem; quia hæc respicit formaliter bonum arduum possidendum: Non ad Charitatem; quia respicit bonum amico inexistens: Non ad Morales v. g. Fortitudinem; quia ipsa respicit bonum arduum aggrediendū: Non ad Temperantiam; quæ respicit mediocritatem in delectabilibus: & sic de aliis: manet ergo, quòd ad Justitiam pertineat: non autem Commutativam: ergo ad ad Punitivam, seu vindicativam peccati Theologici proprii.

6. Nota pro solutione plurium Objectionum oppositarum sententiarum: me libenter concedere; quòd per Pœnitentiam præstetur DEO offenso aliqua Compensatio; Item quòd resarciatur Jus ejus læsum: & procuretur Pacificatio cum DEO; verùm cùm hæc vel sint effectus Pœnitentiæ; vel finis extrinsecus; vel ab aliis Virtutibus attingantur; ideo statui nequeunt pro ipso Objecto formali Pœnitentiæ.

Qualiter Compensatio, resarcitio, & Pacificatio concurrant ad Pœnitentiam?

7. *Statuitur Objectum materiale Pœnitentiæ.*

DICO tertiò: Objectum materiale Pœnitentiæ, sunt omnes illi actus, qui ut media deservire possunt ad vindicandum peccatum.

Probatur: Materiale Objectum alicujus virtutis potest esse omne illud, in quod tenditur ratione Objecti formalis: sed in specificatos actus tenditur ratione vindicabilitatis peccati Theologici: ergo &c. Hujusmodi autem actus prosecutionis erunt; pœnam acceptare; patienter tolerare; DEUM reconciliare &c. Fugæ autem erunt; nolitiones peccatorum Theologicorum, ampliùs committendorum.

QUÆSTIO III.

An Pœnitentia possit solis Naturæ viribus elici? ubi de ejus supernaturalitate; ac Natura Habitûs.

1. *Sine speciali DEI auxilio nequit haberi Pœnitentia salutaris.*

DICO primò: Actus Pœnitentiæ meritorius, & disponens ad justificationem, sinè speciali DEI adjutorio elici nequit. Ita Ecclesia Catholica contra Pelagianam Sectam, & Semipelag: Scotus Conclusionem habet 4. d. 14. q. 2.

Probatur primò ex Scriptura Joannis 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum:* hoc est; divinâ suâ gratiâ præveniente, & concomitante. Item 2. Cor: 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis; sed sufficientia nostra ex DEO est:* ergo &c.

2. *Quod PP. confirmāt.*

Probatur secundò ex PP: Hieron: in illum passum Hieremiæ: *postquam convertisti me, egi Pœnitentiam: vide*, inquit, *quantum sit auxilium DEI, & quàm fragilis humana conditio; ut hoc ipsum, quòd Pœnitentiam agamus; nisi nos Dominus ante converterit; & nisi DEI nitamur auxilio, nequaquam implere valeamus.* Ambros: lib: 10. *in Lucam.* Leo: in Epistola *ad Theodosium Episc.* &c.

3. *Et SS: CC: docent.*

Probatur tertiò ex Conciliis; Arausicano Can: 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertineat vitæ æternæ, cogitare ut expedit; aut eligere; sive salutari prædicationi consentire posse affirmat,*

absq; illuminatione, & inspiratione Spiritûs Sancti, haeretico fallitur Spiritu. Similiter etiam loquitur Trident: Sess: 6. Can: ergo &c.

4. *Pœnitentia aliqua potest haberi viribus naturæ.*

DICO secundò: Potest tamen elici aliquis actus Pœnitentiæ, seu vindicatio peccati Theologici solis Naturæ viribus. Ita Scotus citatus, Mastrius, & Scotistæ communiter.

Probatur: Potest peccator naturaliter cognoscere, peccatum Theologicum esse offensivum DEI, & aversivum ab ipso, ut Authore, Gubernatore, & fine naturæ: aut ostendatur repugnantia: ergo sub hac ratione poterit illud detestari ex puris naturalibus. Ant: Probatur exemplò aliarum virtutem moralium; quæ naturaliter tendunt in sua objecta. Consequentia etiam tenet; quia non est potior ratio; cur naturalem cognitionem peccati ut offensivi possit elicere Peccator; & non detestationem: ergo &c.

5. *Sed talis non disponet ad justificationem.*

Nota tamen: hujusmodi Pœnitentiæ actum non fore meritorium vitæ æternæ: nam ut Conclusione prima ostensum est ex Scriptura, Conciliis, & Patribus contra Pelagi: actus meritorius vitæ æternæ elici debet cum concursu specialis auxilii DEI.

6. *Scoti Catholica doctrina vindicatur ab imposturis Advers:*

Nota secundò: Occasione hujus secundæ Conclusionis, quæ Scoti est; nonnullos Recentiores Doctorem Subtilem adeò ineptâ perstrinxisse censurâ; ut Sotus ausus fuerit dicere, hanc Scoti doctrinam esse Pelagianismum, vel semi Pelagianismum; eò quòd sustineat opera salutis posse: sinè speciali DEI gratia elici; sed cœcutit Sotus cum aliis circa mentem, & textum Scoti: Scotus enim 4. d. 14. q. 2. Catholicissimè adstruit dari duplicem Pœnitentiam; *Fructiferam*, quæ videlicet fructum remissionis peccatorum producit, quàm dist: 20. quæst: un: dicit *esse opus DEI, non hominis*, id est; elicitum semper cum speciali DEI gratia: estne hic ullus Pelagianismus? Et *Infructiferam*, quæ peccatorum deletionem non operatur, & hanc dicit, posse elici solis Naturæ viribus. Deinde 1. d. 17. q. 2. ait: *Dicere actum ex puris naturalibus esse meritorium, appropinquat errori Pelagianorum.* Ex quibus & pluribus aliis ejus textibus, clarè apparet, ejus doctrinam non coincidere cum Pelagianismo, vel Semipelagianismo: cùm ad opera salutis ubique agnoscat esse necessarium auxilium speciale DEI, contra Pelagianos.

7. *Glossatur quoddam dictum Doct: Subtilis.*

Et quando obtruditur illa particula textus Scotici, *ex naturalibus*, & *cum communi influentia*; quâ Scotus videtur velle etiam fructuosam Pœnitentiam ex naturalibus, & cum communi influentia, id est, cum generali concursu, & sinè speciali DEI adjutorio, posse elici. Respondeo: quòd licèt per ly *ex naturalibus*, intelligat Scotus naturales vires intellectûs, & voluntatis: per ly tamen *cum communi influentia*, non intelligit concursum generalem DEI, requisitum ad omnia Naturæ opera; sed intelligit concursum DEI cum hominibus ad opera salutis, quæ influentia est specialis, & supernaturalis: Dicitur autem *communis* à Scoto; quia omnibus hominibus est parata à DEO, ut Authore gratiæ; eâ ratione, quâ apud D. Paulum vult omnes salvos fieri. Hàc itaque ratione Scotus omnia specialia DEI auxilia salutis hominum vocat communia; quia omnibus dantur; & in eis viatores non discriminantur.

8. *Pœnitentia fructuosa est supernaturalis tantùm in modo.*

DICO tertiò: Actus Pœnitentiæ fructuosæ vitæ æternæ est tantùm supernaturalis quoad modum.

Probatur primò: paritate aliorum actuum supernaturalium, fidei Spei & Charitatis; qui ut ostendam alibi, sunt tantùm supernaturales quoad modum: ergo &c.

9. *Quod particularis discursus suadet.*

Probatur secundò ex discrimine actuũ supernaturalium patriæ; quales sunt visio, & fruitio beata, ab actibus supernaturalibus viæ, quales sunt actus, Pœnitentiæ, credendi, &c. quando namque Patres, & Concilia de actibus visionis, & fruitionis patriæ loquuntur, absolutè negant, posse rationalem creaturam per proprias vires Naturæ videre DEUM, vel eô frui, absq; speciali elevatione, per lumen gloriæ factâ; aut consimile auxilum speciale; ut constat in Concil: Viennensi ex Clement: quæ ibi citatur, *ad nostram, de Hereticis.* At quando loquuntur de actibus viæ supernaturalibus credendi, sperandi, &c. dicunt auxilium speciale esse necessarium, non ita absolutè; sed cum quadam modificatione, & limitatione loquuntur; ut constat ex Trident: Sess: 6. Can: 3. apponente illam particulam, *ut oportet*: quò loquendi modò indicat dari posse alios actus credendi sperandi, & idem à pari dicendum de actibus pœnitendi, qui non sint *sicut oportet*, ad justificationem; sed qui sint naturales quoad substantiam: si enim voluisset dicere, quod sint absolutè supernaturales quoad substantiam, & non tantùm secundùm illam circumstantiam *sicut oportet*; nulla aderat necessitas illam particulam apponendi, *sicut oportet*; sed absolutè dicere poterat, hominem sinè gratia non posse crede-

re,

re, sperare, &c. sicut absolutè loquitur Concil: Vien: de actu visionis.

10. *Pœnitentia habitualis est virtus acquisita.*

DICO quartò: Pœnitentia habitualis est virtus tantùm acquisita. Est Scoti hìc, Scotistarum, & RR: contra Thomistas.

Probatur omnibus illis rationibus, quibus in Tractatu *de Virtutibus in communi* probatur; nullas dari virtutes morales habituales infusas, præter Theologicas tres.

11. *Pœnitentia habitualis infusa est inutilis ad deletionem peccatorum.*

Probatur secundò: Nulla est necessitas, aut fundamentum asserendi, quòd actus Pœnitentiæ sit à virtute per se infusa elicitos; nisi in ordine ad deletionem peccati: sed Pœnitentia habitualis infusa est inutilis ad hunc effectum: ergo &c. Maj: patet: quia nec Scriptura, nec Concilia, nec PP: alium usum Pœnitentiæ, attribuunt.: probatur Min: priùs naturâ habet homo dolorem Pœnitentialem de peccatis; quàm DEUS illum justificet: adeoq; talis dolor non est elicitus à Pœnitentia infusa; cùm hic actus semper antecedat ejus infusionem, tanquam dispositio prævia.

Ergo Pœnitentia infusa est inutilis ad deletionem peccati.

DISTINCTIO VII.

DE CONTRITIONE, ET ATTRITIONE POENITENTIALI.

PRÆNOTATIO.

VIrtus Pœnitentiæ in duas dividitur partes: nempe in Pœnitentiam perfectam; & imperfectam: seu Contritionem; & Attritionem. Prima vocatur perfecta à Tridentino Sess: 14. eò quòd extra Sacramentum habeat vim justificandi à peccatis. Altera verò imperfecta; siquidem cum reali sumptione Sacramenti Baptismi, vel Pœnitentiæ justificat. De perfecta sit.

QUÆSTIO I.

De Definitione Contritionis; ejusque motivis.

1. *Nomen Contritionis est metaphoricè.*

NOta primò: Nomen Contritionis hìc usurpari à Theologis metaphoricè; nam sicut Contritione materiali creta v.g. in minutas dividitur partes; sic Contritione Theologicà cor peccatoris obduratum per peccatum, dicitur quasi comminui.

2. *Contritio theologicè definitur.*

DICO primò: Benè definitur Contritio; *quòd sit dolor, & detestatio peccati ex motivo Charitatis supernaturalis, vel alio spectante immediatè ad DEUM, disponens proximè ad justificationem.*

Probatur ex bonitate conditionum Dialecticarum; quæ in hac definitione relucent: ergo &c.

3. *Etiam ex motivis aliis à Charitatis motivo distinctis, elici potest vera Contritio.*

DICO secundò: Vera Contritio potest elici, non solùm ex motivo Charitatis; sed & justitiæ; & alio spectante ad DEUM. Colligitur ex Scoto 4. d. 14. q. 2. contra Thom: & Recentiores.

Probatur ex modo loquendi S. Scripturæ; quæ non semper exigit Pœnitentiam, ex motivo Charitatis; sed quandoque ex motivo universaliori; & præsertim peculiari ipsius Pœnitentiæ, ut Justitia punitiva est: sic dicitur Ezech: 18. *Si impius egerit Pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et cap: 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die aversus fuerit ab impietate sua.* Et David Pœnitens solùm *peccavi* Domino ingemuit, quod tantùm culpæ cogni-

 tionem,

tionem, & odium culpæ importat; & statim Nathan Propheta Domini indicans fuisse veram Contritionem, adjecit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*: ergo ex aliis etiam motivis, à Charitate distinctis, vera Contritio elici potest. Unde puto Trid: Sess: 14. c. 4. exprimendo definitionem Contritionis, consultò abstinuisse à Charitate; ne videatur docere, hanc solam esse causam & motivum Contritionis.

4. *Roboratur præcedens doctrina aliâ Scripturâ.*

Confirmatur: Ideo dicunt Adversarii Contritionem, ut sit debita dispositio ad justificationem, debere procedere ex supernaturali Charitate; quia Pœnitentiæ, ex motivo Charitatis elicitæ remissio peccatorum promittitur: ut Luc: 1. *Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multùm*: sed in S. Scripturæ pariter promittitur remissio peccati Contritioni, elicitæ ex motivo justitiæ punitivæ; ut patet in cit: Script: ergo &c.

5. *Regulariter quidē ad Contritionem concurrit Motivum Charitatis formalis; sed aliter contingere potest.*

Objicies primò Scripturas varias, & PP: qui postulant Charitatem, ut peccata deleantur: sic dicitur 1. Joan: 3. *Qui non diligit manet in morte.* 1. Cor: 13. *Si charitatem non habeam, nihil mihi prodest.* Et Aug: *de vera, & falsa Relig:* ait *Sinè amore nemo unquam gratiam invenit, nec veniam assecutus est*: ergo &c.

Respondeo: Scripturas præfatas; & Aug: loqui de remissione peccatorum, quæ regulariter fit per Contritionem, conceptam ex motivo Charitatis: per hoc tamen non excludunt Contritionem conceptam ex alio etiam motivo. Vel dic, ex his Anthoritatibus tantùm haberi; quòd motivum Charitatis, vel formalis, vel virtualis, concurrat ad Contritionem; non autem semper formalis. Itaque quando Contritio formatur ex motivo justitiæ punitivæ, vel alio spectante ad DEUM; concurrit semper aliqua dilectio, & Charitas DEI, saltèm virtualis; quæ sufficit. Unde

6. *Charitas virtualis sufficit pro Contritione vera.*

DICO tertiò: Potest dari vera Contritio cum solo amore virtuali.

Probatur: Neque Scriptura; neque Concilia; neque Patres, formalem, & expressum semper amorem infallibiliter petunt pro formanda Contritione: & ex alio capite hoc congruit suavi providentiæ DEI & humanæ conditioni; quæ nequit absque magna difficultate formalem semper amorem debitè circumstantionatum elicere; cùm ad multa simul non possit attendere: ergo sufficiet virtualis, id est, qui relucet in detestatione peccati Theologici; quatenùs peccator detestando suum peccatum, ut repugnans Divinæ bonitati, vi illius ferretur per actum formalem amoris in DEUM, si DEUS amandus ipsi proponeretur.

QUÆSTIO II.

An Contritio sit causa formalis; vel efficiens Justificationis: ubi etiam de ejus intensione; & duratione.

1. *Contritio tantùm in fluit in Justificationē ut disposi tio.*

DICO primò: Contritio respectu remissionis culpæ, & infusionis gratiæ, non est causa formalis; neque efficiens; sed tantùm prævia dispositio. Est Scoti hic: quæst: 2. Scotist: Durandi, Suar: Compt: & RR: plurium; contra Vasq: Sotum, &c.

Probatur primò: ex Trid: Sess: 6. cap: 6. quod inter dispositiones ad justitiam, ponit Contritionem in genere. Et cap: 7. dicit: *Hanc dispositionem justificatio ipsa consequitur.* Et Sess: 14. cap: 4. docet motum Contritionis fuisse necessarium quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum: ergo Contritio est tantùm dispositio prævia ad remissionem peccatorum, & infusionem gratiæ.

2. *Non ut causa formalis.*

Probatur deinde quòd non sit *causa formalis* ex Trid: Sess: 6. c. 7. dicente; quòd unica formalis causa nostræ justificationis sit justitia DEI, quâ nos justos facit: id est, gratia sanctificans: ergo non est Contritio.

3. *Nec ut efficiens.*

Probatur quòd non sit *causa efficiens*: Solus DEUS effectivè producit formam incompatibilem cum peccato, puta gratiam: ergo non Contritio. Ant: patet; quia gratia est terminus creationis, à creatura non attingibilis: ergo &c.

4. *Contritio non debet necessariò esse gradualiter summè intensa.*

DICO secundò: Ad Contritionem veram sufficit sola substantia actus, sine intensione summa graduali. Ita Aret: Hiribar: Braneat: & alii Scotistæ; contra Fabrum, Hicqnæum, & cæteros Scotistas.

Probatur primò: Mortalis culpa quantumcunque remissè tollit gratiam sanctificantem: ergo Contritio quantumcunque remissa gradualiter, modò sit appretiativè summa, sufficiet ad justificationem, & consequenter erit vera Contritio.

5. *Alia ratio ad idem.*

Probatur secundò: Præcepta non dantur de re incerta, & ignota: cùm enim debeant humanò modò servari, humanam requirunt certitudinem, & cognitionem: sed certa intensio gradualis doloris ad actum Contritionis requisita est incerta, & ignota: ergo &c.

Pro-

6. *Tertia Ratio pro eadem doctrina.*

Probatur tertiò: Opposita sententia de qnantitate intensionis, scrupulis est plena, & periculis: nam aliqui vnlont Cnntritionem debere intendi nsqne ad nltimnm conatnm, conterenti possibilem; qnod cùm difficile valdè sit, & de raro contigibilibos, non cst tenendum. Alii requirunt Intensionem summam, cnm comparatione expressa. Alii summam Intensionem DEO soli nntam: Alii aliter, qui diversi DD: sensus viam aperiunt innumeris scrupulis; cùm non sciatur legitimom salntis remediom: Unde etiam Nnvatores sumpserunt ansam calumniandi Catholicos, ot Bellarm: lib: 2. *de Pœnitentia* c. 10. notat; qnòd ex bis reddatur incerta, & difficilis Pœnitentia; & peccatnres in desperationis periculum adducat.

7. *Sacra Scriptura glossatur.*

Objicies primò: Scriptnra Sacra reqoirit dolorem, & amnrem summè Intensum in Contritinne in Deot: 4. *cùm quæsieris Dominum DEUM tuum, invenies eum; si toto corde quæsieris eum.* Et Dent: 6. dicitnr, *ut amemus DEUM ex toto corde; & ex tota mente & ex tota anima;* utique formandn Contritionem: ergo reqoiritor Intensio summa gradualis actûs. Respondeo: hæc & similia loca Scripturæ tantòm exigere dolorem sommum, & amorem summum appretiativè; ooo Intensivè. Et codem modn respondeo ad PP: ab Advers: addnctos. Unde

8. *Contritio petit tantùm appretiativè summum dolorem & amorē.*

DICO qoartò: Dolor, & amor Contritionis debet esse summus appretiativè. Ita Scotistæ commnniter cum suo Doctore.

Nota autem: appretiationem doloris in hoc consistere; ot peccator plos doleat de malo peccati, quàm de omnibus aliis malis, & incommodis præsentis vitæ, & ipso malo gehennæ, si ab en colpa præscindatur: qoia malum pœnæ, etiam æternæ, est minus malum, quàm malum colpæ: Unde dicit S. Anselm: lib: *de simili.* c. 190. *Mallem à peccato purus infernum intrare; quàm peccati sorde pollutus cælorum regna tenere:*

9. *In quo consistat amoris appretiatio.*

Nota secundò: Appretiationem amoris in hoc consistere; ut diligens in sua æstimatinne tanti faciat, & diligat DEUM, ot paratus sit, si necesse foret, quodlibet pro DEO negligere.

10. *Appretiatio fieri potest remisse actu.*

Nnta tertiò: Has appretiationes fieri posse per actus minimè Intensos; ot patet experientià cujoscunqoe volentis dictò modò appretiare peccatum, & DEUM.

11. *Scriptura presumma appretiatione necessaria adducitur*

Probatnr jam Conclusio ex illo Dent: 4. *Cùm quæsieris Dominum DEUM tuum invenies eum; si toto corde quæsieris eum.* Et 6. ubi præcipitur; *ut ametur DEUS ex toto corde &c.* qoæ verba cnm Intensionem gradnalem doloris, & amoris non probent; saltèm appretiationem probabunt: ergn &c.

Probatur secundò ratinne: Contritio insert affectum efficacem non peccaodi mortaliter: sed hoc esset falsnm; nisi haberet dolorem appretiativè summom; qoia staret adhuc æqnalis affectus ad aliquod peccatum; eò quòd non reputetnr peccatum tantum malum, quantum aliud malum, qood summè appretiatur: ergo &c.

12. *Et ratio ad idem.*

DICO quintò: Appretiatio Contritionis non petit necessariò comparationem expressam inter peccatum, & quodvis alind malum, io particulari.

Probatnr: nulla reperitur obligatio talis comparatinnis expressæ; essetqoe difficilis, & causativa scrupulorum, apud infirmiores conscientias: ergo &c.

13. *In appretiatione non est necesse facere comparationem expressam inter peccatum, & mala alia.*

Nota itaqne: Sufficere ut actus Pœnitentiæ sit talis, qni implicitè, & virtualiter, aot interpretativè, detestetur peccatum plos, quàm omne aliod malum in universali; & peccator ita sit præparatos; ut si occurreret occasio peccandi mortaliter potiùs eligeret pœnam quamlibet, qoàm peccare. Ita Navarr: Valent: Soar: Amicus, &c. Si qois tamen posset, & vellet expressam comparatinnem appretiativam formare, optimè ageret; & daret signum efficacissimæ Pœnitentiæ.

14. *Gravius peccatum magis debet detestari.*

Nota secundò: Cùm peccatum gravios sit magìs detestandom, quam minùs grave; si peccator non faciat formalem, & explicitam detestationem majorem de graviori, quàm de leviori; debet per virtualem, & implicitam hoc præstare; detestando videlicet, & dolendo generaliter de unoquoque peccato, joxta snum gradum pravitatis, & malitiæ.

15. *Contritio petit necessariè temporis Durationem.*

DICO sextò: Ad veram Contritinnem necessariò non reqniritur Doratio temporis, quamvis regulariter vix habeatur totus processus Contritionia, nisi io certo tempore.

Probatnr prima pars ex S. Scriptnra: quæ ubicunque facit mentionem de remissione peccatorum per Contritinnem, nil dicit de duratione temporis, sed *ad vocem clamoris tui* (inquit Isai: 30.) *statim, ut audierit* (subintellige Dominus) *respondebit tibi; Et impietas* (Ezech: 33. inqoit) *non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate*; ubi ly *in quacunque die*, idem valet, ac in quocunqoe mnmento, juxta Patrum glossam: ergn &c.

16. *Probatio*

Probatur secundò ex SS: PP: Leone Papa, Epist: 91. *Apud DEUM nullas patitur venia*

Conclusionis ex SS. PP.

venia moras vera Conversio. Aug: *in Enchiridio c. 65. Non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris; Cor enim contritum, & humiliatum DEUS non spernit.* Cyp: de *Cœna Domini*, confirmat Conclusionem exemplo boni Latronis, cui Contrito statim dictum fuit; *hodie mecum eris in Paradiso;* & subdit, *cujus impietas in momento induit pietatem.*

17. *Accedit Ratio pro eadem Conclusione.*

Probatur ratione: Voluntas potest in instanti elicere appretiativam detestationem de peccatis: ergo veram Contritionem momentaneam. Probatur Ant: ideo aliqua actio est necessariò successiva; quia ejus subjectum est quantum, & divisibile; aut quia forma est quanta, & divisibilis: sed voluntas non est quanta, aut divisibilis, nec ejus actus in subjecto divisibili recipitur: ergo potest elicere appretiativam detestationem in instanti.

18. *Ordinariè mora temporis intervenit in formanda Contritione.*

Probatur secunda pars: quia regulariter, & plerumque intervenire solent aliquæ moræ, petentes certam temporis durationem in processu Contritionis: concurrunt enim tam ex parte intellectûs, quàm voluntatis plures actus; ex parte intellectûs consideratio peccati, ut offensivi Summi Boni, & inductivi pœnæ æternæ: &c. ex parte voluntatis spes veniæ; amor DEI; detestatio peccati; & propositum ampliùs non peccandi: quæ omnia illicò simul non ponuntur: ergo &c. Verùm cùm Contritio sit actus voluntatis, suppositis illis aliis actibus, potest voluntas in instanti ponere actum Contritionis.

QUÆSTIO III.

De Proposito non peccandi: & voto confitendi in Contritione inclusis: & aliis ad eam spectantibus.

1. *Ad Contritionem requiritur propositũ vitæ emendandæ.*

DICO primò: In vera Contritione debet adesse propositum non peccandi de cætero. Est Catholicorum.

Probatur ex Trident: Sess: 14. cap: 4. & Sess: 6. cap: 6. ubi enumerat inter omnes dispositiones ad justificationem, etiam propositum: ergo &c.

Probatur secundò: ex Scriptura, & PP: hujusmodi propositum passim inculcantibus: ergo &c.

Probatur ratione tertiò: Contritio debet perfectè animum avertere à peccato; quod fieri nequit sine proposito in futurum non peccandi: ergo &c. sed inquiritur quale propositum?

2. *Et quidē formale.*

DICO secundò: Regulariter loquendo ad Contritionem requiritur necessariò propositum formale, & explicitum de non peccando: aliquando tamen etiam virtuale, & implicitum sufficit. Primam partem habet Scotus 4. d. 14. q. 4. Secundam 4. d. 22. q. 1.

Probatur prima pars: ex Scriptura Isaiæ 1. *Lavamini mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perversè.* Et ad Ephes: 4. *Deponite veterem hominem, & induite novum:* qui textus indigitant unà cum detestatione malæ vitæ propositum novæ vitæ formale: ergo &c.

Probatur secundò ex Florent: *in Decreto Eug:* & Tridentino Sess: 14. cap: 4. & SS: PP: Ambrosio, Greg: &c. requirentibus ad Contritionem propositum: ergo &c.

Probatur tertiò ratione: Contritio est motus, quô movetur anima per gratiam à statu peccati ad statum justitiæ; sed talis petit propositum formale vitæ melioris: ergo &c.

3. *Sufficit quandoq; virtuale.*

Probatur secunda pars: in casu naturalis oblivionis; aut invincibilis ignorantiæ; vel defectu temporis, dum explicitum propositum nequit haberi, videtur sufficere implicitum, ac virtuale, supposità detestatione peccati: ergo &c. Deinde hæc Opinio est valdè consentanea Divinæ Misericordiæ, & fragilitati humanæ: nec est contra Scripturam, Concilia, aut PP: qui dum propositum formale requirunt ad Contritionem, tantùm loquuntur de Contritione, quæ regulariter habetur: non in particularibus casibus: ergo &c.

4. *Regulariter requiritur etiã votum formale confitendi Sacramentaliter.*

DICO tertiò: Similiter votum applicandi Sacramentum Pœnitentiæ ad Contritionem requisitum debet regulariter esse formale, ac explicitum: aliquando tamen sufficit virtuale, & implicitum. Ita Scotistæ plures.

Probatur prima pars ex Florent: & Trident: cit: postulantibus ad Contritionem votum formale confitendi: ergo &c.

Probatur ratione Doct: Subt: 4. d. 17. q. un: Si sinè Sacramento Pœnitentiæ saltem in voto posset obtineri justificatio, & elici vera Contritio: frustraneè esset ordinatum à DEO Sacramentum Pœnitentiæ: sufficeret enim conari peccatorem, ut cum auxilio DEI contereretur, sinè memoria Sacramenti Pœnitentiæ: sed hoc dici nequit: ergo &c.

5. *Quandoq; tamen sufficit virtuale solũ.*

Probatur secunda pars: in casu ignorantiæ videtur sufficere votum confusum, confitendi: hoc enim videtur Divinæ Misericordiæ, & infirmitati nostræ pariter consentaneum: ergo &c.

Nota

6. *In quo con sistat votu virtuale.* Nota autem: hoc votum implicitum, & virtuale consistere in hoc; quòd Pœnitens laborans ignorantiâ invincibili Sacramenti Pœnitentiæ, habeat voluntatem adhibendi media necessaria ad salutem; licèt in specie illa ignoret.

7. *Contritio saltem virtualiter debet tendere in omnia peccata.* Quæres primò: An Contritio debeat respicere omnia peccata memoriæ præsentia? Respondeo affirmativè, saltèm virtualiter. Ratio est; quia Scriptura Ezech: 18. dicit: *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis*. Et quia aliàs remaneret affectus ad aliquod peccatum, non detestatum; & consequenter Contritio non esset perfecta conversio ad DEUM; qualis tamen debet necessariò esse.

8. *Sed non distinctis actibus necessariò.* Quæres secundò: An ad Contritionem requiratur, ut fiat de peccatis singulis distinctis actibus voluntatis? Respondeo: cum Scoto 4. d. 15. q. 1. contra Sylv: Angelum, &c. Negativè. Ratio est: quia Scriptura dicit sufficere unam Pœnitentiam: sic dicitur Ezech: 18. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis*. Nec ullum Concil: requirit, ut circa distincta peccata plura, distinctæ eliciantur Contritiones: hæ enim essent onus valdè magnum, & humanis viribus nimis difficile. Idem dicendum de recogitatione intellectûs, seu examine peccatorum prævio ad Contritionem: sufficit enim generaliter ferri in omnia simul unico actu recogitationis.

9. *Salutare erit singula peccata distinctis actibus detestari.* Nota tamen esse utilissimum opus, peccata singula in memoriam revocare, ad formandum vehementiorem Contritionis motum; secundùm illud Psalmi 76. *Cogitavi dies antiquos, &c.* & illud *Exercitabar, & scopebam spiritum meum*: & est communis praxis Ascetarum perfectorum.

10. *Personale est magis detestandū, quàm Originale.* Quæres tertiò: An peccatum mortale personale sit magis detestandum, per Contritionem, quàm Originale: Respondeo: Affirm: Ratio est: quia personale est magis contra libertatem propriam immediatam, quàm Originale; & inducit obligationem ad pœnam, tam damni, quàm sensûs; quod in probabiliori sententia non dicitur præstare Originale: ergo &c.

QUÆSTIO IV.

An Contritio reverà extra Sacramentum remittat peccatum; & quidem omne?

1. *Contritio sine Sacramento delet singula peccata.* DICO primò: Contritio extra Sacramentum remittit omninò peccata. Est contra Hæreticos Montanistas, Novat: ac etiam Sylvium, Armachanum, &c.

Probatur ex S. Scriptura: quæ passim attribuit Charitati, quæ continetur in Contritione, peccatorum remissionem: sic dicitur 1. Petri 4. *Universa delicta operit Charitas.* Luc: 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*: ergo &c.

Probatur secundò ex S. Augustino; qui libro 15. *de Trin*: c. 18. dicit; *Solum donum Charitatis dividere, & discernere Filios DEI, & Diaboli*: ergo &c.

2. *Tridentinum confirmat Conclusionem.* Probatur tertiò ex Tridentino; quod Sess: 6. cap: 4. declarat; post Evangelium promulgatum neminem justificari, sine baptismo, aut ejus voto; ubi addit posse hominem per veram Contritionem cum voto tantùm baptismi DEO reconciliari. Et Sess: 14. cap: 4. expressè: Contritionem Charitate perfectam reconciliare hominem DEO, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur: ergo &c. Confirmatur ex Bulla Pii V. & Greg: XIII. & Urbani VIII. qui damnârunt has duas propositiones Bay: *Charitas potest esse sine remissione peccatorum.* Et *Charitas non semper est conjuncta cum remissione peccatorum*: ergo &c.

3. *Quædam Authoritates exponuntur.* Objicies primò: S. Augustinus tract: 13. *in Joannem*, ait: *quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc Sarcinam suæ iniquitatis portat; nec illi dimittitur: nisi cum venerit ad baptismum*: ergo &c. Respondeo primò; Augustinum loqui de Catechumeno, qui negligit venire ad baptismum, dum potest; talis, licèt putet se proficere, tamen actum veræ Contritionis necdum habuit; unde adhuc *Sarcinam peccatorum portat*. Respondeo secundò: S. Augustinum *per Sarcinam iniquitatis*, ibi intelligere obligationem, quam habet ratione peccati ad suscipiendum baptisma; quæ non tollitur, donec suscipiatur baptismus in re.

4. *Etiam Tridentinum glossatur.* Objicies secundò: Trid: Sess: 13. cap: 7. dicit: Conscium peccati mortalis, quantumvis contritum Communioni debere præmittere Confessionem, habitâ copiâ Confessarii: sed hoc ideo; quia Contritio non delet peccatum: ergo &c. Respondeo Neg: Min: sed propter reverentiam tanti Sacramenti Eucharistiæ; & propter incertitudinem Contritionis: de qua, quia peccator incertus est ob nimiam ejus difficultatem; meritò Concilium tutiorem viam statuit expiandi se per Sacramentalem Confessionem. Et tandem quia in

Contritione includitur votum confitendi, quod mandat proinde Concilium ex solvi, si sit copia Confessarii.

5. *Omne peccatum, & omnis gravitas peccati tollitur per Contritionem.*

DICO secundò: Omne peccatum quantumvis grave; & omnis multitudo peccatorum deleri potest verâ Contritione. Est Catholicorum communis.

Probatur primò: ex definitione Concilii Lateranensis sub Innoc: Item ex Trident: Sess: 6. Can: 14. ubi dicitur indefinitè; *Qui verò ab accepta justificationis gratia per pecatum ceciderunt, rursus justificari poterunt &c.* intellige per Contritionem, vel Pœnitentiam Sacramentalem.

6. *Scriptura hoc idem docent.*

Probatur secundò: ex Sacra Scriptura, quæ diversis in locis promittit universaliter *Quacunque horâ ingemuerit peccator, iniquitatum ejus non recordabor. Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Et Christus ubique clamat se venisse peccatores salvos facere; neminem excipiendo, siva in enormitate, sive in magnitudine, & numero excesserit: ergo &c.

7. *Et SS: PP.*

Probatur tertiò ex Patribus, maximè Chrys: hom: 2. in Psal: 50. *peccasti?* inquit; *Pœnitere; millies peccâsti? millies pœnitere &c.* hoc est toties, quoties.

8. *Quo sensu peccatum in Spiritu S. sit irremissibile.*

Objicies Matth: 12. dicitur: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*: ergo sunt aliqua peccata irremissibilia per Contritionem. Respondeo: Neg: Consequentiam. Scriptura ergo dicit; peccatum in Spiritum Sanctum non remitti; quia ordinariè, & ut plurimùm non curatur à Peccatoribus, ob duas causas: Primò: quia peccans in Spiritum Sanctum directè repudiat gratiam DEI: quemadmodùm si infirmus unicô remediô curari posset, & illud admittere nollet, rectè diceretur morbus ejus incurabilis. Secundò; quia cùm sit peccatum ex malitia, & non ex ignorantia, aut infirmitate; nihil in se habet, unde Misericordiam mereretur. Simpliciter tamen peccatum in Spiritum Sanctum est remissibile per Contritionem; si peccator debitum adhiberet conatum; & gratiam DEI debitè applicaret.

9. *Quæ sint peccata in Spiritu S.*

Nota autem: relictis diversis Sentimentibus DD: peccatum propriè in Spiritum Sanctum esse, veritatem agnitam, & manifestatam ex malitia improbare, & tanquam Dæmoniacam, & detestabilem calumniari. Dicitur porrò peccatum hoc in Spiritum Sanctum, non quòd non sit contra Patrem, & Filium; Sed quia Spiritui Sancto tribuitur operatio miraculorum, & illustratio animorum ad cognoscendam veritatem; unde qui agnitam veritatem Spiritu S. illustrante improbat, & signa ac prodigia Spiritùs Sancti virtute facta attribuit Sathanæ, in Spiritum Sanctum peccat: taliter peccabant Pharisæi dicentes; Christum in Beelzebub ejicere dæmonia.

10. *D. Paulus ad Heb: 6. exponitur.*

Objicies secundò ad Heb: 6. dicitur: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati & lapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam*: ergo horum peccata per Contritionem nequeunt deleri. Respondeo Neg: Consequentiam: & Glosso Scripturam, cum Ambrosio & Chrysost: quod *qui semel sunt illuminati*, id est baptizati (apud veteres enim illuminari est baptizari) *impossibile est iterum renovari*, id est iterum baptizari. Potest etiam dici quòd ly *impossibile* idem importet quod difficillimè; quod enim est difficillimum, dicitur moraliter impossibile.

11. *Etiam procrastinantium peccata possunt deleri Contritione.*

Objicies tertiò: saltèm illorum peccata non videntur Contritione deleri, qui in peccatis procrastinant vitam usque ad agonem; hi enim maximo periculo damnationis se exponunt, & qui periculum amat, peribit in eo. Respondeo & horum peccata finaliter posse deleri per Contritionem: tametsi raro verè conterantur. Unde dicit Scotus dist: 20. q. un: Pœnitentia dilata usque ad extremum mortis periculum est periculosissima, & vix nisi magnâ DEI Misericordiâ sufficiens; quia, ut dicit August: cùm sera venit Pœnitentia tantus aliquando cruciatus ligat membra, & dolor sensum opprimit, ut vix homo aliquid cognoscere valeat. Et alibi dicit idem Aug: *Age Pœnitentiam dum sanus es, si sic agis securus es, quia Pœnitentiam egisti, quando peccare potuisti; si vis agere Pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimittunt, non tu illa.*

QUÆSTIO V.
De Attritione ejusque Motivis.

1. *Attritionis Metaphorica translatio*

SIcut Attritio materialis non significat confractionem rei attritæ: ita Attritio Theologica significat cor peccatoris non totaliter, & perfectè comminui per Attritionem solam, nisi Sacramentum accedat. Unde

2. *Attritionis definitio.*

DICO primò: Attritio benè describitur: quòd sit *dolor & detestatio de peccato Theologico, vel ex Motivo gehennæ aliarumq; pœnarum; vel turpitudinis peccati, cum spe veniæ,*

venia, & proposito non peccandi, non disponens tamen proximè ad justificationem se solâ. Est conformis Scoto 4. d. 14. q. 2. & deducitur ex Trident: Sess: 14.

Probatur ex bonitate conditionum requisitarum ad bonam descriptionem; ly *dolor, & detestatio* est genus; reliqua exprimunt differentiam Attritionis.

3. *Attritionem esse fructuosam, & bonam, ostendunt plures rationes.*

DICO secundò: Est utilis, & bonus timor gehennæ, ac pœnarum, à DEO excitatus qui in Attritione involvitur. Est Catholicorum contra Lutherum damnantem hujusmodi timorem, quasi faceret hominem hypocritam, & magis peccatorem.

Probatur ex Trid: Sess: 14. ubi hunc timorem à DEO excitatum laudat, bonum, ac utilem, & donum DEI prædicat; & dicit hoc timore concussos Ninivitas ad Jonæ prædicationem terroribus plenam, Pœnitentiam egisse: ergo &c.

Probatur secundò ex Scriptura; & Patribus. Ecclesiastici 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Et Matth: 10. *Timete eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Similia habent PP: Cyprian: Basil: Auguft: &c.

Probatur tertiò ratione: Effectus hujus timoris est bonus, & utilis, nempè coercitio, & impeditio voluntatis à peccando: ergo &c.

4. *Ex duobus tantùm Motivis excitatur Attritio vera.*

DICO tertiò: Ex solis duobus Motivis gehennæ, aliarúmve pœnarum, & turpitudinis peccati vera elicitur Attritio; non verò ex Motivo Charitatis DEI. Est communis apud Catholicos.

Probatur ex determinatione Trident: Sess: 14. c. 4. assignante tantùm duplex hoc Motivum Attritionis: ergo &c.

Probatur secundò ratione: si actus procedens ex Motivo Charitatis DEI posset esse Attritio, nulla haberetur distinctio specifica inter Attritionem, & Contritionem; talis enim Attritio esset Contritio; quia specificatur ab objecto formali Contritionis: ergo &c.

5. *Quid veniat nomine gehennæ, & pœnarum.*

Nota autem primò: circa primum Motivum: nomine *gehennæ*, intelligi pœnam infernalem, quæ est carentia Visionis, & Fruitionis DEI; & certas pœnas sensûs; *pœnarum* verò intelligi alias pœnas, ab Infernalibus distinctas: puta pœnas Purgatorii temporales, & hujus vitæ, v. g. pestis, famis, belli, vel alterius damni, quibus DEUS castigat peccata Fidelium.

6. *Sub qua ratione pœna timenda in Attritione.*

Nota secundò: quòd debeat talis pœna timeri ut à DEO infligenda, non ut ab homine præcisè: metus enim pœnæ ut ab homine procedentis, non sufficit ad Contritionem. Ratio est, quia talis metus non avertit ab omni peccato, sed ab externo tantùm, quod solum potest homo punire.

7. *Metus alius merè servilis & inutilis, alius utilis & honestus.*

Nota tertiò circa Motivum *timoris pœnarum*; duplicem esse metum gehennæ, & aliarum pœnarum, ex quo oriri potest Attritio: unum purè servilem, & merè naturalem, hoc est ex amore proprio, & merè naturali conceptum: alterum verò, ex amore proprio supernaturali conceptum: primus est turpis, & cum mera servilitate; ac proinde insufficiens dispositio remota ad justificationem; quia per eum sola pœna timetur; nec avertit à peccato sufficienter; nec includit ultimum finem; unde Attritio ex hoc procedens nil valet: Secundus est honestus, & bonus; non solùm quoad effectum avertendi à peccato; sed etiam, quia includit ultimum finem scilicet DEUM, tanquam justum peccati vindicem; & quia est intrinsecè actus virtutis, nimirùm spei theologicæ, vel charitatis erga seipsum; & ad hunc nos excitat Christus Luc: 30. *Timete eum, qui potest corpus mittere in gehennam:* hic est quidem servilis prout opponitur filiali; non tamen cum servilitate omnimoda turpi.

8. *Quorumdam opinio circa Motivum turpitudinis peccati.*

Circa alterum Motivum Attritionis à Conc: assignatum, scilicet ex *Turpitudinis peccati* consideratione, quæritur, in quo consistat ratio talis turpitudinis; & quæ peccati turpitudo sit sufficiens Motivum Christianæ Attritionis? Lugo, Amic: & Caspensis docent, quòd illa tantùm peccati turpitudo sit sufficiens, quæ opponitur alicui perfectioni Divinæ, supernaturaliter cognitæ; ut sunt reverentia, obedientia, & gratitudo DEO præstanda.

9. *Qualibet turpitudo peccati cognita per fidem sufficit pro Motivo Attritionis.*

DICO quartò: Quælibet turpitudo moralis peccati, sive dicat oppositionem alicui perfectioni Divinæ supernaturaliter cognitæ, sive non, dummodò sit per fidem nota, sufficit ut sit Motivum Attritionis Christianæ. Ita Branc: & Neoterici communiter, Suar: Aversa, &c.

Probatur quia Concilium se non restringit ad illas peccati turpitudines tantùm, quæ opponuntur alicui perfectioni Divinæ supernaturaliter notæ; sed indefinitè loquitur de peccati turpitudine, ut opponitur huic, vel illi virtuti in particulari, exceptâ Charitate; ut si detesteris furtum, quia opponitur justitiæ, fornicationem, quia opponitur castitati: &c. ergo.

10. *Omnis turpitudo*

Confirmatur: omnes aliæ turpitudines, & difformitates, ut huic vel illi virtuti in particulari opponuntur, etiam sunt contra

peccati est contra DEUM aliquomode. tra DEUM Legislatorem; quia rectitudines oppositæ sunt præceptæ à DEO, & à DEO per fidem revelatæ, ut media idonea, & ordinata ad salutem consequendam: ergo Attritio ex his concepta erit salutaris, & vera.

11. Pœna, & turpitudo peccati revelantur per fidem; & actus in ea tendens est supernaturalis. Objicitur contra utrumque Motivum; Motivum pœnæ, & turpitudinis peccati sunt aliquid naturale: ergo nequeunt Attritionem constituere; quæ est ex Trident: actus supernaturalis. Consequentia tenet; quia Motivum specificat actum in genere suo. Respondeo Neg: Ant: quia tam pœna, quàm turpitudo, ob quam est detestandum, sunt cognitæ supernaturaliter; hoc est, per fidem nobis revelatæ; adeoque Attritio ex eis procedens tanquam objectis supernaturalibus, erit supernaturalis; quia ad eos concurrit auxilium fidei ex parte intellectûs, & ex parte voluntatis auxilium gratiæ.

QUÆSTIO VI.

Reliqua ad Attritionem spectantia resolvuntur.

Quæritur ulteriùs circa Attritionem; an Attritio possit fieri Contritio; & quomodo? Pro resolutione.

1. Attritio in sensu Veterum, & RR: TT: diversa. Nota: Attritionem dupliciter sumi posse: vel secundùm sensum Antiquorum Scholasticorum; vel secundùm sensum Modernorum, & Tridentini. Secundùm Antiquorum sensum Attritio dicebatur illa detestatio peccati, sive perfecta, sive imperfecta, quæ gratiæ infusionem præcedebat, quem actum postea continuatum Contritionem appellabant: ita sensit Scotus 4. d. 14. q. 1. Secundùm autem sensum Modernorum Attritio accipitur præcisè prout concipitur vel ex Motivo gehennæ; vel turpitudinis peccati; quæ semper fieri debet ex Motivo inferiori, quàm Amoris DEI; & quæ justificationem absque Sacramento, in re susceptο, non causat; adeoque quæ sit imperfecta.

2. In sensu Veterum TT: Attritio potest fieri Contritio. Respondeo jam ad Quæst: quòd Attritio in primò sensu Antiquorum possit fieri Contritio; non verò in secundo. Ratio primi est; quia nulla est repugnantia, quòd actus doloris de peccatis commissis, sinè Sacramento in re suscepto duret usque ad aliud instans, in quo DEUS decrevit gratiam infundere sinè Sacramento, qui actus ante gratiæ infusionem dicatur Attritio; quia est informis; & post talem infusionem, Contritio; quia est formatus, juxta modum loquendi Veterum: ergo &c.

3. Non verò in sensu RR. Theologorum. Ratio secundi: quia Attritio, & Contritio in sensu Modernorum sunt actus essentialiter diversi; quia habent diversa objecta formalia, & Motiva, à quibus specificantur; adeoque unus in alium non potest mutari intrinsecè. Unde illud vulgare: *Ex attrito peccator fit contritus virtute Sacramenti*, non debet intelligi sic; quòd Attritio intrinsecè mutetur in Contritionem; sed quòd extrinsecè, & denominativè; quatenùs Attritio per Sacramentum susceptum habet effectum Contritionis; videlicet gratiam justificantem; salvâ entitate ipsius Attritionis: Ita DD: Recentiores communiter.

4. Attritio cum Sacramento sufficit ad deletionē peccaterū. Quæritur secundò: An reverà Attritio sufficiat in Sacramento, ad recipiendam absolutionem, & gratiam Sacramentalem justificantem? Respondeo; sufficere Attritionem in Sacramento ad obtinendam absolutionem, & gratiam Sacramentalem. Ita communis cum Doct: 4. dist: 14. q. 4.

Probatur primò: ex Scriptura; *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* & ubicunque clavium fit mentio, quarum potestas data esset solùm ad declaranda peccata jam per Contritionem remissa; non autem ad remittenda; nisi sufficeret Attritio cum Sacramento. Itaque oportet aliquam dispositionem fateri in peccatore, quæ licèt per se non sufficiat ad consequendam peccatorum veniam; sufficit tamen cum Sacramento; & hæc est Attritio.

5. Quod ulterius ex Trid: constat. Probatur secundò: ex Trident: Sess: 14. cap: 4. ubi Attritioni attribuit eam vim cum Sacramento, quam habet Contritio extra Sacramentum: Sufficit autem Contritio extra Sacramentum ad obtinendam justificationem: ergo &c.

Probatur tertiò: ex institutione hujus Sacramenti; quod dicitur *mortuorum*; & per modum judicii reconciliativi: ergo de se non supponit vitam, & reconciliationem jam factam per Contritionem; sed acquirendam; adeoque ad eam acquirendam in Sacramento sufficit Attritio.

6. In Lege Evangelica non requiritur ampliùs necessariò Contritio DICES: ad justificationem, & reconciliationem DEI obtiendam requiritur perfecta conversio: sed talis est sola Contritio: ergo sola Contritio sufficit in Sacramento ad justificationem. Respondeo: Dist: Maj: requiritur perfecta conversio extra Sacramentum Concedo, Maj: in Sacramento Nego Maj: Itaque licèt olim

cum Sacramento ad justificationem.

olim Scriptura exigeret necessariò ad obtinendam justificationem perfectam conversionem, adeoque Contritionem; talis tamen necessitas per institutionem hujus Sacramenti in Lege Nova relaxata est; cujus virtus sufficit unà cum Attritione.

Regulariter Contritio petit dolorem formalem de peccatis: sufficit tamen per accidens virtualis.

7. Quæritur tertiò: An Attritio debeat esse formalis, & expressa detestatio, sive dolor de peccatis: an verò sufficiat virtualis? Respondeo: Attritionem ordinariè (ut securiùs effectus Sacramenti Pœnitentiæ sequatur) debere involvere detestationem, & dolorem formalem, ac expressum de peccatis: per accidens tamen etiam sufficit virtualis. Prima pars est communis. Secunda deducitur ex Scoto 4. dist: 14. q. 1. Ratio primi est: tum quia Trident: Sess: 14. cap: 3. & 4. insinuat ad effectum hujus Sacramenti consequendum requiri dolorem formalem de peccatis: Tum ex institutione hujus Sacramenti per modum judicii voluntarii reconciliativi, quod non potest consistere; nisi ille, qui vult reconciliari cum offenso verè, & actu doleat de offensa. Ratio secundi: quia in casu, quò pœnitens habuisset actum voluntatis, imperantem causas proximas tristitiæ, & doloris, videlicet considerationem turpitudinis peccati, & nolitionem peccati; quamvis dolor formalis, & pœna non sequatur ex defectu alicujus causæ secundæ, adhuc verè dicitur pœnitere; non quidem in effectu; sed in affectu, & virtualiter: quia, inquit Scotus citatus, vindicans non minùs vindicat, etsi quandoque pœna non sequatur propter defectum alicujus causæ secundæ, dum tamen ipse æquè, & justè intendat pœnam infligere: sed verus Pœnitens habet veram Attritionem: ergo vera Attritio per accidens, & aliquando, salvatur cum solo dolore virtuali.

Dolor potest antecedere, vel sequi Confessionem Sacramentalem.

8. Quæres quartò: An ad valorem Sacramenti requiratur, quòd prædictus dolor formalis, vel virtualis præcedat Confessionem? Affirmat Cooink. Ego Respondeo Negativè; cum communi, Lugone, Suar: &c. Probatur: ex praxi Christi Fidelium, tam Pœnitentium, quàm Confessariorum prudentissimorum; etsi enim Pœnitentes aliquando peccata confiteantur absque prævio dolore, & à Confessarii exhortatione excitati doleant primò; non repetunt peccata; neque à Confessariis ad ea repetanda urgentur; sed statim absolvuntur, tanquam ritè, & sufficienter dispositi: ergo &c. Probatur secundò: quia nulla est ratio, cur dolor ille subsequens non sufficiat; licèt enim Confessio sinè dolore facta, nec sit Sacramentalis; nec accusatio; tamen per subsequentem immediatè dolorem informata, & subjecta clavibus, fit accusatrix, & Sacramentalis: ergo &c.

Qualiter Pœnitens debet exprimere coram Confessario dolorem de peccatis.

9. Nota hìc: quòd Pœnitens (ut Confessarius habeat indicium illius subsequentis doloris) debeat factâ peccatorum explicatione dicere, se dolere de omnibus peccatis, jam expositis in Confessione, & illorum veniam petere: sufficit tamen etiam, quod expositis omnibus peccatis, percutiat pectus; quia etiam illa tunsio pectoris est vera accusatio, utpote doloris effectus, & index.

DISTINCTIO VIII.

DE NECESSITATE VIRTUTIS POENITENTIÆ; EJUSQUE EFFICACIA.

PRÆFATIO.

SAcræ Litteræ passim clamant, Peccatoribus Pœnitentiam esse necessariam ad salutem adipiscendam: & Augustinus Epistola 48. *ad Vincentium*, inculcat dicens: *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem; vel à quocunque, sive magno, sive parvo peccato ad correctionem sinè Pœnitentia posse transire.* Sed quoniam duplex est necessitas Medii; & Præcepti; quas alibi explicui: ideo de utraque inquiri potest. Unde sit.

QUÆSTIO I.

An Necessitate tam Medii; quàm Præcepti Pœnitentia Virtus sit necessaria viatori?

1. Necessitate Medii requiritur Pœnitentia in lapsis mortaliter.

DICO primò: Viatori lapso in mortale peccatum, Necessitate Medii necessaria est Pœnitentia. Ita Scotus 4. d. 14. q. un: & communis Doctorum Catholicorum.

Probatur primò: ex determinatione Ecclesiæ, in Trident: Sess: 14. c. 1. dicente: *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinârunt, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria*: idem repetit cap: 4. ergo &c.

2. Scriptura ostendit veritatem Conclusionis; & rationes.

Probatur secundò; ex S. Scriptura; Luc: 13. *Nisi Pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*: ubi non minùs inculcatur Necessitas Pœnitentiæ; quàm Baptismi apud Joan: 3. *Nisi quis renatus fuerit*: &c. ergo &c.

Probatur tertiò: ex pluribus PP: Aug: cit: & Epist: 50. *Nisi egeris Pœnitentiam, salvus esse non poteris*: hàc ratione appellat Pœnitentiam *secundam post naufragium tabulam*; id est, necessarium remedium ad enatandum post confractam navim innocentiæ, ad salutis portum.

Probatur quartò: congruentiâ Scoti 4. d. 14. q. un: sicut homo per peccatum se avertit à DEO, tanquam ab ultimo fine, & ad creaturam se convertit; ac per hoc quantùm in ipso est, magnam DEO injuriam facit: ita congruum est; ut non dimittatur ipsi peccatum, nisi per contrarium motum voluntatis, quô se avertit à creatura, & convertit ad DEUM qui est Pœnitentiæ motus.

3. Etiam Lex Naturæ ingerit Pœnitentia Necessitatem.

DICO secundò: Similiter Necessitate Præcepti positivi Divini, & naturalis Pœnitentia necessaria est. Ita Scotus 4. d. 14. q. 1. & 3. Et communis.

Probatur secunda pars: Præceptum naturæ jubet applicare remedia necessaria ad obtinendum finem ultimum beatitudinis, sed Pœnitentia est hujusmodi remedium: ergo &c. Item Lumen naturæ ingerit, ut amemus DEUM, & humiliemur coram eo, ut Supremo Principe, offenso per actiones nostras personales in ordine ad eum placandum; sed talis humiliatio habetur per actum Pœnitentiæ; ergo &c.

4. Et Præceptum Divinum pariter.

Probatur etiam prima pars: ex S. Scriptura præcipiente Pœnitentiam peccatori: Matth: 3. *Agite Pœnitentiam* Ezech: 18. *Convertimini, & agite Pœnitentiam* 1 ergo &c.

Objicies: contra secundam Conclusionem: tota series peccatorum naturalium registratur in Decalogo: sed ad nullum ibidem contentum reducitur Pœnitentia: ergo non est de Præcepto naturali. Respondeo cum Doctore Subtili; Neg: Min: potest

poteſt enim reduci ad Præceptum Decalogi, de colendo DEO; contra cujus cultum militat peccatum. Vel certè ut vult Vega lib: *13. in Trid*: c. 20. ad Præceptum, prohibens occiſionem; ſubintelligendo tam corporalem, quàm Spiritualem animæ occiſionem.

5. *Paſſiva peccatoris Pœnitentia debet eſſe formalis.*

DICO tertiò: Regulariter ad ſalutem eſt neceſſaria Pœnitentia formalis; tametſi in caſu particulari etiam ſufficiat virtualis. Ita Scotus 4. d. 14. q. 1. Baſſolius, Aretin: Bellarm: Lugo, &c. contra Canum, Sotum, &c.

Probatur prima pars ex Trid: Seſſ: 14. c. 6. quod peccati dolorem ac deteſtationem formalem pro Contritione Pœnitentiali requirit. Quod & faciunt Scripturæ ſupra allatæ, pro Concluſione ſecunda; & concordant Patres: Ratioque ſuadet, ut offenſæ DEO formaliter illatæ, formaliter iterum aboleantur per Pœnitentiam; ſicut contingit in humanis: ergo &c.

6. *Sufficit nihilominùs etiam virtualis.*

Probatur ſecunda pars: Cum Scoto: in caſu ſubitanei raptûs ad Martyrium, pro Chriſto tolerandum, ubi Martyr occupatur circa fidem profitendam, abſque memoria peccatorum, ſufficere videtur Pœnitentia virtualis ad ſalutem: ergo &c. Probatur Ant: in tali caſu intervenire poteſt perfecta DEI dilectio ſupernaturalis, & conſequenter perfecta converſio ad DEUM per ſolam virtualem Pœnitentiam: ſed ad hanc ſequitur juſtificatio, & ſalus, juxta illud Zachar: 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Et docent SS: PP: Aug: Bern: Epiſt: 75. ergo &c.

7. *Specialis doctrina Scoti circa deteſtationem peccati, etiam in caſu Martyrii.*

Nota tamen ex Doctore in 4. d. 14. q. 1. ſi adſit actualis memoria peccatorum, cum ejuſmodi dilectione DEI in caſu Martyrii; non ſufficit ſola dilectio ad ſalutem, & juſtificationem obtinendam cum virtuali Pœnitentia, ſed debet excitari formalis diſplicentia, & Pœnitentia de occurrentibus peccatis, ſaltèm Attritionis. Ratio eſt; quia aliàs non perfectè averteretur à creatura, & converteretur ad DEUM: nam ſtante memoria peccatorum, vel placent ei peccata; & ſic peccat denuò: vel diſplicent ei; & habetur intentum de formali Pœnitentia: vel nec placent; nec diſplicent; & needum ſincerè ad DEUM convertitur per dilectionem; eò quòd non triſtetur de injuria gravi, DEO illata per peccatum, quod Summæ Bonitati eſt contrarium, & peccat præterea actu omiſſionis: ergo &c.

8. *Signa dignoſcendi dilectionem juſtificantem.*

Nota ſecundò: ex dictis dignoſci poſſe qualitatem dilectionis, diſponentis ſufficienter ad juſtificationem; & non ſic diſponentis: nam illa ſola dilectio DEI ſufficienter diſponit ad juſtificationem, ex qua nata eſt ſequi formalis peccatorum memoriæ occurrentium diſplicentia: hujuſmodi enim perfectè convertit creaturam ad Creatorem. Ex qua verò non eſt nata ſequi formalis diſplicentia, non diſponit ſufficienter ad juſtificationem.

9. *Etiam juſtificati extra Sacramentum cum oblivione alicujus mortalis, toties quoties recordantur peccatorū, debent conteri.*

DICO quartò: Etiam Pœnitentia formalis Contritionis eſt neceſſaria iis, qui per ſolam dilectionem DEI ſupernaturalem cum oblivione, vel ignorantia inculpabili peccatorum ſunt juſtificati extra Sacramentum ſi poſtea peccatorum recordentur: imò toties quoties recordantur. Ita Scotus 4. d. 45. q. 3. cum veteribus, & Recent: Amic: Conink, Suar: &c. contra Vaſq: & alios AA:

Probatur: Præceptum Pœnitentiæ formalis, ſeu Contritionis formalis eſt Præceptum naturale, fundatum in ipſa natura reconciliationis; jubens, ut qui alterum offendit, ultra efficacem dilectionem, det etiam ſigna doloris de offenſione, quando poteſt: hoc enim valdè naturæ eſt conſonum; ſed hoc poteſt quis, dum oblita peccata in mentem redeunt: ergo &c. Et ideo dicit Scotus cit: loc: quòd viator obligetur ad Contritionem formalem peccatorum, quotieſcunque recordatur completà deliberatione, & cognoſcit illa ut deteſtabilia practicè: imò ultra dicit: etiam Beatos ad hoc fore obligatos; ſi ipſis occurrerent peccata; & niſi gaudium beatificum impediret.

QUÆSTIO II.

De Tempore adimplendi Præceptum Pœnitentiæ Virtutis.

1. *Peccator tenetur conteri, quando ſuſcipere Sacramentum.*

DICO primò: Viator lapſus in mortale, tempore ſuſceptionis; vel adminiſtrationis alicujus Sacramenti; vel poſitus in occaſione novum peccatum committendi, tenetur pœnitere per Contritionem. Ita communis Theologorum.

Probatur prima pars: quia hoc poſtulat virtus Religionis: ergo &c.

Vel Sacramentum adminiſtrare.

Probatur ſecunda: quia ſi olim Miniſtri Legalium veterum debebant eſſe purificati; quantò ampliùs diſpenſatores magis Sublimium rerum, puta Sacramentorum Legis Novæ: unde de his ſignanter dicitur: *Mundi eſtote, qui portatis vaſa Domini*: ergo &c.

Oo Pro-

3. *Item quan de est in occasione peccati committendi.*

Probatur tertia pars: quia summa est necessitas per Contritionem tunc augere vires resistendi tentationibus novis gravibus: ergo &c.

4. *Item in periculo vitæ, & amentiæ perpetuæ.*

DICO secundò: In periculo vitæ, & perpetuæ amentiæ, debet poni Pœnitentia formalis Contritionis. Est communis Doctrina PP.

Probatur: quia non superest deinde aliud tempus Pœnitentiam formandi: Et suadet hoc ulteriùs motivum dilectionis DEI, satisfactionis eidem pro offensis præstandæ & dilectionis ad personalem salutem obtinendam: ergo &c.

5. *Non statim Consummato peccato tenetur quis conteri.*

DICO tertiò: Si superfit aliud Tempus pœnitendi, non per se illicò post commissum peccatum, obligatur peccator pœnitere per Contritionem. Est sententia Recentiorum Theologorum, contra Veteres. D. Thomas, S. Bonaventura, Alensis, & Scotus circa hoc nil determinârunt; sed solùm docuerunt, esse decens, ut statim sequatur Pœnitentia.

Probatur primò: Obligatio ad Pœnitentiam formalem ponendam pro peccato est Præcepti affirmativi; sed tale non obligat semper, & pro semper: sed certis, & determinatis temporibus: ergo &c.

6. *Opposita sententia est valdè onerosa.*

Probatur secundò: Opposita sententia inducit obligationem valdè onerosam, quæ non facilè debet imponi in Lege gratiæ; nisi de ea sufficienter constet: non constat autem hìc: ergo &c.

Probatur tertiò: Opposita sententia multiplicaret nimiùm peccata nova in peccatoribus, non statim conterentibus post commissam culpam: nam qui non adimplet Præceptum affirmativum illo tempore, quò tenetur, de novo peccat: & ita singulis momentis peccator, non illicò conterens, novum mortale committeret; quod est contra communem fidelium sensum; & durum nimis: ergo &c.

7. *Quomodo intelligantur Scriptura, pro vocantes ad statim pœnitendum.*

Objicies primò: S. Scriptura clamat; *ut non tardes converti ad Dominum; & ne differas de die in diem.* Eccles: 5. ergo &c. Respondeo: in hac, & similibus Scripturis, contineri tantùm consilium; quod & SS: PP: frequenter urgent: non verò Præceptum: vel si Præceptum importet; vult solùm, ut desistamus ab actualibus peccatis continuandis, vel repetendis.

8. *Cur teneatur quis se liberare statim à periculo salutis corporea; & non spiritualis.*

Objicies secundò: Est obligatio, ægritudinem corporalem periculosam statim tollendi per pharmaca: & spiritualem per Contritionem. Respondeo Neg: Consequentiam: Disparitas est: quia nisi nunc tollatur ægritudo corporalis periculosa, non superest aliud tempus illam tollendi: superest autem pro tollenda spirituali.

9. *Aliquoties in vita est pœnitendum per Contritionem.*

DICO quartò: In decursu totius vitæ, tametsi non adsit articulus mortis; vel ratio recipiendi; aut administrandi Sacramenta; vel periculum novi peccati committendi, vel memoria actualis peccatorum; adhuc aliquoties tenetur viator peccator pœnitere. Ita Scotus 4. d. 20. & communior Veterum, & RR: contra Vasq: Hurta. &c.

Probatur primò: ex diversis Scripturæ passibus, damnantibus nimiam Pœnitentiæ dilationem usque ad extremum vitæ. Et SS: PP: idem sentientibus: maximè D. Aug: Serm: 37. de Tempore: *Age Pœnitentiam dum sanus es, securus es, quando eo tempore Pœnitentiam egisti, in quo peccare potuisti: si autem vis agere Pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa:* & eodem lib: *Pœnitentia Sera, rarò vera*: ergo &c.

10. *Tempus verò & annum numerus determinari nequit.*

Tempus autem; & numerus hujusmodi actuum Pœnitentialium eliciendorum, difficulter assignari potest: & DD: plurimùm variant. Lugo, & alii assignant tres, vel quatuor annos: alii aliter determinant. Ego judico pro diverso statu personarum, aut circumstantiarum, tempus esse contrahendum, & actuum Pœnitentialium majorem, vel minorem frequentiam statuendam: sic Religiosi citiùs, & frequentiùs debent conteri extra Sacramentum, quàm Laici. Sentio præterea, toties esse pœnitendum cuivis, quoties tenetur elicere actum Amoris DEI super omnia supernaturalem, hic enim necessariò infert dolorem de peccatis.

QUÆSTIO III.

Qualem Efficaciam habeat Pœnitentia Virtus in ordine ad Mortalia remittenda.

1. *In Contritione remittuntur de simul omnia Mortalia.*

DICO primò: Intuitu Pœnitentiæ Virtutis perfectæ defactò omnia Mortalia simul remittuntur. Est Cathol: omnium.

Probatur ex doctrina Trid: Sess: 14. *de Pœnitentia* 5. ubi explicat justificationem peccatoris per modum justificationis, & liberationis à morte juxta tenorem S. Scripturæ: sed justificatio, & liberatio à morte juxta tenorem Scripturæ, est secundùm omnia Mortalia: sic dicitur Ezech: 18. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnis peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor*: ergo &c.

DICO

2. *Etiam pœna æterna.*

DICO secundò: Virtute Pœnitentialis Contritionis remittitur cum culpa etiam pœna æterna: non tamen tota temporalis. Ita Scotus 4. d. 14. q. un: & DD: Catholici communiter.

Probatur prima pars: ex Trid: Seff: 6. c. 14. ubi supponit pœnam æternam simul cum culpa mortali deleri: ergo &c. Probatur etiam ex Sacra Scriptura, quæ connectit statum culpæ, cum statu damnationis æternæ; & è contra remissionem culpæ, cum liberatione à tali damnatione: sic loquitur ad Rom: 6. *Nunc liberati à peccato Servi facti DEO, habentes fructum vestrum in sanctificatione; finem autem vitam æternam*: ergo &c.

Probatur ratione: Pœnitentialis Contritio justificat: sed justificatio nequit stare cum reato ad pœnam æternam; cùm dicat adoptionem filiorum DEI, & jus ad hæreditatem gloriæ æternæ: ergo &c.

3. *Sed non tota temporalis.*

Probatur secunda pars: ex Trid: Seff: 14. cap: 8. afferente contra Novatores sequentia: *S. Synodus declarat, falsum omninò esse, & à Verbo DEI alienum, culpam à Domino nequaquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur*: quibus verbis supponit dimissâ culpâ, remanere adhuc aliquam pœnam.

Probatur secundò ratione: Dominus terrenus gravem injuriam passus à Subdito potest, & solet factâ jam reconciliatione exigere satisfactionem aliquam resarcitivam sui juris: ergo à fortiori Dominus supremus omnis creaturæ DEUS, læsus in jure suo, per peccatum alicujus creaturæ, congruè exigit aliquam satisfactionem, præstandam per pœnam temporalem post reconciliationem.

4. *Contritio est meritū tantùm de congruo adjustificationem obtinendam.*

DICO tertiò: Pœnitentialis Contritio non est meritum de condigno; sed de congruo tantùm respectu remissionis peccatorum mortalium, & obtinendæ gratiæ sanctificantis, Ita Scotus 1. d. 17. q. 1. plures Thomistæ & RR:

Probatur: ex S. Litteris asserentibus sparsim, peccatorem gratis justificari: sic loquitur Apostolus ad Rom: 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius*: & alibi: sed si Pœnitentialis Contritio esset meritum de condigno remissionis Mortalium, & justificationis, peccator non gratis justificaretur; sed ob mercedem, & præmium debitum ex justitia: ergo &c.

5. *Quod clarè ex Trident.*

Confirmatur ex Trid: Seff: 7. cap: 8. dogmatizante: *Gratis omnem hominem justificari; quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam, promeretur*: ergo &c. Manet ergo quod Contritio Pœnitentialis sit tantùm dispositio, & meritum de congruo, in ordine ad delenda Mortalia & justificationis donum obtinendum; quod & PP: passim stabiliunt, cum Theologis.

QUÆSTIO IV.

Qualem Efficaciam præstet Pœnitentia Virtus; Virtutes aliæ; & Sacramentalia circa remissionem Venialium.

1. *Venialia extra Sacramentū per Contritionem remittuntur.*

DICO primò: Tam Pœnitentialis Contritio, quàm Attritio exacta extra Sacramentum remittit culpas Veniales. Ita Scotus 4. d. 21. q. 1. cum suis & Suar: Con: contra Vasq: quoad secundam partem.

Probatur prima pars; quia ùt ostensum est supra d. 7. q. 4. Contritio seu amor DEI supernaturalis remittit dispositivè omnia peccata: ergo etiam Venialia.

2. *Etiam per Attritionem.*

Probatur secunda pars: Attritio est vera Pœnitentia, dicens oppositionem cum Veniali; est enim odium, detestatio, & destructio ipsius: ergo remittit Veniale extra Sacramentum.

Probatur secundò: si requireretur extra Sacramentum semper ipsa Contritio ad remittendum Venialia; ùt vult Vasquez, sequeretur; quòd æquè rigorosa satisfactio exigeretur pro levi, ac pro gravi peccato: sed hoc dici nequit; cùm sit contra justitiæ debitum ordinem: ergo non requiritur semper Contritio; adeoque sufficit Attritio.

3. *Occurritur oppositioni cuidam Adversariorum.*

Objicitur: & est fundamentum principale oppositæ sententiæ: si Attritio Venialia extra Sacramentum remitteret; frustra deinde Confessioni subjicerentur; non enim ampliùs possunt remitti: ergo &c. Respondeo primò: Neg: Ant: Nam sicut mortalia per Contritionem deleta; deinde non frustra subjiciuntur Confessioni: Ita dicendum de Venialibus. Respondeo secundò: Neg: iterum Ant: Nam, ùt benè docet Brancatus hìc, fructuosè subjiciuntur, etsi sint priùs remissa; ut pœna ipsis correspondens remittatur; & talis pœnæ remissio, est vera remissio; ut patet in concessione Indulgentiarum, quæ dicuntur verè pœnas remittere in praxi Ecclesiæ.

4. *Venialia etiā remittuntur per actus Virtutum diversarū.*

DICO secundò: Venialia peccata solent etiam remitti per actus aliarum virtutum, si ab operante eò referantur. Ita Scotus 4. d. 21. q. un; cum suis, & Suario.

Pro-

Probatur ex Tridentino Sess: 14. cap: 2. asserente: moltis remediis posse deleri Venialia, ultra formalem Pœoiteotiam: sed sub hujusmodi etiam venioot Virtutes aliæ actuales; ergo &c. Probatur Min: Virtutes actoales procedeotes ex gratia suot meritoriæ augmenti gratiæ, & gloriæ: ergo & deletivæ Veoialium.

5. *Quas probabiliter DEUS acceptat ad deletionē Venialiū.*

Nec hìc dubitandum est de divioa acceptatione: cum enim per hujusmodi actus virtotum specialis hnoor DEO exhibeator, imò major, quàm ei subtractus sit per Veniale, piè eredendom est; DEUM hos actus acceptare io ordine ad remissiooem Venialium: Et ideo S. Scriptura actibus quibusdam Virtutum, à Pœnitentia distinctis, promittit dimissiooem culpæ: ut colligitur ex illo: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Et *Eleemosynis peccata redime* &c. qood etiam observavit D. Aug: Epist: 108.

6. *Tanquam dispositiones moraliter bonæ ad deletionē eorum.*

Nota aotem: Virtutem remittere Veoialia per modum tantùm præviæ dispositionis moralis; eô modô, quô sopra dixi dist: 7. q. 2. Contritionem delere mortalia.

DICO tertiò. Etiam per Sacramenta omoia remittontur Venialia peccata. Ita commenis Scholasticorum & sancti Patres.

7. *Venialia per Sacramenta omnia expiantur.*

Probatur: Omnia Sacramenta sunt caosæ iostromentales Passionis Christi, in urdine ad sanctificandas animas institutæ; item disponendas eas ad gloriæ consecutionem; & consequeoter ad removenda impedimenta gloriæ; sed Venialia sunt aliqua impedimenta gloriæ: ergo tollontur per Sacramenta ritè suscepta. Sed de hoc fusiòs in dist: 1. *de Sacramentis in communi* q 4.

8. *Imò & per Sacramentalia.*

DICO quartò: Per Sacrsmentalia pariter remittuntur Venialia, non quidem ex opere operato: sed per modum impetrationis. Ita deducitur ex Doctore 4. d. 21. q. 1. & est RR:

Probatur prima pars: ex senso Ecclesiæ, propooentis Sacramentalia pro deletione Venialium, puta aspersionem aquæ benedictæ; benedictionem Episcopi: Orationem Dominicam: &c. Et accedit communis Doctorum Catholicotum, & SS: PP: assensus: ergo &c.

9. *Non ex opere operato.*

Probatur secuoda pars; quia à Christo non legitur instituta ad remissiooem Venialium, aspersio aquæ beoedictæ, & similia: ergo ex opere operato Sacramentalia non deleot Venialia.

10. *Sed per modum impetrationis.*

Probator tertia pars: quia Ecclesia benediceodo Sacrameotalia, suis uratiooibus impetrat oobis Pœniteotiæ formalis, vel virtualis Motum, per quem Venialia remittontur: ergo per modum impetratioois Sacramentalia remittuot culpas Veniales.

11. *Quæ sint censenda Sacramentalia.*

Nota: umnia Sacramentalia sequenti versu iocludi:

Oraos, tinctus, edens, coofessus, dans, benedicens.

Orans signat Orationam Dominicam, *tinctus* aquæ benedictæ aspersionem, *edens*, commuoionem, *dans* Eleemosyoam, *Benedicens*, benedictionem Episcopi.

QUÆSTIO V.

Num Venalia possint remitti in hac vita remanentibus Mortalibus? Ubi etiam de remissione Venialium in Purgatorio.

1. *Veniale remittitur, sine remissis mortalibus.*

DICO primò: Probabile est in hac vita Venialia qoòad eulpam, & pœnam remitti, sinè remissione Mortalium commissorum. Ita Scotus 4. d. 21. q. 1. pluresque Scotistæ, Hiquæus, Hiribarnes, &c. cootra Vasq: Suar: aliosque RR:

Probatur: secundùm Adversarios communiter potest remitti Mortsle sioè Venialibus remissis: ergo & Veoiale sinè remissiooe Mortalium. Probatur Conseqoentia à pari. Et quia peccatum Veoiale non dicit necessariam connexionem cum Mortali, qoantùm ad sui remissionem; cùm ex nullo capite talis coooexio colligi possit: ergo &c.

2. *Roboratur prior sententia.*

Probatur secundò: enervando principalem rationem Adversariorum; ideo non posset remitti Veoiale sinè remissione Mortalium; quia ad ejus remissionem requiritur insusio gratiæ saoctificantis, quæ incompatibilis est cum Mortalibus; sed hoc est falsum: ergo &c. Maj: est Adversariorom: Prob: Min: Veniale peccatom non inclodit privationem gratiæ sanctificaotis, sed compatitur illam secum; ùt apparet in justis, io dies Venialia committentibus: ergo nec ad ejus remissionem requiritur gratiæ sanctificantis iosusio.

3. *Bona Congruentia ad idem.*

Tandem: Nostra sententia magìs commendat DEI Bonitatem, ac Justitiam: contraria verò retardat à bono opere, ob rigorem sui; si omnia opera peccatorum essent mortua, & vacoa meritis. Quare dico usum Sacramentalium, & actus virtutum omninò coodocere ad deletionem Veoialiom, remanentibus Mortalibos; & ideo Ecclesia Sacramentalium usum indefinitè

definitè proponit, permittitque applicari aquam benedictam, Episcopalem benedictionem, &c. tam justis, quàm injustis. Quod etiam D. Aug: *in Enchiridio* c. 71. observavit; dum ait: *De quotidianis levioribus culpis, sinè quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Oratio Fidelium satisfacit;* Fidelium dixit, non justorum; ut omnes comprehendat.

4. S. Aug: doctrina explanatur.

Objicies: S. Aug: *de vera, & falsa Pœnitentia*, dicentem: impietatem infidelitatis esse, sperare à DEO dimidiatam veniam; ergo &c. Respondeo: illam dimidiationem intelligendam esse circa Mortalia; non verò Venialia, quæ nullam habent connexionem cum mortalibus in remissione. Taliter etiam intelligitur illud dictum, *quem DEUS sanat, perfectè sanat:* intellige quem sanat à Mortalibus per infusionem gratiæ justificantis.

5. Purgatorium in altera vita expiat Venialia.

DICO secundò: Venialia etiam in altera vita remittuntur per pœnas Purgatorii. Ita communis Catholicorum.

Probatur primò: quia hoc deducitur ex illo Matth: 12. v. 32. *Qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro:* ex quibus verbis SS: PP: signanter Greg: 4. *Dialog:* c. 19. colligunt esse aliqua peccata, quæ in futuro sæculo remittuntur: cape textum Greg: cit: *In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo; quasdam verò in futuro posse laxari:* ergo &c.

6. Quod ratio etiam ostendit.

Probatur secundò ratione: Non est consentaneum Divinæ Justitiæ, discedentem cum solis Venialibus, æternaliter punire; nec illicò in gloriam transmittere: *Nil enim inquinatum intrabit regnum cælorum*, teste Scripturâ: ergo ab hujusmodi priùs debent tolli Veniales culpæ in Purgatorio.

Quonam autem modo, & quando in altera vita remittantur Venialia, variant DD: Ego

7. In Purgatorio Venialia non expiantur per actus bonos ibi elicitos; sed per satispassionem.

DICO tertiò: Venialia in altera vita non remittuntur per aliquem actum bonum conversionis ad DEUM & detestationis Venialium elicitum in altera vita; sed per Satispassionem. Ita Scotus 4. d. 21. q. 1. contra Radam nostrum, Amic: Suar: ac alios RR:

Probatur prima pars: Status alteriùs vitæ non est status merendi; & consequenter nec delendi Venialia, ut insinuatur in Ecclesiast: 14. v. 17. *Ante obitum tuum operare justitiam; quia non est apud inferos invenire cibum:* ergo in altera vita per aliquem actū ibi elicitum non delentur Venialia. Probatur secunda pars: ex Apostolo 1. Cor: 3. v. 15. *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem;* quibus verbis satispassio assignatur pro Venialium remissione, uti observat D. Greg: 4. *Dialog:* c. 39. dicens: de quibusdam levibus culpis ante judicium purgatorius ignis credendus est: ergo &c.

8. Vel certè per actus viæ, eò directos, & acceptatos à DEO.

Notat etiam Scotus cit: esse sat probabilem opinionem, quæ ponit Venialia in altera vita aboleri per aliquem actum fructuosum, & meritorium in vita elicitum, acceptatum à DEO ad hujusmodi deletionem: & suadetur ex ejusdem Gregorii glossa cit: ab Alensi q. 15. memb: 3. art: 3. super dictum Matth: 12. dicente: *Quædam enim culpæ in hoc sæculo relaxantur, quædam verò pœnæ in futuro, quæ quidem post mortem gravant; sed dimittuntur, si homo bonis actibus in vita, ut ibi dimittantur, promeruit.*

QUÆSTIO VI.

De Reditu Meritorum; & Peccatorum.

1. Multiplicia Opera viatoris adducuntur.

NOta primò: Ex communi Theologorum, opera viatoria alia esse viva; alia mortificata; alia mortifera; alia mortua. *Viva* sunt; quæ eliciuntur in statu gratiæ. *Mortificata*; quæ in statu gratiæ fuerunt quidem elicita, sed à consecutione præmii impediuntur, ob consequens peccatum. *Mortifera* sunt; quæ licèt ex fine honesto eliciantur; procedunt tamen à peccatore actuali: Quæritur ergo an mortificata, & mortua reviviscant per Pœnitentiam: idem quæritur de Peccatis dimissis.

2. Opera mortua non reviviscunt in Pœnitentia ad præmium Beatitudinis assequendum.

DICO primò: Opera mortua non reviviscunt ad meritum vitæ æternæ per sequentem Pœnitentiam; licèt proficua sint ad alia bona impetranda; si talia opera honesta sint. Ita communis TT:

Probatur prima pars primò: ex Gen: 4. *Respexit DEUS ad Abel & munera ejus; ad Cain autem non respexit:* ex quo passu colligitur DEUM priùs ad opera operantis attendisse; quàm ad opus: sed persona Cain fuit inimica: ergo & opus. Secundò ex illo Ecclesiastici 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus;* sed probaret; si per Pœnitentiam reviviscerent: ergo &c.

Probatur secundò ratione: Opera mortua non sunt accepta ad præmium vitæ æternæ; cùm elicita fuerint à Filio gehennæ, qui nullum habet jus ad vitam æternam: neque sunt elicita cum vita gratiæ, neque à Filio gratiæ; quæ omnia requiruntur ad esse meritum vitæ æternæ: ergo &c.

Pp Pro-

Probatur ex Tridentino Sess: 14. cap: 2. asserente: multis remediis posse deleri Venialia, ultra formalem Pœnitentiam: sed sub hujusmodi etiam veniunt Virtutes aliæ actuales: ergo &c. Probatur Min: Virtutes actuales procedentes ex gratia sunt meritoriæ augmenti gratiæ, & gloriæ: ergo & deletivæ Venialium.

5. *Quas probabiliter DEUS acceptat ad deletionē Venialiū.* Nec hic dubitandum est de divina acceptatione: cum enim per hujusmodi actus virtutum specialis honor DEO exhibeatur, imò major, quàm ei subtractus sit per Veniale, piè credendum est; DEUM hos actus acceptare in ordine ad remissionem Venialium: Et ideo S. Scriptura actibus quibusdam Virtutum, à Pœnitentia distinctis, promittit dimissionem culpæ: ut colligitur ex illo: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Et *Eleemosynis peccata redime* &c. quod etiam observavit D. Aug: Epist: 108.

6. *Tanquam dispositiones moraliter bonæ ad deletionē eorum.* Nota autem: Virtutem remittere Venialia per modum tantùm præviæ dispositionis moralis; eò modò, quò supra dixi dist: 7. q. 2. Contritionem delere mortalia.

DICO tertiò. Etiam per Sacramenta omnia remittuntur Venialia peccata. Ita communis Scholasticorum & sancti Patres.

7. *Venialia per Sacramenta omnia expiantur.* Probatur: Omnia Sacramenta sunt causæ instrumentales Passionis Christi, in ordine ad sanctificandas animas institutæ; item disponendas eas ad gloriæ consecutionem; & consequenter ad removenda impedimenta gloriæ; sed Venialia sunt aliqua impedimenta gloriæ: ergo tolluntur per Sacramenta ritè suscepta. Sed de hoc fusiùs in dist: 1. *de Sacramentis in communi* q. 4.

8. *Imò & per Sacramentalia.* DICO quartò: Per Sacramentalia pariter remittuntur Venialia, non quidem ex opere operato: sed per modum impetrationis. Ita deducitur ex Doctore 4. d. 21. q. 1. & est RR:

Probatur prima pars: ex sensu Ecclesiæ, proponentis Sacramentalia pro deletione Venialium, puta aspersionem aquæ benedictæ; benedictionem Episcopi: Orationem Dominicam: &c. Et accedit communis Doctorum Catholicorum, & SS: PP: assensus: ergo &c.

9. *Non ex opere operato.* Probatur secunda pars: quia à Christo non legitur instituta ad remissionem Venialium, aspersio aquæ benedictæ, & similia: ergo ex opere operato Sacramentalia non delent Venialia.

10. *Sed per modum impetrationis.* Probatur tertia pars: quia Ecclesia benedicendo Sacramentalia, suis orationibus impetrat nobis Pœnitentiæ formalis, vel virtualis Motum, per quem Venialia remittuntur: ergo per modum impetrationis Sacramentalia remittunt culpas Veniales.

11. *Quæ sint censenda Sacramentalia.* Nota: omnia Sacramentalia sequenti versu includi:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans signat Orationem Dominicam, *tinctus* aquæ benedictæ aspersionem, *edens*, communionem, *dans* Eleemosynam, *Benedicens*, benedictionem Episcopi.

QUÆSTIO V.

Num Venalia possint remitti in hac vita remanentibus Mortalibus? Ubi etiam de remissione Venialium in Purgatorio.

1. *Veniale remittitur, sine remissis mortalibus.* DICO primò: Probabile est in hac vita Venialia quòad culpam, & pœnam remitti, sinè remissione Mortalium commissorum. Ita Scotus 4. d. 21. q. 1. pluresque Scotistæ, Hiquæus, Hiribarnes, &c. contra Vasq: Suar: aliosque RR:

Probatur: secundùm Adversarios communiter potest remitti Mortale sinè Venialibus remissis: ergo & Veniale sinè remissione Mortalium. Probatur Consequentia à pari. Et quia peccatum Veniale non dicit necessariam connexionem cum Mortali, quantùm ad sui remissionem; eùm ex nullo capite talis connexio colligi possit: ergo &c.

2. *Roboratur prior sententia.* Probatur secundò: enervando principalem rationem Adversariorum; ideo non posset remitti Veniale sinè remissione Mortalium; quia ad ejus remissionem requiritur infusio gratiæ sanctificantis, quæ incompatibilis est cum Mortalibus; sed hoc est falsum: ergo &c. Maj: est Adversariorum: Prob: Min: Veniale peccatum non includit privationem gratiæ sanctificantis, sed compatitur illam secum; ut apparet in justis, in dies Venialia committentibus: ergo nec ad ejus remissionem requiritur gratiæ sanctificantis infusio.

3. *Bona Congruentia ad idem.* Tandem: Nostra sententia magis commendat DEI Bonitatem, ac Justitiam: contraria verò retardat à bono opere, ob rigorem sui; si omnia opera peccatorum essent mortua, & vacua meritis. Quare dico usum Sacramentalium, & actus virtutum omninò conducere ad deletionem Venialium, remanentibus Mortalibus; & ideo Ecclesia Sacramentalium usum indefinitè

definitè proponit, permittitque applicari aquam benedictam, Episcopalem benedictionem, &c. tam justis, quàm injustis. Quod etiam D. Aug: *in Enchiridio c. 71.* observavit; dum ait: *De quotidianis levioribus culpis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Oratio Fidelium ſatisfacit;* Fidelium dixit, non justorum; ut omnes comprehendat.

4. S. Aug: doctrina explanatur.

Objicies: S. Aug: *de vera, & falſa Pœnitentia*, dicentem: impietatem infidelitatis aſſe, ſperare à DEO dimidiatam veniam: ergo &c. Respondeo: illam dimidiationem intelligendam eſſe circa Mortalia; non verò Venialia, quæ nullam habent connexionem cum mortalibus in remiſſione. Taliter etiam intelligitur illud dictum, *quem DEUS ſanat, perfectè ſanat:* intellige quem ſanat à Mortalibus per infuſionem gratiæ justificantis.

5. Purgatorium in altera vita expiat Venialia.

DICO ſecundò: Venialia etiam in altera vita remittuntur per pœnas Purgatorii. Ita communis Catholicorum.

Probatur primò: quia hoc deducitur ex illo Matth: 12. v. 32. *Qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro:* ex quibus verbis SS: PP: ſignanter Greg: 4. *Dialog: c. 39.* colligunt aſſe aliqua peccata, quæ in futuro ſæculo remittuntur: cape textum Greg: cit: *In qua ſententia datur intelligi, quaſdam culpas in hoc ſæculo; quaſdam verò in futuro poſſe laxari:* ergo &c.

6. Quod ratio etiam oſtendit.

Probatur ſecundò ratione: Non eſt conſentaneum Divinæ Justitiæ, diſcedentem cum ſolis Venialibus, æternaliter ponire; nec illicò in gloriam transmittere: *Nil enim inquinatum intrabit regnum cælorum*, teſte Scripturâ: ergo ab hujusmodi priùs debent tolli Veniales culpæ in Purgatorio.

Quonam autem modo, & quando in altera vita remittantur Venialia, variant DD: Ego

7. In Purgatorio Venialia non expiantur per actus bonos ibi elicitos; ſed per ſatiſpaſſionem.

DICO tertiò: Venialia in altera vita non remittuntur per aliquem actum bonum converſionis ad DEUM & deteſtationis Venialium elicitum in altera vita; ſed per Satiſpaſſionem. Ita Scotus 4. d. 21. q. 1. contra Radam nostrum, Amic: Soar: ac alios RR:

Probatur prima pars: Status alteriùs vitæ non eſt ſtatus merendi; & conſequenter nec delendi Venialia, ut inſinuatur in Eccleſiaſt: 14. v. 17. *Ante obitum tuum operare justitiam; quia non eſt apud inferos invenire cibum:* ergo in altera vita per aliquem actu ibi elicitum non delentur Venialia. Probatur ſecunda pars: ex Apoſtolo 1. Cor: 3. v. 15. *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem;* quibus verbis ſatiſpaſſio aſſignatur pro Venialium remiſſione, uti obſervat D. Greg: 4. *Dialog: c. 39.* dicens: de quibusdam levibus culpis ante judicium purgatorius ignis eredendus eſt: ergo &c.

8. Vel certè per actus vitæ, eò directes, & acceptatos à DEO.

Notat etiam Scotus cit: eſſe ſat probabilem opinionem, quæ ponit Venialia in altera vita aboleri per aliquem actum fructuoſum, & meritorium in vita elicitum, acceptatum à DEO ad hujusmodi deletionem: & ſuadetur ex ejusdem Gregorii gloſſa cit: ab Alenſi q. 15. memb: 3. art: 3. ſuper dictum Matth: 12. dicente: *Quædam enim culpa in hoc ſæculo relexa utur, quædam verò pœna in futuro, quæ quidem poſt mortem gravant; ſed dimittuntur, ſi homo bonis actibus in vita, ut ibi dimittantur, promeruit.*

QUÆSTIO VI.
De Reditu Meritorum; & Peccatorum.

1. Multiplicia Opera viatoris adducuntur.

NOta primò: Ex communi Theologorum, opera viatoris alia eſſe viva; alia mortificata; alia mortifera; alia mortua. *Viva* ſunt; quæ eliciuntur in ſtatu gratiæ. *Mortificata*; quæ in ſtatu gratiæ fuerunt quidem elicita, ſed à conſecutione præmii impediuntur, ob conſequens peccatum. *Mortifera* ſunt; quæ licèt ex fine honeſto eliciantur; procedunt tamen à peccatore actuali: Quæritur ergo an mortificata, & mortua reviviſcant per Pœnitentiam: idem quæritur de Peccatis dimiſſis.

2. Opera mortua non reviviſcunt in Pœnitentia ad præmium Beatitudinis aſſequendum.

DICO primò: Opera mortua non reviviſcunt ad meritum vitæ æternæ per ſequentem Pœnitentiam; licèt proficua ſint ad alia bona impetranda; ſi talia opera honeſta ſiot. Ita communis TT:

Probatur prima pars primò: ex Gen: 4. *Reſpexit DEUS ad Abel & munera ejus; ad Cain autem non reſpexit:* ex quo paſſu colligitur DEUM priùs ad opera operantis attendiſſe; quàm ad opus: ſed perſona Cain fuit inimica: ergo & opus. Secundò ex illo Eccleſiaſtici 34. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus;* ſed probaret; ſi per Pœnitentiam reviviſcerent: ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: Opera mortua non ſunt accepta ad præmium vitæ æternæ; cùm elicita fuerint à Filio gehennæ, qui nullum habet jus ad vitam æternam: neque ſunt elicita cum vita gratiæ, neque à Filio gratiæ; quæ omnia requiruntur ad eſſe meritum vitæ æternæ: ergo &c.

3. *Benè tamē ad alia beneficia naturalia.*

Probatur secunda pars: quia Scriptura docet DEUM ob opera Ninivitarum distulisse eversionem urbis, quæ quoddā bonum temporale est: & 3. Reg: cap: 21. ob humiliationem Achab, non induxit Dominus malum in diebus suis: sed Ninivitarum, & Achab opera erant mortua: ergo &c.

4. *Revivi-scunt tamen mortificata.*

DICO secundò: Opera bona mortificata, seu merita præcedentia Peccatum mortale, integrè reviviscunt per Pœnitentiam quoad totum jus antiquum gloriæ. Ita Scotus 4. dist. 22. q. un: & communis Theologorum.

Probatur primò ex Sacris Litteris Ezech: 33. v. 12. *In quacunque die conversus fuerit ab impietate sua, impietas impii non nocebit ei*; sed multùm noceret ipsi, si opera bona mortificata non reviviscerent: ergo &c. Item ad Heb: 6. v. 10. *Non enim injustus est DEUS, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis*: quem locum intelligunt DD: de operibus mortificatis: vide Glossam super hunc textum: ergo &c.

5. *Tridentinum idem comprobat*

Probatur secundò ex Trid: quod Sess: 6. cap: 16. de lapsis & eorum recuperatione dicit; *Hâc igitur ratione justificatis omnibus sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint; sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba; abundate in opere bono, scientes, quòd labor noster non est inanis in Domino: non est enim injustus DEUS, ut obliviscatur operis vestri.* Quibus verbis comprehendit non solùm opera viva, sed etiam mortificata, & per Pœnitentiam vivificata: alioquin frustra apposuisset illam disjunctivam, *sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint*: ergo &c.

6. *Et argumentum Scoti firmiter stabilit.*

Probatur tertiò Argumentô Doctoris: Meritum vitæ æternæ in operibus nunquam secundùm justitiam commutatur in bonum temporale; sicut Meritum pœnæ æternæ commutatur per Pœnitentiam in pœnam temporalem: ergo nunquam expirat jus bonorum operum, quousque bonum æternum ei semel promissum sit solutum: aut certè per finalem impœnitentiam penitùs extinctum: ergo quando peccator per Pœnitentiam resurgit à peccato, hôc ipsô competit ei actio ad præmium correspondens antiquis Meritis: & sic antiqua Merita mortificata reviviscunt plenè.

7. *Scriptura Ezech: 18. v. 24. glossatur.*

Objicies primò: Ezech: 18. v. 24. habetur: *Si autem averterit se justus à justitia sua & fecerit iniquitatem &c. omnes justitiæ ejus non recordabuntur*; Sed recordaretur Deus justitiarum ejus, si postea præstitâ Pœnitentiâ Merita reviviscerent: ergo &c. Respondeo glossando Prophetam, & dico; quòd tantùm loquatur de justitiis, seu bonis operibus elicitis in statu peccati mortalis; hæc cùm mortua sint, non veniunt in recordationem, & remunerationem DEI per collationem vitæ æternæ. Aut si loquatur etiam de bonis operibus ante lapsum elicitis, seu mortificatis, dico; eum solùm velle; quòd non suspendatur ipsum jus; sed tantùm actio Juris illis operibus debita, donec vigore Pœnitentiæ debitæ restituatur.

8. *Quidam Scoti discursus non efficit principali Conclusioni.*

Objicies secundò Discursum Doctoris 4. d. 22. q. 1. dicentis; gratiam habitualem non resurgere semper tantam, quanta fuit antè lapsum: cùm sæpè valdè remissè, puta cum sola Attritione in Sacramento disponat se homo ad justificationem; qui tamen antè habuit gratiam summè intensam: ergo nec jus tantum ad gloriam, debet reviviscere. Consequentia videtur tenere; quia jus ad gloriam commensuratur gratiæ habituali; ergo tantum jus requirit tantam gratiam.

Respondeo: Concedendo Ant: ut aptè discurrit Scotus, & Neg. Conseq: ad ejus probationem Dist: Ant: Jus ad gloriam commensuratur gratiæ habituali soli; Nego Ant: ipsi & Meritis simul; Concedo Ant: Itaque Jus ad gloriam commensuratur utrique; licet diversis titulis: gratiæ enim debetur gloria titulô hæreditatis, & quasi Misericordiæ puræ; Meritis verò titulô remunerationis & justitiæ.

9. *Peccata expiata debitè, in relapsu non redeunt.*

DICO quartò: Peccata semel per Pœnitentiam dimissa, nec quoad reatum culpæ; nec quoad reatum pœnæ æternæ, per subsequens peccatum redeunt. Ita Scotus 4. d. 22. q. un: & communis; contra Hugonem, Victorinum, &c.

Probatur primò: ex omnibus textibus Scripturæ, qui innuunt DEUM peractâ Pœnitentiâ non recordari peccatorum; qualis est ille Ezech: 18. *Si impius egerit Pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor ampliùs*; & alii plures. Item illis locis Scripturæ; quibus insinuatur DEUM non imputare peccata; nec bis judicare in idipsum; & dedisse Apostolis, & eorum successoribus Sacerdotibus potestatem absolvendi peccata: quæ omnia vera non essent; si peccata redirent in relapso: ergo &c.

10. *Jure Can: manutemissa,*

Probatur secundò ex Jure Can: in quo dist: 4. *de Pœnit*: cap: *finali*, dicit Gelasius Papa; *Divina Clementia peccata semel remissa,*

...netur Conclusio.

remissa, ulteriùs in ultionem redire non patitur: ergo &c.

11. *Et congruentiâ optimâ Doct: Subt:*

Addit Scotus congruentiam: nam hoc decet magnam DEI Misericordiam; ut dum condonat peccata, simul commutet debitum pœnæ æternæ in debitum pœnæ temporalis; quâ solutâ, nil ampliùs sibi relinquit vindicandum; cùm sit pronior ad Misericordiam; quàm ad vindictam.

12. *Quo sensu secundùm Scripturas DEUS reminiscatur peccatorum.*

Objicies primò plures Scripturas; quæ insinuant DEUM reminisci priorum peccatorum: Unde rogat Psalmista Psal: 78. *Non memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*: ergo &c. Et ideo etiam servus ille nequam apud Matth: 18. cui dimiserat Dominus universum debitum, postea sobjectus est torturæ, usque ad persolutionem extremam: ergo &c. Respondeo ad Scripturas, & Psalmistam; hanc reminiscentiam procedere solùm quoad pœnam temporalem, nondum persolutam: non verò quoad culpam, cujus DEUS ampliùs non reminiscitur. Ad parabolam servi, Respondet Doctor Subtilis: eam solùm docere; quòd recidivantes iisdem pœnis inferni adjudicentur, quibus adjudicati erant ob priora peccata quoad durationem; non quoad intensionem. Quò modò idem Doctor exponit illud D. Jacobi 2. cap: *Qui in uno offendit, factus est omnium reus*: intellige quoad durationem pœnæ; non quoad intensionem.

13. *Non est paritas de reviviscentia Meritorum, & peccatorũ.*

Objicies secundò Communem paritatem apud AA: Merita reviviscunt per Pœnitentiam: ergo & Peccata per subsequens peccatum. Respondeo cum Doctore, Neg: paritatem. Disparitas est; quia merita per peccatum subsequens non destruuntur, sed actio juris ad gloriam tantùm suspenditur, uti patet ex illo: *Non enim injustus est DEUS, ut obliviscatur operis vestri*: Unde dum per Pœnitentiam aufertur suspensio, denuò reviviscunt. Peccata autem per justificationem destruuntur; ut innuunt plures Scripturæ, alibi adductæ: adeoque hæc ampliùs non redeunt. Et addit Scotus hoc provenire ex superabundanti Bonitate, & Divina Misericordia.

14. *De absoluta potentia possent reviviscere delicta.*

Nota ex Scoto & communiori: posse tamen de potentia absoluta redire peccata per subsequens peccatum: posset enim DEUS in condonatione priorum, apponere pactum conditionatum hujusmodi: *Si tu recidivaveris in peccata, volo ut reviviscant omnia priora peccata*: in hoc enim nulla videtur repugnantia: quo casu in relapsu redirent antiqua peccata.

DISTINCTIO IX.

DE POENITENTIA, UT HABET RATIONEM SACRAMENTI.

PRÆNOTATIO.

SAncti Patres Cyp: Aug: Hieron: &c. Pœnitentiæ Sacramentum diversis exornant prædicatis; nunc Expiationis, nunc Purificationis, Renunciationis, Renascentiæ, Reformationis, Baptismi laboriosi, seu lacrymarum, secundæ post naufragium Tabulæ, Exomologesis, Reconciliationis; nunc aliter; quibus omnibus summa ejus utilitas, necessitas, & nobilitas indigitatur. De Pœnitentia igitur ut Sacramento, post exactas Distinctiones sub respectu Virtutis, sequentes subjicio Distinctiones.

QUÆSTIO I.

Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ; à quo; & quando institutum; quæ ejus Essentia; & partes?

1. *Definitur Pœnitentia Sacramentum.*

DICO primò: Benè definitur Sacramentum Pœnitentiæ; quòd *sit absolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prelatis à Sacerdote Jurisdictionem habente, efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccatis.* Ita Scotus 4. d. 14. q. 1.

Probatur: quia constat omnibus necessariis conditionibus exactæ definitionis: ergo &c.

2. *Explicatur definitio prædicta.*

Explicantur autem singulæ partes: ly *absolvo* importat sententiam definitivam, reum absolventem. Ly *hominis pœnitentis*, exprimit peccatoris Contritionem, vel Attritionem, Confessionem, & Satisfactionem. Ly *facta certis verbis*, denotat tenorem verborum, quibus sententia absolutiones fertur. Ly à *Sacerdote habente jurisdictionem* ostendit qualificatum Ministrum hujus Sacramenti. Reliqua indigitant effectum hujus Sacramenti.

3. *Author Sacramenti Pœnitentiæ est Christus.*

DICO secundò: Sacramentum Pœnitentiæ est à Christo institutum. Ita Catholici omnes; contra Calvinistas, cæterosque Novatores.

Probatur primò ex Scriptura: Joan: 20. ubi dicit Christus: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*; ubi est sermo de Sacramento Pœnitentiæ: ergo.

4. *Authoritas Florent & Trid: ad idem.*

Probatur secundò ex Definitione Florent: *in Decreto Eugenii*: Trident: Sess: 14. c. 1. Et cap: *Ad abolendam, de Hæreticis*, Conclusionem statuentium: ergo &c.

Probatur tertiò ex Sanctis PP: Ambros: lib: 1. *de Pœnitentia*. c. 7. Et Cyril: lib: 12. *in Joan*: c. 56. ubi post interpretationem verborum allatorum ex Joan: 20. docet: Sacerdotes duobus modis peccata dimittere, per potestatem à Salvatore datam: *primum Baptismô; deinde Pœnitentiâ.* Lege etiam Hieron: Epist: *ad Heliedorum*; & alios PP: ergo &c.

5. *Quando fit institutum Sacramentum Pœnitentia.*

DICO tertiò: Sacramentum institutum est Joan: 20. dum Christus insufflando in Apostolos dixit: *Accipite Spiritum Sanctum* Est communis Doctorum.

Probatur primò ex Trid: Sess: 14. c. 1. hoc afferente; Secundò: quia Christus per dicta verba dedit potestatem remittendi peccata: ergo tunc instituit hoc Sacramentum.

6. *Contritio, & Confessio, & Satisfactio sunt partes Sacramenti Pœnitentiæ necessaria.*

DICO quartò: Contritio, Confessio, & Satisfactio, sunt quidem partes integrantes, necessariò concurrentes ad integrum Pœnitentiæ Sacramentum, non sunt tamen de ejus Essentiali ratione: sed tota ejus Essentia consistit in sola absolutione. Ita Scotus 4. d. 14. q. 4. & plures Scotistæ; contra Vasq: Log: & ex Scotistis, contra Fabrum, Aretinum, Hiribar: &c.

Probatur prima pars: Hoc Sacramentum est institutum per modum cujusdam Judicii: ergo sicut in judicio humano, præter sententiam Judicis, plures actus concurrunt; puta accusatio, examen, Confessio &c. ita in hoc Judicio Sacramentali, præter absolutionis sententiam, etiam partes integrantes concurrunt; accusatio seu Confessio, Contritio, &c.

7. *Ut etiam ex Trid: patet.*

Confirmatur ex Tridentino quod Sess: 14. hos tres actus Confessionis, Contritionis, & Satisfactionis, ut à Christo ordinatos requirit ad Sacramentum Pœnitentiæ. Et ideo c. 3. dicit: *Quòd hi actus Pænitentis sunt quasi materia hujus Sacramenti, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti &c. ex Divina Ordinatione requiruntur, hâc ratione partes Pœnitentiæ dicuntur*: ergo &c.

8. *Sed non sunt de Essentia ejus.*

Probatur secunda pars ex Trid: Sess: 14. cap: 3. dicente: *Vim hujus Sacramenti præcipuè in verbis illis ferma sitam esse*: *Ego te absolvò.* Quibus verbis innuitur Essentiam Pœnitentiæ Sacramentalis præcisè consistere in absolutione; aliàs si adhuc in aliquo alio, non rectè diceret *vim ejus præcipuè consistere in* ly *ego te absolvo*: ergo &c.

9. *Priùs dictum ratione solidatur.*

Probatur secundò: In eo solo consistit Essentia Sacramenti hujus, in quo solo tanquam in signo sensibili, practico, & efficaci fundatur relatio signi Sacramentalis; sed hæc relatio fundatur in sola absolutione: ergo &c. probatur Min: in eo fundatur relatio Sacramentalis, quod ex institutione Divina est signum sensibile, practicum, & remissivum peccati, ac collativum gratiæ: sed sola absolutio est tale signum; quia Contritio, Confessio, & Satisfactio significant tantùm accusationem, dolorem, & pœnam; non verò remittunt peccatum: ergo &c.

10. *Item aliâ ratione efficaci.*

Probatur tertiò: Quod est Essentiale Sacramenti Pœnitentiæ, debet esse sensibile; Contritio autem non est sensibilis. Item: quod est Essentiale Pœnitentiæ Sacramentalis, nunquam potest abesse à Sacramento; Confessio autem quandoque

potest

poteſt abeſſe; ùt patet in moribundis, loquelâ deſtitutis: ſicut & ſatisfactio, quæ multis diebus poſt peractum Pœnitentiæ Sacramentum, præſtari poteſt: ergo hi tres actus non ſunt de Eſſentia Pœnitentiæ Sacramentalis; adeóque remanet, quòd ſola abſolutio in recto importetur in hoc Sacramento.

11. Florent: & Trid: objecta eluc idantur. Objicitur: Florent: in *Decreto Unionis Arme*: docet omnia Sacramenta tribus perfici; rebus tanquam materia; verbis tanquam formâ; & perſonâ Miniſtri, conferentis Sacramentum. Et Trid: Seſſ: 14. cap: 3. docet; tres actus pœnitentis eſſe partes hujus Sacramenti: ergo ſola abſolutio non conſtituit Eſſentialiter Sacramentum Pœnitentiæ. Reſpondeo gloſſando Florent: quod ſolùm velit, illa tria enumerata concurrere ad omne Sacramentum neceſſariò; ſed non eſſentialiter. Et Trid: vult; tres actus pœnitentis concurrere ad integritatem; non ad Eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO II.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

1. Aſſignatur Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. DICO primò: Tres actus pœnitentis, Contritio, Confeſſio, & Satisfactio ſunt quaſi Materia proxima Pœnitentiæ Sacramentalis. Ita communis.

Probatur primò ex Florent: *in Decreto Eugenii*, Et Trident: Seſſ: 14. c. 3. aſſerentibus Concluſionem: ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: Forma abſolutionis habet rationem formæ in genere moris, determinantis, perficientis, & ſuo modo informantis: ergo debet ei correſpondere aliqua Materia proxima determinabilis, perfectibilis, & informabilis: ſed nulla commodior aſſignari poteſt, quàm tres actus ſpecificati Pœnitentis: ergo &c.

2. Materia remota ejusdem ſunt omnia mortalia, & venialia poſt baptiſmum commiſſa. DICO ſecundò: Materia remota, & circa quam Sacramenti Pœnitentiæ, ſunt omnia, & ſola peccata actualia, ſive mortalia, ſive venialia poſt baptiſmum commiſſa; non verò Originale; nec actualia ante baptiſmum patrata. Ita communis cum Scoto 4. d. 4. q. 5.

Probatur prima pars primò: Joan: 20. indefinitè, dicitur: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: ubi nulla fit reſtrictio ad mortale, vel veniale: ergo omnia peccata actualia poſt baptiſmum commiſſa ſunt Materia remiſſibilis per Pœnitentiam Sacramentalem.

Probatur ſecundò: Materia remota, & circa quam Judii humani ſunt indifferenter omnia crimina delinquentis emendanda: ergo hujus Judicii Sacramentalis Materia remota erunt peccata quæcunque poſt baptiſmum commiſſa.

3. Non autē Originale, & commiſſa ante baptiſmum. Probatur ſecunda pars primò: peccatum Originale, & actualia ante baptiſmum patrata tolluntur per ipſum baptiſma; uti deducitur ex Trid: Seſſ: 14. c. 1. & 2. ubi dicitur: Sacramentum Pœnitentiæ eſſe inſtitutum ad reconciliandos tantùm Fideles poſt baptiſmum lapſos: ergo non ſunt Materia Pœnitentiæ Sacramentalis.

Probatur ſecundò ratione: Sententia Judicis tantùm validè fertur in eos, circa quos habet Juriſdictionem ſed Sacerdos abſolvens tantùm habet Juriſdictionem in baptizatos, eorumque exceſſus; non verò alios: ergo &c.

4. Venialia ſunt Materia ſufficiens hujus Sacramenti. DICO tertiò: Venialia ſunt Materia ſufficiens abſolutionis; mortalia verò Materia neceſſaria. Eſt communis apud DD:

Probatur prima pars ex Trident: Seſſ: 14. cap: 5. Et ex praxi Fidelium, ſubjicientium Clavibus culpas veniales. Accedit etiam ratio; quia venialia ſunt vera peccata: ergo ſunt Materia Confeſſionis ſufficiens.

Dixi *Materia ſufficiens*: quia venialia non debent neceſſariò confiteri: uti docet Trid: Seſſ: 14. c. 5. *Nam venialia, quibus à gratia DEI non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè, & utiliter, citraq; omnem præſumptiónem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat; taceri tamen citra culpam, multisq; aliis remediis expiari poſſunt.*

5. Mortalia verò ſunt neceſſaria Materia. Probatur ſecunda pars: Mortalia excludunt à fine ultimo obtinendo: ergo ſunt Materia neceſſaria Pœnitentiæ, ut deſtruantur per abſolutionem, & amoveantur, tanquam obices vitæ æternæ.

6. Peccata jam abſoluta, etiam poſſunt eſſe Materia hujus Sacramenti. DICO quartò: Etiam peccata, jam ſemel remiſſa, ſunt Materia ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ; & fructuosè denuò ſubjiciuntur Clavibus. Ita Scotus 4. d. 19. q. 2. contra Gabriel: Rub: &c. Nominales.

Probatur primò: ex praxi piorum hóminum, qui ſæpè generales faciunt Confeſſiones, & ſervidas repetitiones peccatorum, ritè remiſſorum: ergo &c.

7. Extrav: Ben: XI. pro Concluſione ſtat. Probatur ſecundò: ex Extrav: 1. Bened: XI. *de Privil*: ubi ait: *Licèt de neceſſitate non ſit, iterum eadem confiteri peccata; tamen quia propter erubeſcentiam, quæ magna eſt Pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confeſſio, reputamus ſalubre*: ergo &c.

Qq Pro-

8. Et ratio Convincens.

Probatur tertiò ratinne: ideo peccata dimissa non possent esse, Materia absolutinnis, nec fructuosè confitenda; quia jam essent ante dimissa; sed ratio non valet: ergn &c. probatur Min: per Contritinnem sæpè remittuutur mortalia; & tamen hæc sunt Materia absolutinnis, & fructnosè confitentur: ergò &c. Deinde licèt mortalia sint ante dimissa quoad culpam; non tamen qunad pœnam temporalem; ideoque ad hunc finem fructnosè Clavibus denuò possunt subjici; sicut & ad augmentum gratiæ procurandum.

9. Quis sit genuinus sensus formæ absolutionis.

DICES: Circa peccata remissa nnn potest salvari veritas practica formæ: ergo &c. Ant: probatur: veritas practica formæ terminatur ad peccatum tollendum; sed hìc nullum est: ergn &c. Respondeo Neg: Ant: ad ejus probam Dist: Maj: veritas practica terminatur ad peccatum tollendum, si insit Cnnc: Maj: si non insit Neg: Maj: Itaque sensus formæ absolutionis est; impendo tibi Sacramentum, habens virtntem deletivam peccati, & reipsa delens si insit: si verò non insit, sed insuit post baptisma, & jam denuò de ipso doles; sit tibi augmentans gratiam, & diminuens pœnam.

10. In reconfessione absolutorum peccatorũ debet adesse novꝰ dolor.

Nota autem: in re confessinne dimissorum peccatnrum debere adesse novum dolorem: Ratio est: quia ad nnvum Sacramentum conficiendum, requiritur nnva Materia, saltèm proxima, à priori distincta; qualia hìc est Contritin nova dolorifera; vel Attritio.

QUÆSTIO III.

De Forma Sacramentalis Pœnitentiæ.

1. Forma Absolutionis debet proferri determinatis verbis, voce formatis.

DICO primò: Farma Sacramenti Pœnitentiæ debet determinatis verbis vocalibns, significantibus sententiam judiciariam, à Sacerdote pronunciari. Ita Scotus 4. d. 14. q. 4. Et communia Theolngnrum.

Probatur ex Concilin Trid: Sess: 14. c. 3. Et Flnrent: *in Decreto Eugenii* dist: 6. q. 5. hoc statuentibus. Et ex praxi Ecclesiæ; quæ samper nsa est determinatis verbis, voce formatis, significantibus Judicis sententiam absolutoriam: ergn &c.

2. Uti patet ex institutione Christi.

Ratio Conclusionis petenda est ex Christi institutinne: quâ, modò in Conclusione expressô, ordinavit hoc Tribunal Sacramentale: & quæ uobis manifestatur per perpetuam Ecclesiæ traditinnem.

3. Non est omnimoda paritas Tribunalis forensis, & Sacramentalis.

Objicies: Sententia profani Judicis in humano judicio potest verbis, solummodò scriptis ferri: ergo & Judicis spiritualis in Judicio Sacramentali. Respondeo Neg: Consequentiam: Disparitas petitur ex determinata institutinne Christi, qui in hoc Tribunali petit semper verba pro sententia absolutoria: ùt patet ex praxi Ecclesiæ, declarantia nobis mentem Christi. Deinde non debet esse omnimoda similitudn in Sacramentali, & profann Judicio: nam sicut in profano idem nequit esse reus, & testis; potest autem in Sacramentali: ita licèt in profann sententia feratur in scriptis; non tamen in Sacramentali.

4. Verba Te absolvo *constituunt Formam absolutionis à peccatis.*

DICO secundò: hæc sola vocabula *Te absolvo*, vel æqnivalentia completam essentiam Formæ absolutinnis constitnunt; & sufficinnt. Ita Scotus 4. d. 14. q. 4. Scotistæ, & communior contra Duran: Palud: Gab: &c.

Probatur Anthoritate Trid: Sess: 14. c. 3. dicentis: *Docet præterea sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ Formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo*: ergn &c. Neo refert quòd hìc à Trident: addatur ly *Ego*; hoc enim pronomen iuvolvitur in ly *absolvo*; ùt tenent omnes Doctores.

5. Alia proba pro eadem doctrina.

Probatur secundò: hæc sola vocabula *Te absolvo* constituunt completam sententiam judiciariam absolutoriam rei, super peccata allegata in Confessinne: ergn sola constituunt essentiam Formæ Absolutionis.

6. Ly Te absolvo *non est indifferens in certis circumstantiis prolatum.*

DICES: ly *te absolvo*, est indifferens ad absolutinnem à Censuris, à peccatis, & à pœnis spiritualibus, ac temporalibus; ergo debet addi ly à peccatis, ut determinativum absolutinnis. Respnudeo Dist: Ant: est indifferens, seclusis circumstantiis, in quibus profertur ly *te absolvo*, Conc: Ant: additis circumstantiis, Nego Ant: Itaque quando ly *te absolvo* pronunciatur in circumstantia hujus hominis Pœnitentis, contriti, & confitentis hæc peccata; sufficienter determinatur, ut cadat determinatè super hæc peccata absolvenda.

7. Cur ly Te *non possit omitti in Forma Absolutionis?*

DICES: ergn etiam poterit omitti ly *Te*: quia pariter ex his circumstantiis determinatur hoc subjectum absolutionis. Respondeo Negando illatum: Disparitas est: quia Forma Absolutionis fuit instituta per voces demonstrativas; omissâ autem particulâ *Te* non est demonstrativa; cùm verbum *absolvo* proferri possit, non solùm circa peccata præsentis, sed & absentis.

8. Quid in-

Objicies: Concilia post ly *Te absolvo*, addunt, *& cætera*; indigitantes, has voces sub-

telligant CC: per ly & cætera.

subsequentes, *à peccatis*, pariter esse de essentia Formæ: ergo &c. Respondeo Neg: Ant: aliàs etiam istæ voces, *in nomine Patris, & Filii & Spiritûs Sancti*, essent de essentiâ Formæ; cùm sequantur ly *& cætera*; quòd tamen communis DD: negat. Volunt ergo Concilia has voces *à peccatis* spectare aliquomodò magis ad integritatem Formæ, quàm spectent preces, ex consuetudine Ecclesiæ annexæ.

9. Forma validè profertur, dum æquivalentia applicantur.

Dixi in Conclusione, *vel æquivalentibus*: quia valida, & essentialis esset Forma Absolutionis, terminis æquipollentibus pronunciata: ut si dicatur; *condono tibi peccatum; dimittuntur tibi à me peccata: do tibi reconciliationem &c.* Item si dicatur: *absolvitur à me hic homo, Dominatio vestra à me reconciliatur.* Non licèt tamen ab usitatis Ecclesiæ verbis recedere absque peccato. Ratio dictorum est: quia illis æquipollentibus verbis significatur sufficienter sententia judiciaria absolutoria: Et contingit tantùm variatio accidentalis in Forma Absolutionis.

10. Preces ab Ecclesia additæ ante, & post Formam, sunt accidentales.

Ex hactenùs dictis Infertur: consuetas orationculas, *Misereatur vestri, &c. Indulgentiam, &c.* Item absolutionem præambulam à Censuris; & alia, quæ antecedunt ly *Te absolvo*, non spectare ad substantiam Formæ: præmitti tamen debent ex dispositione Ecclesiæ; maximè absolutio præambula à Censuris; ne ex parte Pœnitentis Sacramentum impediatur.

11. Forma debet esse judicativè pronunciata.

DICO tertiò: Ut Forma valorem suum sortiatur, debet modò judicativò; non verò deprecatoriò pronunciari. Est cum Scoto cit: communis DD:

Probatur: Hoc Sacramentum est judicium quoddam, teste Trid: Sess: 14. c. 2. & 3. sed in omni judicio sententia Judicia decisiva modò judicativò & non deprecatoriò pronunciari debet: ergo &c.

Confirmatur: mutatur substantialiter anima, & sensus Formæ Absolutionis par modum deprecatorium: nam ly *absolvo* impetratoriè prolatum, indicat tantùm affectum absolventis; non effectum, & opus practicum, sicut fit, dum practicè, & judicativè profertur: ergo &c.

12. Forma Conditionatè de præterito, vel præsenti est valida.

DICO quartò: Forma Absolutionis pronunciata sub conditione de præterito, vel præsenti valida est, & licita; non item sub conditione de futuro.

Probatur prima pars: Conditio de præterito, vel præsenti, non evacuat practicam efficientiam & efficaciam, v. g. si quis dicat: *absolvo te, si satisfecisti legato: vel absolvo te, si verè doles*: ergo &c. Probatur Ant: adest vera intentio in Ministro, non suspendens actum absolutionis; adest etiam materia, & Forma simul: ergo manet practica efficacia Absolutionis.

13. Non de futuro.

Probatur secunda pars: Vel esset valida statim post prolationem; vel adveniente conditione de futuro: sed neutrò modò est valida: ergo &c. probatur Min: non statim post prolationem; quia Sacerdos non habet tunc, quando profert Formam, intentionem absolvendi. ergo &c. Nec quando ponetur conditio; quia adveniente conditione, non adest ampliùs materia, & Forma; sinè quibus non fit Sacramentum: ergo &c.

14. Censura, & culpa absolvi possunt his verbis solis Te absolvo.

DICO quintò: His solis verbis *Te absolvo* validè Pœnitens absolvitur à Censuris, & peccatis dummodò hoc intendat absolvens. Ita Navar: *de Pænit:* dist: 6. cap: 1. Henriq: lib: 4. cap: 11. Brug: tract: 11. c. 8. & communis.

Probatur: Eadem oratio potest ob diversos fines ad diversas significationes adhiberi: ùt habetur L. 1. *de officio Præt*: ergo etiam eadem absolutionis Forma adhiberi potest à Sacerdote, ad tollendas Censuras, & peccata simul: quò casu absolutio à Censuris, censetur naturâ prior.

15. Absens nequit absolvi.

DICO sextò: Pœnitenti absenti, nec validè, nec licitè applicari potest Forma Absolutionis. Est communis Theologorum

Probatur ex Clem: 8. qui contra hujusmodi absolutionem, solemnem edidit constitutionem, anno 1602. die 19. Julii, in qua damnatur opposita doctrina, ùt scandalosa, falsa, & temeraria: prohibeturque sub pœna Excommunicationis, ipsò factò incurrenda, Papæ reservata, ne doceatur publicè, vel privatim.

Probatur secundò ratione: sententia definitiva absolutionis nequit pronunciari super statum rei incognitum: sed status Pœnitentis absentis ejusque dispositio moralis, est Confessario incognitus, pro illo nunc absolutionis: ergo &c.

16. A quibus S. Thomas Cantuar: absens fuerit absolutus.

DICES S. Thomas Cantuar: petiit absens à sede Apostolica absolutionem; & tamen ob hoc non reprehenditur ab Ecclesia: ergo &c. Respondeo cùm Scoto 4. d. 17. q. un: S. Martyrem tantùm postulâsse à Papa absolutionem à Censuris, si quas fortassis incurrisset, ad majorem securitatem: non verò absolutionem à peccatis.

17. Ratificans absentem Confessionem in præsentia

Nota tamen; validum esse Sacramentum, si Pœnitens absens in necessitate per litteras priùs manifestâsset peccata; & deinde ante absolutionem obtentam, præsens conveniat Confessarium, dicatque, se accusare de omnibus transcriptis peccatis,

Confessarii, potest absolvi,

tis, & dolere, & desuper sequator absolutio; ùt habet Scotus, Bonacin: Heoriq: Valent: &c. In tali eoim casu absolutio, & Confessio fiunt circa præsentem Pœnitentem.

QUÆSTIO IV.

De Efficientia; Necessitate; & Informitate Sacramenti Pœnitentiæ.

1. Absolutio Sacerdotis est verè remissiva peccati.

DICO primò: Sacerdos virtute Clavium, & per Sacramentum Pœoitentiæ, defactò propriè remittit culpas; & quidem omoes. Est Scoti 4. d. 14. q. 4. Scotist: & Thom: omoiom RR: contra Magistrom Sent: Aleosem, Ocham, & cœteros docentes: Sacerdotem tantùm declarare, peccata esse à DEO dimissa.

Probatur primò: quia Joan: 20. propriè de potestate Clavium Sacerdotum dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* & non ponitur: quorum declaraveritis peccata dimissa: ergo &c.

2. Authoritas Tridentini ostendit Sacerdotes verè absolvere à culpis.

Probatur secoudò ex determinatione Tridentioi: quod Sess: 14. Can: 9. habet seqoentia: *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalē Sacerdotis, non esse actum judicialem; sed nudum Ministeriū* (quale esset si foret tantùm declarativa) *pronunciandi, declarandi remissa esse peccata, &c. Anathema sit.* Et alibi dicit; quòd Sacrameota efficiant id, quod sigoant: quod caosalitatem & Efficientiam remissioois sigoatæ ex parte Sacramenti Pœnitentiæ significat; ergo &c.

Confirmatur per Bullam Pii V. & Greg: XIII. editam cootra errores Michaelis Bay; in qua rejicioo tor quædam Bay propositiones, quibus asserebat. Sacerdotem solùm absolvere à reatu pœnæ: ergo &c.

3. Militat pro eadem doctrina Ratio Scoti.

Probator tertiò ratione Scoti citati: ex opposita seotentia sequeretur, Sacerdotem Evangelicum non differre à Legali, si non absolveret à peccatis per propriam, & effectivam remissiooem culpæ: quod etsi Magister Seot: coocedat; negant tamen SS: PP: signanter Chrys: lib: 3. *de Sacerdotio* c. 4. dicens: *Nostris Sacerdotibus, non corporis lepram; verùm animæ sordes; non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est*: ergo &c.

4. DEUS principaliter dicitur remittere peccata.

DICES: in Scriptura Isaiæ 43. dicitur; DEUM remittere peccata; ergo &c. Respondeo com Doctore glossaodo Scriptoram; authoritativè, & principaliter Coocedo: minùs principaliter, & instrumentaliter Nego. Itaque mediante Sacramento Pœniteotiæ etiam, Sacerdos effectivè, minùs tamen priocipaliter, attiogit remissionem peccatorum: & hoc diceodo, dignificatur, & commendatur virtus hujus Sacramenti sioè inconvenienti.

5. Virtus Sacramenti ergo & Pœnitentia tollit omne peccatum.

Probatur secuoda pars: Virtus Pœnitentiæ delet omnem culpam, & omoem numerum peccatorum: ùt supra docui: ergo & Sacrameotum Pœnitentiæ à pari. Uode sioè ulla prorsus limitatiooe ad aliqua peccata, sacra Concilia docuerunt, posse elici Pœniteotiam in hac vita: sic loquitur: Cooc: Lateran: & Tridentioum Sess: 6. Can: 29. *Si quis dixerit, eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per DEI gratiam resurgere; aut posse quidem; sed solâ fide, amissam justitiam recuperare, sinè Sacramento Pœnitentiæ, &c. Anathema sit*: ergo per Sacramentum Pœoitentiæ quis resurgere potest ab omni peccato; & remissionem ab omni culpa obtinere.

6. Sacramentum Pœnitentiæ est necessariū Necessitate medii.

DICO secundò: post promulgationem Evangelii Sacramentum Pœnitentiæ in re; vel in voto fuit simpliciter Necessariuū, Necessitate medii adulto mortaliter peccanti. Est commonis Theologorum.

Probatur ex Trid: Sess: 14. c. 1. diceote: *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinâssent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria*: & cap: 2. explicat determinatiòs hanc Necessitatem, & dicit; quòd sit *hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post baptismum necessarium ad salutem, ut nondum regeneratis ipse baptismus*; ideò, *rectè à Patribus dicitur baptismus laboriosus*; sed baptismus in re; vel in voto, est oecessarios, Necessitate medii: ergo &c.

7. Quid sit, Sacramentum Pœnitentiæ esse Informe?

Nota circa Ioformitatem Sacrameotī Pœnitentiæ, ipsum tunc ceoseri informe; si validè qoidem conferretur; gratia tamen sanctificaos non conferretur ob iodispositionem Pœoiteotis.

8. Sacramentum Pœnitentiæ non potest esse validum & Informe simul.

DICO tertiò: Sacramentom Pœoitentiæ nequit esse validum, & informe. Est Scoti 4. dist. 1. q. 5. Adrian: Med: Vegæ: Con: & RR: cootra Thomist: Lug: Navarrum, & Scotistas, Aret: Hiribar: &c.

Probatur primò: refelleodo principalem ratiooem Adverf: ideo secundùm AA: oppositæ seotentiæ, hoc Sacramentum esset aliqoando validom, & informe; quia posset conferri sinè prævio sufficienti dolore Pœoitentis; sed ex hoc capite non coofertur validum, & ioforme: ergo & c. probatur Min: ex Florent: & Trid: Sess: 14. c. 3. docentibus; ad valorem hujos Sacramenti necessariò requiri dolorem, qui tendat efficaciter

ficaciter ad reconciliationem Peccatoris cum DEO offensi; cùm sit pars integralis hujus Sacramenti; ùt suprà ostendi: ergo in defectu talis doloris non erit validum Sacramentum: & consequenter non potest contingere Sacramentum validum administrari cum informitate.

9. *Dolor Pœnitentialis debet esse supernaturalis.*

DICES sufficere dolorem naturalem, qui semper habetur in perceptione hujus Sacramenti. Contrà; Tridentinum Sess: 14. cap: 4. docet dolorem sufficientem debere esse impulsum, & donum Spiritûs Sancti: ergo non sufficit naturalis.

10. *Cur baptismus possit esse validus & informis; non verò Pœnitentia.*

Objicies: Baptismi Sacramentum potest esse validum, & informe; nam si ministretur homini habenti actualem affectum ad peccatum mortale, validè baptizatur, & gratia sanctificans non confertur; nisi post amotum illum obicem: ergo idem dicendum de Sacramento Pœnitentiæ. Respondeo Neg: Consequentiam: Disparitas est primò: quia in baptismo dispositio necessaria ad effectum gratiæ distinguitur ab omnibus iis, quæ ad integritatem Sacramenti, ùt partes integrales concurrunt: in Sacramento Pœnitentiæ autem idem actus, qui est dispositio necessaria ad ipsius effectum, est etiam pars integralis, quasi materialis simul. Deinde, ùt benè notat Scotus 4. d. 1. q. 5. Baptismus est medium ad salutem necessarium; quod iterari non potest semel susceptum; unde ne præcludatur via salutis, necessariò dicendum est, eundem baptismum cum obice susceptum validè suscipi; etsi postea primò vim habeat remittendi illa peccata, & gratiam conferendi ablato obice, quæ necessitas de Sacramento Pœnitentiæ non urget; eò quòd iterari possit.

DISTINCTIO X.
DE
CONFESSIONE SACRAMENTALI.

QUÆSTIO I.
De Definitione; Institutione; & Necessitate Confessionis Sacramentalis.

1. *Varia acceptiones hujus vocis Confessio.*

NOta primò: Hanc vocem *Confessionis*, diversas habere significationes in Scriptura Sacra; & Patribus: Aliquando significat cognitionem DEI, cum annexa ejus laude: hôc sensu dicitur Matth: 11. *Confiteor tibi Pater.* Aliquando importat protestationem externam fidei: ita apud eundem Evangelistam cap: 10. *Qui me confessus fuerit.* Tertiò: capitur pro Confessione judiciali rei in foro fori. Quartò tandem ad propositum nostrum usurpatur pro manifestatione peccati Theologici in foro Sacramentali: & dicitur Confessio Sacramentalis.

2. *Definitur Confessio Sacramentalis.*

DICO primò: Confessio Sacramentalis, benè definitur; *Quod sit; accusatio Sacramentalis legitima de peccatis propriis, facta coram Sacerdote, ad eorum veniam impetrandam virtute Clavium.*

Probatur eam explicando: ly *accusatio* est genus: aliæ particulæ sunt differentiales: per ly *Sacramentalis*, differt Confessio à Contritione; quæ quidem est etiam Confessio; sed tantùm coram DEO; non verò Sacramentalis. *Legitima* ponitur ad differentiam earum, quæ carent conditionibus requisitis. *De propriis peccatis* ponitur, ad differentiam Confessionis laudis. *Facta coram Sacerdote*, ad differentiam Confessionis externi fori, factæ coram Judice Criminali. Additur *ad veniam impetrandam*, ad differentiam Confessionum pœnalium, quæ ad punitionem præcisè ordinantur; non ad veniam.

3. *Confessio Sacramentalis instituta est à Christo.*

DICO secundò: Sacramentum Pœnitentiæ fuit à Christo institutum, etiam quoad Confessionem Sacramentalem. Est Catholicorum. Contra Hæreticos complures; quorum aliqui dixerunt hujusmodi Confessionem fuisse primò inventam, & invectam ab Innoc: 3. in cap: *Omnes utriusq; sexûs*, &c.

4. *Quod etiam ratio suadet.*

Probatur ex Tridentino, Sess: 14. cap: 5. *Ex institutione*, inquit, *Sacramenti Pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum Confessionem.* Unde infrà concludit; *repellendam esse inanem eorum calumniam, qui eam*

eam à mandato Divino alienam, & inventum humanum esse, atque à PP. in Conc: Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur.

4. *Quod etiã ratio suadet.* Probatur secundò ratione: si Confessio Sacramentalis, ab Ecclesia instituta fuisset, ùt Sectarii dicunt, jam in ea posset dispensare Ecclesia; sed non potest in Confessione, vel ulla alia Pœnitentiæ parte dispensare: ergo &c.

Deinde hæc Confessio deducitur ex ipsa Institutione hujus Sacramenti: nam ùt benè discurrit hîc Scotus; Sancti Apostoli per illa verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* & eorum successores acceperunt potestatem à Christo, remittendi, & retinendi peccata Fidelium; & constituti sunt Judices, qui pœnitentibus sententiam absolutionis, ac remissionis proferrent: sed certè judicium exerceri non potest; nec sententia proferri; nisi probè cognitâ, & discussâ causâ; quæ discussio fieri nequit, nisi per Confessionem: ergo ex Institutione hujus Sacramenti, & de ordinatione Christi, explicata Confessio peccatorum præcedere debet. Unde

5. *Confessio est Necessaria necessitate medii.* DICO tertiò: Confessio Sacramentalis relapsis post baptismum est necessaria in re; vel in voto, Necessitate medii; & Juris Divini. Ita Scotus 4. d. 17. q. un: Et est communis Catholicorum, contra Sectarios Antiquos, & Recentiores.

Probatur prima pars: ex dictis suprà, dist: 9. q. 4. Conclusione 2. ubi ostendi Sacramentum Pœnitentiæ esse lapsis necessarium in re vel voto Necessitate medii: ergo & Confessio, quæ est pars integralis necessaria hujus Sacramenti.

Probatur secundò: Effectus, ad quem Sacramentum Pœnitentiæ, & consequenter Confessio Sacramentalis ordinatur, est reconciliatio cum DEO, & peccati mortalis remissio; sed hæc sunt necessaria Necessitate medii ad salutem; quia per nullam ignorantiam suppleri possunt: ergo &c.

6. *Et Necessitate Juris Divini.* Probatur secunda pars de Necessitate Juris Divini: ex Trid: Sess: 14. Can: 6. dicente: *Si quis negaverit Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure Divino, Anathema sit.*

7. *Unde Necessitas Confessionis deducatur.* Necessitatem hanc neglectis Recentiorum deductionibus, utpote in sufficientibus; deduco cum Scoto citato. Primò ex obligatione hominis de Jure Divino ad diligendum DEUM; & seipsum; quod fieri nequit; nisi per peccatorum remissionem, & gratiæ recuperationem, & arguo sic: Qui amisit primam gratiam, tenetur recuperare illam ex duplici jure Divino *Diliges Dominum DEUM tuum; & teipsum:* sed ubi sunt duæ viæ consequendi salutem, tenemur ad faciliorem, & tutiorem; facilior autem, & tutior via est, per Sacramentalem Confessionem gratiam recuperare, seu per Sacramentum Pœnitentiæ; quàm per Pœnitentiæ virtutem: ergo de jure Divino tenetur ad hanc Confessionem in re, vel in voto peragendam. Prob: Min: quòd in rebus ad salutem necessariis teneamur sequi viam tutiorem: quia aliàs videremur salutem contemnere, eam periculo exponendo; subsumptam Min: etiam Probo; ad Consequendam gratiam cum Sacramentali Confessione, seu Pœnitentiæ Sacramento sufficit, non ponere obicem; cùm Pœnitentiæ verò virtute requiritur Contritio: potest autem quis certior esse, quòd non ponat obicem; quàm quod habeat Contritionem sufficientem; quia potest probabiliter scire, se non accedere ad Sacramentum hoc cum aliquo peccato actuali; & cum intentione recipiendi Sacramentum, & ejus effectum; at non potest scire, se habere Pœnitentiam sufficientem ad justificationem extra Sacramentum: ergo &c.

8. *Scriptura aliqua pro Confessione.* Secundò: potest etiam deduci hæc Necessitas Juris Divini, ex illo Jacobi 5. v. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* Et ex illo 1. Joan: 1. v. 19. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut dimittat nobis peccata nostra.* Et illo Act: 19. v. 18. *Multiq, credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.*

9. *Confessionem non esse inventum humanum, pluribus ostenditur.* Itaque concludo ex his contra Novatores: non esse humanum inventum Innocentii Papæ; aut Ecclesiæ præceptum; sed legem à Christo ordinatam, Confessionem Sacramentalem in re, vel in voto peragendam. Pro qua veritate ulteriùs stabilienda à Theologis passim adducuntur Conc: Laodicense, sexta Synodus Constantinopolitana, Conc: Cabilonense, Turronense, Rhemense, Moguntinum, Vuormacense, &c. Et illustria duodecim PP: testimonia, qui longò temporis intervallò, Innocentium III. præcesserunt: videlicet Clementis, Irenæis, Originis, Tertull: Cyp: Firmiani, Athanasii, Basil: Chrysostom: Hieronym: Ambros: & August: super Psal: 66. *Tristis esto, antequam confitearis.* Et paulò pòst; *Confitere, exeat in Confessione, & defluat omnis sanies.* Estne ergo Confessio Sacramentalis inventum Innocentii III?

Ob-

10. *Kemnitio Hæretico ex Scriptura & S. Aug: objicienti benè reſpondetur.*

Objicit primò Kemnitius Hæreticus: Chriſtus miſit ſuos Apoſtolos, ſicut ipſe miſſus eſt; ſed Chriſtus abſolvit ſinè auriculari Confeſſione; ut patet de peccatrice fœmina: ergo &c. Reſpondeo Neg: Maj: abſolutè ſumptam; quia Chriſtus aliquando etiam juſtificabat ſinè ullo adhibito Sacramento. Deinde Chriſto aliundè conſtabant peccata illius peccatricis per ſcientiam ſupernaturalem; quod verificari nequit de Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus ſemper, dum debent abſolvere; utpote qui talem ſcientiam non habent: adeoque debent ipſis conſtare per Confeſſionem.

Objicit ſecundò S. Aug: lib: 10. Confeſſ: cap: 3. dicentem; *Quid mihi eſt cum hominibus, ut audiant Confeſſiones meas; quaſi ipſi ſanaturi ſint omnes languores meos? Curioſum genus ad cognoſcendum alienam vitam, deſidioſum ad corrigendam ſuam.* Reſpondeo: Auguſt: in libris illis *Confeſſ:* agere de Confeſſione ſuorum peccatorum ante baptiſmum commiſſorum, quæ in illis libris DEO & mundo aperit; non autem de Confeſſione privata Sacramentali, quam ipſe ſummopere in pluribus locis commendat.

11. *Authoritates D. Ambroſii exponuntur.*

Objicit tertiò: S. Ambroſ: lib: 10. *in Luce c.22.* in illud v. 62. *Petrus exivit, & flevit amarè,* dicentem: *Non invenio quid dixerit; invenio quod flevit; lachrymas ejus lego, ſatisfactionem non lego.* Et infrà; *Lavent lachrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri.* Reſpondeo ad primum: tunc temporis hoc Sacramentum probabiliter necdum fuiſſe inſtitutum; & ideò non mirum; ſi Petrus eò non fuit uſus. Reſpondeo ad ſecundùm: S. Ambroſium in ultimo textu non velle excludere Confeſſionem Sacramentalem; quia, ut refert Paulinus in ejus vita, ipſe ſolitus fuit audire Confeſſiones privatas; ſed ſolùm vult, quòd quando quis convictus eſt erroris, ut fuit Petrus, ſatis ſit lachrymari; quia in ipſis lachrymis confitetur culpam, utique Sacerdoti jam notam.

12. *Etiam S. Chryſoſtomi.*

Objicit quartò: S. Chryſoſt: hom: 2. in Pſal: 50. dicentem: *Peccata tua dicito, ut deleas illa; ſi confunderis alicui dicere, quæ peccâſti, dicito ea quotidie in anima tua; non dico, ut confitearis conſervo tuo, qui exprobraret; dicito DEO, qui cures ea.* Reſpondeo S. Chryſoſtomum loqui de publica Confeſſione, humanò jure introducta; quæ tunc fieri ſolebat; quam jam abrogaverat anteceſſor ſuus Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus propter multas inconvenientias, quæ ex tali Confeſſione, nimium auribus expoſita, oriebantur: non autem loquitur de Confeſſione auriculari Sacramentali, quæ plurimùm laudatur à Trid: Seſſ: 14.

13. *Confeſſio abſque ſcrupulis benè peragi poteſt.*

Objicit quintò: Scrupuloſa illa enumeratio peccatorum eſt impoſſibilis: ergo &c. Reſpondeo: Neg: Ant: quia ad validam Confeſſionem Sacramentalem ſufficit diligentia moralis, qualem homines aliis in rebus, quæ ipſis curæ ſunt, ſolent adhibere, quæ abſque ullis ſcrupulis, & anxietatibus perfici poteſt: in reliquis deinde, quæ memoriæ non occurrunt, dicere debet bonus Chriſtianus illud Pſalmi: *Ab occultis meis munda me Domine.*

Alia argumenta, quæ contra Confeſſionem objiciunt Hæretici, vide ſoluta apud Bellarm: Valent: Vaſq: Fabrum, & Controverſiſtas paſſim.

QUÆSTIO II.
Quænam Perſonæ obligentur Jure Divino ad Confeſſionem?

1. *Quis obligetur ad Confeſſionem?*

DICO primò: Viator baptizatus lapſus in mortale peccatum, obligatur ad Confeſſionem: non verò Infidelis. Eſt Scoti 4. d. 13. q. 2. & plurium Scotiſt: contra Fabrum, Branc: Hiq: Scotiſtas; & contra Ric: Sylv: &c.

Probatur: ex Trid: Seſſ: 6. c. 14. dogmatizante; Sacramentum Pœnitentiæ, & conſequenter Confeſſionem eſſe inſtitutam, *pro iis, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur:* Et Seſſ: 14. c. 2. dicit idem Concilium; Eccleſiam non judicare interna (ſubintellige tam judicio Sacramentali Confeſſionis, quàm externo) niſi eos, qui per baptiſmi januam fuerint ipſam ingreſſi: quod probat ex Paulo dicente: *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt:* ergo ſoli baptizati; non verò Infideles, qui extra Eccleſiam ſunt; obligantur ad Confeſſionem.

2. *Infideles non ſunt capaces obligationis Confeſſionis.*

Objicit Faber Scotiſta: Infideles obligantur ad totam ſeriem Legis Chriſti promulgatæ: ergo & ad hoc indiviſibile præceptum Confeſſionis, in Lege Chriſti contentum. Reſpondeo: Diſt: Ant: Infideles obligantur ad totam ſeriem Legis Chriſti, in quantùm ſunt ejus capaces; Conc: Ant: in quantùm ſunt ejus incapaces; Neg: Ant: Itaque Infideles ſunt incapaces proximè Confeſſionis obeundæ; eò quòd per baptiſmi januam Eccleſiam non ſint ingreſſi; ut apti redderentur percipiendi alia Sacramenta; qui ingreſſus requiritur omninò, ut habetur cap: 1. *de Presbytero non baptizato.*

3. *Infidelitas præponderat omnibus peccatis Fidelium.*

Nec exinde censendi sunt Pagani melioris Conditionis; ùt vult quidam Scotista: nam etsi defectu capacitatis sint exempti à Confessione: aliundè tamen deteriores fiunt, per peccatum continuatum Infidelitatis; quod præponderat singulis Fidelium peccatis, Confessioni subjiciendis.

4. *Hæretici, Apostatæ, & degradati sunt obligati ad Confessionem.*

DICO secundò: Omnes viatores baptizati lapsi in mortale, etiam Hæretici, degradati, Apostatæ, imò & muti, & privati loquelà obligantur ad Confessionem Sacramentalem. Ita Scotus 4. d. 14 q. un: & dist: 17. q. un: quoad mutos; & communis Theologorum.

Probatur *de Hæret: Apostatis, & degradatis*, quia tales nullò beneficiò Legis Divinæ, vel rationis eximuntur à Confessione Sacramentali: cùm simpliciter extra Ecclesiam & foris non censeantur esse; sed tantùm membra putrida, & mortificata corporis mystici Ecclesiæ: ergo &c. Confirmatur: peccata horum sunt æquè materia necessaria Pœnitentiæ Sacrmentalis à Christo institutæ: ergo sunt æquè obligati ad ea expianda per Confessionem.

5. *Item Muti, & similes personæ.*

Probatur *de Mutis & aliis*: quia & hi possunt verè manifestare sua peccata per signa alia, à vocali Confessione distincta; puta per nutus, Scripturam & similia: ergo hi æquè comprehenduntur in obligatione Confessionis faciendæ, modò ipsis possibili.

6. *Per Interpretem Confiteri nulla est obligatio.*

DICO tertiò: Nullo jure Divino resultat obligatio confitendi per Interpretem; quàmvis quis sic posset licitè confiteri. Est determinatè Doctoris 4. d. 17. q. un: suorum & RR. passim contra Lug: & Branc: qui immeritò Scotum hìc facit problematicum.

Probatur: Confessio per interpretem est per se publica; licèt ex probitate interpretis maneat occulta: sed ad publicam Confessionem jure Divinò nemo obligatur: ergo &c. Probatur Min: ex Trident: Sess: 14. cap: 5. *Cæterum* (inquit) *quoad modum confitendi apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem; tum ob aliorum exemplum; tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit; non est tamen hoc Divinô præceptô mandatum; nec satìs consultè humanâ, aliquâ lege præciperetur; ut delicta, præsertim secreta, publicâ essent Confessione aperienda*: Et cap: *utriusque sexus* dicit: *Teneatur solus confiteri sua peccata proprio Sacerdoti*: ergo nemo tenetur per interpretem jure Divinò.

7. *Præterquam in articulo mortis.*

Nota tamen: si quis in mortis articulo dubius foret, de sufficienti Contritione super commissa mortalia; & interpres adesset; saltèm ex præcepto Juris naturæ teneretur per interpretem confiteri, etiam cum famæ dispendio. Ratio est: quia Lex Charitatis erga scipsum, & in ordine ad salutem consequendam, tunc suadet talem Confessionem; quæ præponderat dispendio famæ, & jacturæ bonorum omnium temporalium; ùt aptè notat Amicus, & Diana tom: 2. Resol: Moral: tract: 4. resol: 129.

QUÆSTIO III.

Quo Tempore, Jure Divino, & Ecclesiastico Fideles teneantur ad Confessionem faciendam?

1. *Volens communicare tenetur priùs ad Confessionem.*

NOta primò: Per accidens quemvis teneri Jure Divino ad Confessionem Sacramentalem præmittendã, dum vult communicare: juxta illud D. Pauli: *Probet autem seipsum homo* (quam probationem Ecclesia in Trident: Sess: 13. c. 7. vult fieri per Confessionem) *Et sic de pane illo edat, &c.* sed quæritur, quando per se obliget Confessio Sacramentalis?

2. *Constitutus in articulo, vel periculo mortis, obligatur Jure Divinô ad Confessionem.*

DICO primò: In quovis mortis articulo, & morali periculo mortis adest obligatio faciendi Confessionem, si mortalia adsint. Ita Scotus 4. d. 17. q. un: & cum eo communis Theologorum.

Probatur: in his casibus quivis tenetur procurare suam salutem viâ securiori: sed securior est per Confessionem Sacramentalem: ergo &c. Maj: patet ex lege Charitatis erga se; vi cujus quivis tenetur suam salutem operari, dum est in periculo casûs: Min: probatur: de Contritione sua justificante quivis rationabiliter potest esse dubius; an ad debitam mensuram, & sufficientiam hìc & nunc succrescat? cùm multa difficilia ad eam requirantur; ùt patet ex Trid: Sess: 6. cap: 6. & dictis suprà, de Contritione: ergo &c.

3. *Quod sit censendum periculum mortis.*

Nota autem: periculum morale mortis censeri, omnem diutinam navigationem, naufragium, conflictum in bello mortali, iter per loca infesta, partum difficilem fœminarum, & similia.

4. *Jure Divinô extra articulum mortis Fi-*

DICO secundò: Etiam extra mortis articulum, & morale periculum, obligat Confessio de Jure Divino. Ita communior, contra Dur: Palud: Lug: &c.

Probatur: Contritio remissiva peccati

de

deles obligantur ad Confessionem.

de Jure Divino, ùt ſuprà diſt: 8. q. 2. docui, aliquoties extra mortis periculum, & morale periculum obligat: ergo & Confeſſio; quà pariter remittuntur peccata.

Probatur ex Trid: Seſſ: 14. c. 5. dicente: *Neque enim per Lateranenſe Conc: Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti Fideles confiteantur, quod Jure Divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat*: quibus verbis Confeſſio non reſtringitur tantùm ad articulum mortis, vel morale ejus periculum: ergo extra hos duos caſus Confeſſio adhuc obligat per ſe de Jure Divino.

5. *Non tamè ſtatim, ac commiſſum eſt peccatum.*

DICO tertiò: Non tamen ſtatim poſt commiſſum mortale peccatum, hæc obligatio Confeſſionis de Jure Divino debet adimpleri. Ita Maſt: &c.

Probatur iisdem fundamentis, quibus ſuprà diſt: 8. q. 2. oſtendi; non debere ſtatim adimpleri obligationem Contritionis Pœnitentialis poſt commiſſum peccatum mortale; quæ pariter poſſunt applicari præſenti materiæ Confeſſionis; ergo &c. Confirmatur: Eccleſia non poteſt Juris Divini obligationem retardare; unde ſi immediatè poſt commiſſum peccatum deberet impleri obligatio confitendi, erràſſet Eccleſia, talem obligationem differendo; & dilationem concedendo ad integrum annum: ergo &c.

6. *Eſſi peccati oblivio ſubſecutura putaretur.*

Hoc Argumento etiam ſuadetur: in caſu illo, quo probabiliter ſuccederat oblivio commiſſi peccati, peccatorem non ſtatim teneri Jure Divinò ad Confeſſionem: aliàs namque Eccleſia malè conceſſiſſet anni integri lapſum, pro facienda Confeſſione.

7. *Eſt Præceptum Eccleſiæ de annua Confeſſione.*

DICO quartò: Jure Eccleſiaſticò pro quolibet Chriſtiano, in mortale lapſo, ſtatuitur obligatio, ſemel in Anno confitendi. Eſt communis Cathol: Doctorum.

Probatur ex determinatione Conc: Lateran: in cap: *Omnis utriusq; ſexûs*; ubi dicitur: *Omnis utriusq; ſexûs Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſaltèm ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi Pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere.* Idem ſtatuit Trident: Seſſ: 14 c. 5.

8. *Quid operentur illa verba Eccleſiæ ſemel in anno?*

DICO quintò: Per illa verba *ſemel in anno*, non determinatur ulla certa anni pars pro Confeſſione. Unde quovis anni tempore huic præcepto ſatisfit. Ita habet communis Theologorum, contra Med: & Sotum, exiſtimantes obligare determinatè circa Paſcha.

Probatur: cap: cit: Conc: Lateranenſis ſolùm præcipit annuam Confeſſionem, abſtrahendo ab hac, vel illa temporis differentia: ergo quovis anni tempore huic præcepto Eccleſiaſtico ſatisfit. Conſequentia tenet; ſatisfit præcepto Eccleſiaſtico præcipienti auditionem Miſſæ die Dominico, quàcunque horâ Dominicæ auſcultetur Miſſa: ergo à pari hic.

9. *Trid: de quadrageſimali Confeſſione exponitur.*

Objicies: Trid: cit: ait: *Jam in univerſa Eccleſia, cum ingenti animarum Fidelium fructu, obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maximè acceptabili tempore quadrageſimæ; quem morem hæc S. Synodus maximè probat, & amplectitur*; ergo determinatur tempus quadrageſimæ annuæ Confeſſioni. Reſpondeo Neg. Conſequentiam: citatis enim verbis ſolùm ſpecificatur tempus magis congruum Confeſſionis annuæ, propter faciendam Communionem Paſchalem: non verò proponitur præceptum, cadens ſuper tempus Quadrageſimæ vel Paſchale.

9. *Qualiter ſit accipiendus annus ſpecificatus in Eccleſiæ Præcepto?*

Nota deinde circa ly *annos diſcretionis*, quæ dixi ſuprà diſt: 4. q. 3 r. n. 10. Et circa ly *ſemel in anno* obſervo, annum non eſſe computandum calculo Mathematico, de momento in momentum: ſed moraliter; ita ut notabiliter annus naturalis non excedatur.

10. *Sacrilegè confitens non adimplet Legem Eccleſiaſticam.*

DICO ſextò: Sacrilegà, & invalidà Confeſſione non adimpletur obligatio annuæ Confeſſionis. Eſt communis DD:

Probatur primò: ex Conc: Lateran: præceptum eſt, ut fiat Confeſſio fidelis; unde dicit, *fideliter confiteatur*: ſed ſacrilega, & invalida non eſt fidelis: ergo &c.

Probatur ſecundò: Præceptum Confeſſionis annuæ petit fieri validum Sacramentum circa pœnitentem in ordine ad reconciliandum DEUM offenſum, & cauſandam remiſſionem peccatorum pœnitentis; hôc enim fine eſt inſtituta; ſed quando Confeſſio eſt ſacrilega, & invalida, non eſt validum Sacramentum: ergo per eam non impletur obligatio annuæ Confeſſionis.

11. *Alexandri Papæ VII. Authoritas pro eodem dicto.*

Probatur tertiò: Quia Alexander VII. inter prohibitas propoſitiones anno 1665. hanc decimam quartam in ordine prohibuit: *Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*: ergo &c.

QUÆSTIO IV.

De Conditionibus bonæ Confeſſionis & Circumſtantiis ſpeciem mutantibus; & tantùm Aggravantibus.

1. *Adducuntur Condi-*

NOta primò: Conditiones modificantes legitimam Confeſſionem, ſequentibus verſibus exprimi;

tiones debita Confessionis.

Sit simplex, humilis, Confessio, Pura, Fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Elucido breviter singula: dicitur *Simplex*, hoc est prolata sinè superfluis verbis. *Humilis*, id est, signis exterioribus, subjectionem testantibus, puta genuflexione, dejectione capitis facta: &c. *Pura*, id est, non ad pravum finem relata. *Fidelis*, id est, sinè dolo, aut deceptione enunciata. *Frequens*, id est, non nimiùm procrastinata. *Nuda*, id est, non peripheriis, & tropis Rhetoricis nimiùm phalerata. *Discreta*, id est, non verbis exprimentibus carnales, & impudicas nimiùm circumstantias, non necessariò aperiendas, prolata. *Libens*, id est, non metu pœnarum extorta, *Verecunda*, id est, peccati turpitudinem erubescens. *Integra, Secreta* de his infrà. *Lachrymabilis*, id est dolorosa, & procedens ex Contritione, vel Attritione. *Accelerata*, hoc est, statim facta, occurrente primâ commoditate confitendi. *Fortis*, id est, nihil ex pudore, vel timore omittens. *Accusans*, id est, non quærens excusationes in enarratione peccatorum. *Parere parata*, scilicet instructionibus, & mandatis rationabilibus Confessarii acceptandis.

2. *Exprimuntur Circumstantia Confessionis.*

Nota secundò: Septem esse Circumstantias afficientes Confessionem Sacramentalem, hoc versu comprehensas:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Harum exactam explicationem, vide in Tractatu meo de Actibus Humanis.

3. *Quædam sunt Circumstantia speciem mutantes.*

Nota tertiò: quòd quædam ex his Circumstantiis, licèt ad substantiam actûs moralis non spectent; mutent tamen ejus speciem; dum actum, vel de specie venialis peccati transferunt ad speciem mortalis; vel de una specie peccati mortalis, ad speciem alterius mortalis: Exempli gratiâ; in Ecclesia furari; actum carnalem consummare cum conjungata: ubi furtum simplex fit sacrilegium; & fornicatio fit adulterium.

4. *Quædam tantùm aggravantes.*

Quædam verò non mutant speciem; sed tantùm aggravant intra eandem speciem: si v. g. in actu morali sit major intensio, passio, conatus, vel in objecto quantitas major &c. unde gravius erit furtum 1000. aureorum, quàm 2.

5. *Quædam neutrum præstantes.*

Quædam tandem nec mutant speciem; nec aggravant: v. g. occisio facta baculò, vel ferrò: Et hæ in omnium sententia non sunt necessariò confitendæ. Sed quæstio est de aliis.

6. *Regula generalis ad cognoscendas Circumstantias speciem mutantes.*

Nota quartò: Regulam, ad dignoscendas Circumstantias speciem mutantes, ab aggravantibus sequentem, a Scoto assignari hìc, dist: 17. q. un: si Circumstantia ipsa sit præcepta; vel prohibita speciali præcepto; & ex distincto specie motivo, ab eo, quo præcipitur, aut prohibetur substantia actûs, est Circumstantia speciem mutans: v. g. fornicari est prohibitum præceptò Divinò continentiæ ex motivo virtutis continentiæ; sed fornicari cum Moniali est prohibitum & præceptò Religionis, & continentiæ simul.

7. *Circumstantia in infinitum aggravantes sunt explicanda in Confessione.*

Nota quintò: receptum esse apud omnes; Circumstantias aggravantes in infinitum, id est, quæ peccatum ex veniali faciunt mortale, esse explicandas in Confessione; licèt enim iste actus maneat in eadem specie, quæ ex objecto petitur; in ratione tamen propria peccati diversitatem acquirit specificam: v. g. surripuisti Sutori pauperrimo unicam acum, quâ victum sibi acquirebat; teneris hanc Circumstantiam aperire; quia furtum ex se veniale; hìc fit mortale.

8. *Sicut & minuentes in infinitum.*

Nota sextò: Etiam Circumstantias minuentes in infinitum; hoc est de mortali facientes veniale, esse confitendas; v. g. admisisti cogitationem de fornicatione; sed absque plena deliberatione; teneris explicare deliberationem imperfectam, quæ à mortali excusat. Quæstio ergo est de Circumstantiis in eadem specie, & intra eundem gradum peccati mortalis notabiliter aggravantibus, an sint confitendæ necessariò?

9. *Circumstantia tantùm aggravantes non sunt necessariè per se confitenda.*

DICO primò: Circumstantiæ etiam notabiliter aggravantes in eadem specie per se non sunt necessariò confitendæ; benè tamen speciem mutantes. Secunda pars est communis DD: Prima verò est S. Bonav: S. Thomæ, Alberti Magni, Lugonis, Dianæ, Poncii, Hiribar: Branc: & aliorum, contra Alensem Suar: Con: Amicum; & ex nostris Hiqu: Fabrum, Aretinum, &c. Doctor Subtilis in hoc videtur esse problematicus.

10. *Benè tamè per accidens.*

Dixi autem *per se*; quia per accidens interdum necessariò sunt confitendæ: nempe si propter talem Circumstantiam peccatum habeat restitutionem, vel censuram annexam.

11. *Circumstantia speciem mutantes ne-*

Secunda pars docetur clarè in Trid: Sess: 14. cap: 5. Et ratio est: *Quia*, ùt dicit Concilium cit: *sinè his Circumstantiis peccata ipsa, neque à pœnitentibus integrè exponuntur;* nec

cessariò sunt exprimenda in Confessione. *nec Judicibus innotescunt: & fieri nequit, ut de gravitate criminum rectè censeri possint, & pœnam, quam oportet, pro illis, Pœnitentibus imponere.*

12. *Rationes pro non necessaria Confessione Circumstantiarū aggravantium.* Probatur prima pars: Non est imponenda obligatio, & quidem tam onerosa, qualis est ista; nisi constet de lege, eam imponente: sed de nulla lege constat, imponente necessariò Confessionem Circumstantiarum aggravantium: ergo &c. Maj: est certa: Probatur Min: quia neque ex Sacra Scriptura; neque ex Ecclesia, cujus est jus Divinum interpretari, colligitur hujusmodi lex: ergo &c.

Confirmatur: Trident: citatô locô exactè hujus Sacramenti institutionem declarat; & quæ ad obligationem Confessionis pertinent: & tamen harum Circumstantiarum non meminit; sed obligationem limitat, & restringit ad numerum peccatorum, & Circumstantias speciem mutantes; atque adeò tacitè excludit eas Circumstantias, quæ non mutant; quales sunt aggravantes: in doctrinalibus autem, sive dogmaticis limitatio doctrinæ, & restrictio ad unam partem, excludit aliam: sic in Sacramento Eucharistiæ, quando ejus materia necessaria determinatur esse panis triticeus, eô ipsô excluditur quiscunque alius panis ex alio grano confectûs: ergo & à pari hìc. Et licèt hoc putetur Argumentum ab Authoritate Negativa ductum; quod aliàs non dicitur concludere; tamen non est tantùm ab Authoritate Negativa; sed etiam positiva: quia Concilium locô cit: positivè describit omnia, quæ ad necessitatem Confessionis pertinent; ac proinde cùm non faciat mentionem de his Circumstantiis, positivè eas excludit in doctrinalibus.

13. *Sacerdos sufficiens Judicium format secundùm mentem Trid: ex cognitis solis speciebus, & numero peccatorum.* Objiciunt primò Adversarii; quòd Trident: locô cit: eam postulet integritatem, quâ Confessarius probè noverit causam, ut æquas injungat Pœnitentias: sed sinè Circumstantiis aggravantibus talis causæ, & facti, talis cognitio haberi nequit: ergo hæ quoque sunt explicandæ. Respondeo: si Argumentum aliquid probaret; probaret, quòd etiam Circumstantiæ notabiliter alleviantes essent confitendæ: quod tamen negant Adversarii; & benè quidem; quia hoc Sacramentum est ad accusandum se; non ad excusandum: qualiter esset, si alleviantes, quibus se Pœnitens excusat, essent necessariò confitendæ. In forma Neg: Min: & dico sufficere illud Sacerdotis Judicium, in quo species, & numerus peccatorum, & Circumstantiarum speciem mutantiū cognoscuntur.

14. *Jus Canonicum nō imponit præceptū confitendi Circumstantias aggravantes.* DICES: cap: *consideret, de Pænit:* d. 5, plures Circumstantiæ, in Confessione aperiendæ numerantur, solùm aggravantes: ergo. Respondeo: quòd multa antiquitùs in primitiva Ecclesia servabantur ex fervore, & consilio; ad quod non tenebantur ex præcepto: ùt patet ex Pœnitentia, quæ his imponebatur, qui die Dominico uxorem cognovissent: Et hoc sensu etiam intelligendum est citatum cap:

15. *Quoddam fundamētum Adversariorum contra Circumstantias aggravantes adducitur.* Objiciunt secundò: de factò sunt aliqua peccata, quæ non differunt specie; sed solùm secundùm magis & minùs, ac proinde solùm secundùm Circumstantias aggravantes; quæ tamen ex obligatione sunt confitendæ: ergo. Prob: Ant: primò in gradibus Consanguinitatis, vel affinitatis debet confiteri, an incestus fuerit cum Matre, vel sorore, vel affine: ergo &c. Secundò: frangens jejunium, comedendo carnes facit peccatum ejusdem speciei cum illo, quod committitur, comedendo sæpè in die jejunii pisces; & tamen Circumstantia de carnium comestione debet necessariò confiteri: ergo &c.

16. *Cui Respondetur.* Respondeo Neg: Ant: ad primam probationem Nego Assumptum: probabilior enim est opinio asserens, diversitatem graduum cognationis variare species incestûs; & sub eodem genere incestûs plures esse species; diversis enim præceptis, & prohibitionibus subjacent. Ad secundum dico: illas duas comestiones esse duo peccata specie distincta; quia similiter contra diversa præcepta sunt: ùt enim Diana notat cum aliis Summistis, licèt præceptum abstinendi à carnibus includatur, in præcepto jejunii: præceptum tamen de non edendis carnibus non includit præceptum jejunii: nam pueri ante annum 21. non tenentur ad jejunium; tenentur tamen à carnibus abstinere.

17. *Alia item ratio Adversariorum diluitur.* Objiciunt tertiò: Potest peccatum unum esse ita intensum, ut æquivaleat duobus; v. g. voluntas occidendi, per horam continuata, æquivalet duobus homicidiis: ergo talis Circumstantia durationis aggravans est confitenda non minùs, quàm numerus ille binarius esset confitendus. Respondeo: Ant: esse verum in genere physico; non tamen in genere moris; quia licèt quoad gradus, & partes æqualia essent; non ita tamen se res habet in foro Pœnitentiali; in quo non attenditur intensio, vel duratio actûs; sed species & materia, seu objectum vetitum. Et est instantia manifesta; quia etiam peccatum durans per duo instantia tantùm, æquivalet: duobus peccatis; quia in duobus instantibus pos-

sunt duæ v. g. morosæ cogitationes eliciti; & tamen Circumstantia durantis peccati per duo instantia tantùm, non est confitenda; ergo &c.

28. *Laudabiliter nihilominùs aperiuntur in Confessione Circumstantiæ aggravantes.*

Nota tamen: esse laudabilem valdè, & fructuosam consuetudinem, aperire etiam Circumstantias aggravantes in Confessione; tum ut Confessarius pleniùs possit formare judicium circa Pœnitentem; tum ut possit magìs congruas injungere satisfactiones: unde opposita sententia est etiam valdè probabilis.

QUÆSTIO V.

An Confessio debeat esse Secreta; Vocalis; & Integra.

1. *Confessio de voluntate Christi est secretè instituenda.*

DICO primò: Regularis, & congruentior modus confitendi, à Christo institutus, est ut Confessio fiat secretè, & auricularitèr: per hoc tamen non prohibetur ab eo Confessio publica. Ita communis DD:

Probatur prima pars ex Trident: Sess: 14. c. 5. & Can: 6. ubi habentur sequentia: *Si quis dixerit modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandatis Christi, & inventum esse humanum, Anathema sit*: ergo &c.

2. *Quandoq; tamen etiam publicè fieri potest.*

Probatur secunda pars ex Trident: cit: *Cæterùm, quoad modum confitendi secretum, apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum; & sui humiliationem; tum ob aliorum exemplum; tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit, &c.* ergo à Christo non est prohibitus modus confitendi publicè.

3. *Confessio debet fieri voce regulariter.*

DICO secundò: Probabiliter de præcepto etiam Divino, Confessio semper fieri debet Vocaliter; nisi adsit impotentia moralis loquendi: Ita Scotus 4. d. 17. q. 1. Faber aliique Scotistæ; contra RR: Coninck, Lug: Aversam, Vasq: Suar: &c. arbitrantes, in casu magnæ verecundiæ, quæ in puellis solet esse, posse scriptò fieri Confessionem.

Probatur prima pars primò: ex cap: *Quem pænitet, de Pœnitentia*, d. 1. ubi dicitur: *Præcepit enim Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus; docens corporali præsentiâ confitenda peccata, non per nuntium, nec per scriptum manifestanda, dixit enim ora monstrate; erubescentia enim victa timore offensi fit venia criminis*: ergo &c.

4. Confirmatur: ex Florent: quod Sess: ult: *in Decreto Unionis*: *Oris Confessionem* ponit pro materia Sacramenti Pœnitentiæ: ergo &c.

Adducitur Flor: pro Vocali Cōfessione.

5. *Et usu stabilis Ecclesiæ.*

Accedit ad hoc perpetuus Ecclesiæ usus; à Fidelibus continuò practicatus: ergo &c.

Probatur secundò ratione: Opposita sententia aperit viam neglectui vocalis Confessionis: plurimæ enim personæ, maximè de fœmineo sexu, practicarent solam Confessionem scriptam, prætendentes pudorem innatum, excusantem vocali explicatione confusiva peccatorum. Deinde: sæpiùs tolleretur erubescentia in confitentibus per scriptam; quæ tamen pœna est à Christo intenta in hoc Sacramento: ergo &c.

6. *In casu impotentiæ cessat obligatio confitendi vocaliter.*

Probatur secunda pars: si præceptum Divinum Vocalis Confessionis se extenderet etiam ad *impotentiam moralem*; malè esset provisum de remedio Sacramentali salutis pluribus: nam si quis amitteret vocem; vel esset mutus à natura; vel difficulter nimis formare posset verba; non posset absolvi, defectu debitæ Confessionis: quod dici nequit: ergo &c.

7. *Quid sit integritas materialis, & formalis Confessionis?*

Nota primò: circa tertium punctum quæstionis: *Integritatem* Confessionis esse duplicem: *Materialem*, & *Formalem*: *Materialis* habetur; quando peccator subjicit Clavibus omnia, & singula peccata, à se commissa. *Formalis* habetur: quando subjicit illa, quæ post debitam discussionem conscientiæ occurrunt memoriæ; licèt aliqua per oblivionem naturalem; aut ignorantiam invincibilem, omittantur.

8. *Est lex Christi, de servanda Integritate Confessionis.*

DICO tertiò: Ex Divino præcepto debet Confessio regulariter esse Integra de omnibus mortalibus, integritate saltèm formali; si materialis haberi nequeat. Ita Scotus 4. d. 17. q. un: & Sui.

Probatur ex Trident: Sess: 14. cap: 5. dicente: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutum esse à Domino integram peccatorum Confessionem.* Et infrà: *Ex his colligitur oportere à pænitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri.* Idem habet Florent: ergo &c.

9. *Alia Argumenta probativa Integritatis, in Confessione servanda.*

Probatur secundò ratione: Hic est Sacramentale Judicium, quod cognitâ causâ ferre debet Sacerdos cum æquitate: æquitas autem judicii postulat Integram peccatorum Confessionem; ut pœna imponenda debitè proportionetur delictis: ergo &c. *Secundò*: Sacramentum Pœnitentiæ est instar medicinæ animarum institutum; sed in medicina corporis non sat est, ut

ut Medicus cognoscat unum morbum; sed debet omnes morbos infirmi cognoscere: ergo nec in medicina animæ fat erit, cognoscere unum morbum peccati; sed debet cognoscere omnes.

10. *Integritas Formalis in Confessione sufficit.*

Dixi in Conclusione; *Integritate saltèm formali*: quia materialis Integritas stante memoriâ humanâ labili, & obliviosâ, difficillima est; & quandoque moraliter impossibilis; unde sufficit Integritas formalis: quæ proinde etiam statuitur à Trid: Sess: 14. cap: 5. sequentibus: *Constat enim, nil aliud in Ecclesia à Pœnitentibus exigi; quàm ut postquam quisque diligenter se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & DEUM suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in universum eâdem Confessione inclusa esse intelliguntur:*

11. *Quæ excussio conscientiæ sufficiat in Confessione.*

Nota deinde per illa verba *diligenter excusserit*: eam tantùm diligentiam examinis conscientiæ secundùm Scotum 4. d. 17. q. un: requiri, & sufficere, quæ communiter ab hominibus solet adhiberi in rebus arduis, & seriis, quæ ipsis sunt cordi: attentâ etiam personarum qualitate, statu, aliisque Circumstantiis; nam majori discussione eget rudis, quàm sapiens: majori pariter qui rariùs, quàm qui crebriùs confitetur; item fusiori, qui magnis, & intricatis officiis, ac negotiis occupatur; quàm qui similibus non intricatur.

12. *Oblita peccata in proxima Confessione debent subjici Clavibus.*

Nota secundò: qui peractâ Confessione cum Integritate formali, postea recordatur peccati obliti, tenetur illud in proxima Confessione explicare. Ratio est: quia fuit ab eo absolutus indirectè, & cum voto illud confitendi: sicut discurrit Trident: Sess: 14. c. 4. de dimisso peccato per prævіam Contritionem justificantem, in qua involvitur votum confitendi illud omissum peccatum.

13. *Omnis species, & numerus peccatorū est allegandus.*

DICO quartò: Ut Confessio censeatur esse Integra, & valida, debent omnia mortalia, memoriæ occurrentia, subjici Clavibus, tam quoad speciem moralem; quàm quoad numerum. Est communis DD:

Probatur primò ex Trident: Sess: 14. cap: 5. & Can: 7. dogmatizante: necessarium esse confiteri omnia, & singula peccata; omnia in specie, & sigillatim: qui modus loquendi tam speciem, quàm numerum peccatorum omnium sub specie contentorum, explicandum esse ostendit: ergo &c.

Probatur secundò ratione: sinè hujusmodi explicatione specierum, & numeri peccatorum, Judex non debitè potest cognoscere gravitatem causæ Pœnitentis; neque debitam pro qualitate criminum injungere pœnam: ergo &c.

14. *Si verus numerus deprehendi nequeat, sufficit verosimilē exprimere.*

Nota tertiò: si post diligens examen Pœnitenti non occurrat determinatus numerus peccatorum, ob frequentiam peccandi; vel labilitatem memoriæ; debet exprimere saltèm numerum probabilem, vel verosimilem, & quem ex prudenti æstimatione magis ad certum numerum appropinquare putat; addendo, ly *plus, vel minus*.

15. *Quod si nec verosimilis conjici possit, sufficit exprimere statum personæ, & tempus quo vitiis inhæsit.*

Nota quartò: quòd si Pœnitens nec probabilem; nec verosimilem possit conjicere; sicut ordinariè contingit in inhonestis fœminis, in lupanari degentibus; in Concubinariis; Usurariis; Insidiatoribus viarum; qui quasi momento habent affectum ad peccandum: tales saltèm debent aperire statum, & Conditiones suas, significando tempus, v. g. annum, mensem, &c. quò in continua consuetudine peccandi perseverârunt.

QUÆSTIO VI.

Causæ excusantes à servanda Integritate materiali Confessionis afferuntur: Ubi etiam de repetitione invalidæ Confessionis.

1. *Oblivio naturalis excusat Pœnitentē non integrè confitentem.*

DICO primò: Oblivio naturalis excusat ab Integritate materiali Confessionis. Ita communis AA: apud Navarrum cap: 9. num: 12. Henriq: &c.

Probatur: DEUS non obligat creaturam rationalem ad impossibilia; sed est impossibile stante oblivione naturali confiteri omnia, & singula peccata: ergo &c.

2. *Item ignorantia, & error invincibilis.*

Nota: ad hanc causam excusantem, etiam reduci ignorantiam, & errorem invincibilem, quô quis arbitratur hoc, vel illud non esse peccatum; aut non confitendum. Imò probabilem credulitatem de jam factâ Confessione; vel hoc, aut illud peccatum, non esse mortale.

3. *Ob imminens Confessarie grave damnum potest dimitti Confessio.*

DICO secundò: Si Confessario ex Integra materialiter Confessione immineat grave damnum; potest Confessionis Integritas præteriri. Ita Scotus 4. d. 21. q. 2. Vasq: q. 91. Coninck, &c.

Probatur: Præceptum Confessionis Integræ materialiter est præceptum positivum,

T 3

8. *Et ratio Convincens.*

Probatur tertiò ratione : ideo peccata dimiſſa non poſſent eſſe, Materia abſolutionis, nec fructuosè confitenda ; quia jam eſſent ante dimiſſa ; ſed ratio non valet : ergo &c. probatur Min: per Contritionem ſæpè remittuntur mortalia ; & tamen hæc ſunt Materia abſolutionis , & fructuosè confitentur : ergò &c. Deinde licèt mortalia ſint ante dimiſſa quoad culpam ; non tamen quoad pœnam temporalem ; ideóque ad hunc finem fructuosè Clavibus denuò poſſunt ſubjici ; ſicut & ad augmentum gratiæ procurandum.

9. *Quis ſit genuinus ſenſus formæ abſolutionis.*

DICES : Circa peccata remiſſa non poteſt ſalvari veritas practica formæ : ergo &c. Ant: probatur : veritas practica formæ terminatur ad peccatum tollendum ; ſed hìc nullum eſt : ergo &c. Reſpondeo Neg: Ant: ad ejus probam Diſt: Maj: veritas practica terminatur ad peccatum tollendum , ſi inſit Conc: Maj: ſi non inſit Neg: Maj: Itaque ſenſus formæ abſolutionis eſt ; impendo tibi Sacramentum , habens virtutem deletivam peccati, & reipſa delens ſi inſit : ſi verò non inſit, ſed inſuit poſt baptiſma , & jam denuò de ipſo doles ; ſit tibi augmentans gratiam, & diminuens pœnam.

10. *In recenſeſſione abſolutorum peccatorũ debet adeſſe nov⁹ dolor.*

Nota autem : in re confeſſione dimiſſorum peccatorum debere adeſſe novum dolorem : Ratio eſt : quia ad novum Sacramentum conficiendum , requiritur nova Materia , ſaltèm proxima , à priori diſtincta ; qualis hìc eſt Contritio nova dolorifera ; vel Attritio.

QUÆSTIO III.

De Forma Sacramentalis Pœnitentiæ.

1. *Forma Abſolutionis debet proferri determinatis verbis, voce formatis.*

DICO primò : Forma Sacramenti Pœnitentiæ debet determinatis verbis vocalibus , ſignificantibus ſententiam judiciariam , à Sacerdote pronunciari. Ita Scotus 4. d. 14. q. 4. Et communis Theologorum.

Probatur ex Concilio Trid: Seſſ: 14. c. 3. Et Florent: *in Decreto Eugenii* diſt: 6. q. 5. hoc ſtatuentibus. Et ex praxi Eccleſiæ ; quæ ſemper uſa eſt determinatis verbis, voce formatis, ſignificantibus Judicis ſententiam abſolutoriam : ergo &c.

2. *Ut patet ex inſtitutione Chriſti.*

Ratio Concluſionis petenda eſt ex Chriſti inſtitutione : quâ, modò in Concluſione expreſsò, ordinavit hoc Tribunal Sacramentale : & quæ nobis manifeſtatur per perpetuam Eccleſiæ traditionem.

3. *Non eſt omnimoda paritas Tribunalis forenſis, & Sacramentalis.*

Objicies : Sententia profani Judicis in humano judicio poteſt verbis , ſolummodò ſcriptis ferri : ergo & Judicis ſpiritualis in Judicio Sacramentali. Reſpondeo Neg: Conſequentiam : Diſparitas petitur ex determinata inſtitutione Chriſti , qui in hoc Tribunali petit ſemper verba pro ſententia abſolutoria : ùt patet ex praxi Eccleſiæ, declarantis nobis mentem Chriſti. Deinde non debet eſſe omnimoda ſimilitudo in Sacramentali , & profano Judicio : nam ſicut in profano idem nequit eſſe reus, & teſtis ; poteſt autem in Sacramentali : ita licèt in profano ſententia feratur in ſcriptis ; non tamen in Sacramentali.

4. *Verba* Te abſolvo *conſtituunt Formam abſolutionis à peccatis.*

DICO ſecundò : hæc ſola vocabula *Te abſolvo*, vel æquivalentia completam eſſentiam Formæ abſolutionis conſtituunt ; & ſufficiunt. Ita Scotus 4. d. 14. q. 4. Scotiſtæ, & communior contra Duran: Palud: Gab: &c.

Probatur Authoritate Trid: Seſſ: 14. c. 3. dicentis : *Docet præterea ſancta Synodus , Sacramenti Pœnitentiæ Formam , in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe : Ego te abſolvo* : ergo &c. Nec refert quòd hìc à Trident: addatur ly *Ego* ; hoc enim pronomen involvitur in ly *abſolvo* ; ùt tenent omnes Doctores.

5. *Alia proba pro eadem doctrina.*

Probatur ſecundò : hæc ſola vocabula *Te abſolvo* conſtituunt completam ſententiam judiciariam abſolutoriam rei , ſuper peccata allegata in Confeſſione : ergo ſola conſtituunt eſſentiam Formæ Abſolutionis.

6. *Ly* Te abſolvo *non eſt indifferens in certis circumſtantiis prolatum.*

DICES : ly *te abſolvo*, eſt indifferens ad abſolutionem à Cenſuris , à peccatis , & à pœnis ſpiritualibus, ac temporalibus : ergo debet addi ly à peccatis , ut determinativum abſolutionis. Reſpondeo Diſt: Ant: eſt indifferens , ſecluſis circumſtantiis , in quibus profertur ly *te abſolvo*, Conc: Ant: additis circumſtantiis , Nego Ant: Itaque quando ly *te abſolvo* pronunciatur in circumſtantia hujus hominis Pœnitentis, contriti, & confitentis hæc peccata ; ſufficienter determinatur, ut cadat determinatè ſuper hæc peccata abſolvenda.

7. *Cur ly* Te *non poſſit omitti in Forma Abſolutionis.*

DICES : ergo etiam poterit omitti ly *Te* : quia pariter ex his circumſtantiis determinatur hoc ſubjectum abſolutionis. Reſpondeo Negando illatum : Diſparitas eſt : quia Forma Abſolutionis fuit inſtituta per voces demonſtrativas ; omiſsâ autem particulâ *Te* non eſt demonſtrativa ; cùm verbum *abſolvo* proferri poſſit , non ſolùm circa peccata præſentis, ſed & abſentis.

8. *Quid in-*

Objicies : Concilia poſt ly *Te abſolvo* , addunt, *& cætera* ; indigitantes , has voces ſub-

telligant CC: per ly & cætera.

ſubſequentes, *à peccatis*, pariter eſſe de eſſentia Formæ: ergo &c. Reſpondeo Neg: Ant: aliàs etiam iſtæ voces, *in nomine Patris, & Filii & Spiritûs Sancti*, eſſent de eſſentiâ Formæ; cùm ſequantur ly *& cætera*; quòd tamen communis DD: negat. Volunt ergo Concilia has voces *à peccatis* ſpectare aliquomodò magis ad integritatem Formæ, quàm ſpectent preces, ex conſuetudine Eccleſiæ annexæ.

9. *Forma validè profertur, dum æquivalentia applicantur.*

Dixi in Concluſione, *vel æquivalentibus*: quia valida, & eſſentialis eſſet Forma Abſolutionis, terminis æquipollentibus pronunciata: ut ſi dicatur; *condono tibi peccatum; dimittuntur tibi à me peccata: do tibi reconciliationem &c.* Item ſi dicatur: *abſolvitur à me hic homo, Dominatio veſtra à me reconciliatur.* Non licèt tamen ab uſitatis Eccleſiæ verbis recedere abſque peccato. Ratio dictorum eſt; quia illis æquipollentibus verbis ſignificatur ſufficienter ſententia judiciaria abſolutoria: Et contingit tantùm variatio accidentalis in Forma Abſolutionis.

10. *Preces ab Eccleſia additæ ante, & poſt Formam, ſunt accidentales.*

Ex hactenùs dictis Infertur: conſuetas oratiunculas, *Miſereatur veſtri, &c. Indulgentiam, &c.* Item abſolutionem præambulam à Cenſuris; & alia, quæ antecedunt ly *Te abſolvo*, non ſpectare ad ſubſtantiam Formæ: præmitti tamen debent ex diſpoſitione Eccleſiæ; maximè abſolutio præambula à Cenſuris; ne ex parte Pœnitentis Sacramentum impediatur.

11. *Forma debet eſſe judicativè pronunciata.*

DICO tertiò: Ut Forma valorem ſuum ſortiatur, debet modò judicativò; non verò deprecatoriò pronunciari. Eſt cum Scoto cit: communis DD:

Probatur: Hoc Sacramentum eſt judicium quoddam, teſte Trid: Seſſ: 14. c. 2. & 3. ſed in omni judicio ſententia Judicis deciſiva modò judicativò & non deprecatoriò pronunciari debet: ergo &c.

Confirmatur: mutatur ſubſtantialiter anima, & ſenſus Formæ Abſolutionis per modum deprecatorium: nam ly *abſolvo* imperatoriè prolatum, indicat tantùm affectum abſolventis; non effectum, & opus practicum, ſicut fit, dum practicè, & judicativè profertur: ergo &c.

12. *Forma Conditionatè de præterito, vel præſenti eſt valida.*

DICO quartò: Forma Abſolutionis pronunciata ſub conditione de præterito, vel præſenti valida eſt, & licita; non item ſub conditione de futuro.

Probatur prima pars: Conditio de præterito, vel præſenti, non evacuat practicam efficientiam & efficaciam, v. g. ſi quis dicat: *abſolvo te, ſi ſatisfeciſti legato: vel abſolvo te, ſi verè doles*: ergo &c. Probatur Ant; adeſt vera intentio in Miniſtro, non ſuſpendens actum abſolutionis; adeſt etiam materia, & Forma ſimul: ergo manet practica efficacia Abſolutionis.

13. *Non de futuro.*

Probatur ſecunda pars: Vel eſſet valida ſtatim poſt prolationem; vel adveniente conditione de futuro: ſed neutrô modò eſt valida: ergo &c. probatur Min: non ſtatim poſt prolationem; quia Sacerdos non habet tunc, quando profert Formam, intentionem abſolvendi. ergo &c. Nec quando ponetur conditio; quia adveniente conditione, non adeſt ampliùs materia, & Forma; ſinè quibus non fit Sacramentum: ergo &c.

14. *Cenſura, & culpa abſolvi poſſunt his verbis ſolis* Te abſolvo.

DICO quintò: His ſolis verbis *Te abſolvo* validè Pœnitens abſolvitur à Cenſuris, & peccatis dummodò hoc intendat abſolvens. Ita Navar: *de Pœnit:* diſt: 6. cap: 1. Henriq: lib: 4. cap: 11. Brug: tract: 11. c. 8. & communis.

Probatur: Eadem oratio poteſt ob diverſos fines ad diverſas ſignificationes adhiberi: ùt habetur L. 1. *de officio Præt:* ergo etiam eadem abſolutionis Forma adhiberi poteſt à Sacerdote, ad tollendas Cenſuras, & peccata ſimul: quò caſu abſolutio à Cenſuris, cenſetur naturâ prior.

15. *Abſens nequit abſolvi.*

DICO ſextò: Pœnitenti abſenti, nec validè, nec licitè applicari poteſt Forma Abſolutionis. Eſt communis Theologorum

Probatur ex Clem: 8. qui contra hujuſmodi abſolutionem, ſolemnem edidit conſtitutionem, anno 1602. die 19. Julii, in qua damnatur oppoſita doctrina, ùt ſcandaloſa, falſa, & temeraria: prohibeturque ſub pœna Excommunicationis, ipſô factô incurrenda, Papæ reſervata, ne doceatur publicè, vel privatim.

Probatur ſecundò ratione: ſententia definitiva abſolutionis nequit pronunciari ſuper ſtatum rei incognitum: ſed ſtatus Pœnitentis abſentis ejuſque diſpoſitio moralis, eſt Confeſſario incognitus, pro illo nunc abſolutionis: ergo &c.

16. *A quibus S. Thomas Cantuar: abſens fuerit abſolutus.*

DICES S. Thomas Cantuar: petiit abſens à ſede Apoſtolica abſolutionem; & tamen ob hoc non reprehenditur ab Eccleſia: ergo &c. Reſpondeo cùm Scoto 4. d. 17. q. un: S. Martyrem tantùm poſtulâſſe à Papa abſolutionem à Cenſuris, ſi quas fortaſsìs incurriſſet, ad majorem ſecuritatem: non verò abſolutionem à peccatis.

17. *Ratificans abſentem Confeſſionem in præſentia*

Nota tamen: validum eſſe Sacramentum, ſi Pœnitens abſens in neceſſitate per litteras priùs manifeſtâſſet peccata; & deinde ante abſolutionem obtentam, præſens conveniat Confeſſarium, dicatque, ſe accuſare de omnibus tranſcriptis peccatis,

Confessarii, potest absolvi,

tis, & dolere, & desuper sequatur absolutio; ùt habet Scotus, Bonacin: Henriq: Valent: &c. In tali enim casu absolutio, & Confessio fiunt circa præsentem Pœnitentem.

QUÆSTIO IV.

De Efficientia; Necessitate; & Informitate Sacramenti Pœnitentiæ.

1. Absolutio Sacerdotis est verè remissiva peccati,

DICO primò: Sacerdos virtute Clavium, & per Sacramentum Pœnitentiæ, defactò propriè remittit culpas; & quidem omnes. Est Scoti 4. d. 14. q. 4. Scotist: & Thom: omnium RR: contra Magistrum Sent: Alensem, Ocham, & cœteros docentes: Sacerdotem tantùm declarare, peccata esse à DEO dimissa.

Probatur primò: quia Joan: 20. propriè de potestate Clavium Sacerdotum dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* & non ponitur: quorum declaraveritis peccata dimissa: ergo &c.

2. Authoritas Tridentini ostendit Sacerdotes verè absolvere à culpis.

Probatur secundò ex determinatione Tridentini: quod Sess: 14. Can: 9. habet sequentia: *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalē Sacerdotis, non esse actum judicialem; sed nudum Ministeriū* (quale esset si foret tantùm declarativa) *pronunciandi, declarandi remissa esse peccata, &c. Anathema sit.* Et alibi dicit; quòd Sacramenta efficiant id, quod signant: quod causalitatem & Efficientiam remissionis signatæ ex parte Sacramenti Pœnitentiæ significat: ergo &c.

Confirmatur per Bullam Pii V. & Greg: XIII. editam contra errores Michaelis Bay; in qua rejiciuntur quædam Bay propositiones, quibus asserebat. Sacerdotem solùm absolvere à reatu pœnæ: ergo &c.

3. Militat pro eadem doctrina Ratio Scoti.

Probatur tertiò ratione Scoti citati: ex opposita sententia sequeretur, Sacerdotem Evangelicum non differre à Legali, si non absolveret à peccatis per propriam, & effectivam remissionem culpæ: quod etsi Magister Sent: concedat; negant tamen SS: PP: signanter Chrys: lib: 3. *de Sacerdotio* c. 4. dicens: *Nostris Sacerdotibus, non corporis lepram; verùm animæ sordes; non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est*; ergo &c.

4. DEUS principaliter dicitur remittere peccata.

DICES: in Scriptura Isaiæ 43. dicitur; DEUM remittere peccata; ergo &c. Respondeo cum Doctore glossando Scripturam; authoritativè, & principaliter Concedo: minùs principaliter, & instrumentaliter Nego. Itaque mediante Sacramento Pœnitentiæ etiam, Sacerdos effectivè, minùs tamen principaliter, attingit remissionem peccatorum: & hoc dicendo, dignificatur, & commendatur virtus hujus Sacramenti sinè inconvenienti.

5. Virtus Sacramenti Pœnitentia tollit omne peccatum.

Probatur secunda pars: Virtus Pœnitentiæ delet omnem culpam, & omnem numerum peccatorum: ùt supra docui: ergo & Sacramentum Pœnitentiæ à pari. Unde sinè ulla prorsus limitatione ad alia qua peccata, sacra Concilia docuerunt, posse elici Pœnitentiam in hac vita: sic loquitur: Conc: Lateran: & Tridentinum Sess: 6. Can: 29. *Si quis dixerit, eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per DEI gratiam resurgere; aut posse quidem; sed solâ fide, amissam justitiam recuperare, sinè Sacramento Pœnitentia, &c. Anathema sit*: ergo per Sacramentum Pœnitentiæ quis resurgere potest ab omni peccato; & remissionem ab omni culpa obtinere.

6. Sacramentum Pœnitentia est necessariū necessitate medii.

DICO secundò: post promulgationem Evangelii Sacramentum Pœnitentiæ in re; vel in voto fuit simpliciter Necessarium, Necessitate medii adulto mortaliter peccanti. Est communis Theologorum.

Probatur ex Trid: Sess: 14. c. 1. dicente: *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinâssent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria*: & cap: 2. explicat determinatiùs hanc Necessitatem, & dicit; quòd sit *hoc Sacramentum Pœnitentia lapsis post baptismum necessarium ad salutem, ut nondum regeneratis ipse baptismus*; ideò, *rectè à Patribus dicitur baptismus laboriosus*: sed baptismus in re; vel in voto, est necessarius, Necessitate medii: ergo &c.

7. Quid sit, Sacramentum Pœnitentia esse Informe?

Nota circa Informitatem Sacramenti Pœnitentiæ, ipsum tunc censeri informe; si validè quidem conferretur; gratia tamen sanctificans non conferretur ob indispositionem Pœnitentis.

8. Sacramentum Pœnitentia non potest esse validum & Informe simul.

DICO tertiò: Sacramentum Pœnitentiæ nequit esse validum, & informe. Est Scoti 4. dist. 1. q. 5. Adrian: Med: Vegæ: Con: & RR: contra Thomist: Lug: Navarrum, & Scotistas, Aret: Hiribar: &c.

Probatur primò: refellendo principalem rationem Adverf: ideo secundùm AA: oppositæ sententiæ, hoc Sacramentum esset aliquando validum, & informe; quia posset conferri sinè prævio sufficienti dolore Pœnitentia; sed ex hoc capite non confertur validum, & informe: ergo & c. probatur Min: ex Florent: & Trid: Sess: 14. c. 3. docentibus; ad valorem hujus Sacramenti necessariò requiri dolorem, qui tendat efficaciter

ficaciter ad reconciliationem Peccatoris cum DEO offenso; cùm sit pars integralis hujus Sacramenti; ùt suprà ostendi: ergo in defectu talis doloris non erit validum Sacramentum: & consequenter non potest contingere Sacramentum validum administrari cum informitate.

9. Dolor Pœnitentialis debet esse supernaturalis. DICES sufficere dolorem naturalem, qui semper habetur in perceptione hujus Sacramenti. Contrà; Tridentinum Sess: 14. cap: 4. docet dolorem sufficientem debere esse impulsum, & donum Spiritûs Sancti: ergo non sufficit naturalis.

10. Cur baptismus possit esse validus & informis; non verò Pœnitentia. Objicies: Baptismi Sacramentum potest esse validum, & informe; nam si ministretur homini habenti actualem affectum ad peccatum mortale, validè baptizatur, & gratia sanctificans non confertur; nisi post amotum illum obicem: ergo idem dicendum de Sacramento Pœnitentiæ. Respondeo Neg: Consequentiam: Disparitas est primò: quia in baptismo dispositio necessaria ad effectum gratiæ distinguitur ab omnibus iis, quæ ad integritatem Sacramenti, ùt partes integrales concurrunt: in Sacramento Pœnitentiæ autem idem actus, qui est dispositio necessaria ad ipsius effectum, est etiam pars integralis, quasi materialis simul. Deinde, ùt benè notat Scotus 4. d. 1. q. 5. Baptismus est medium ad salutem necessarium, quod iterari non potest semel susceptum; unde ne præcludator via salutis, necessariò dicendum est, eundem baptismum cum obice susceptum validè suscipi; etsi postea primò vim habeat remittendi illa peccata, & gratiam conferendi ablato obice, quæ necessitas de Sacramento Pœnitentiæ non urget; eò quòd iterari possit.

DISTINCTIO X.
DE CONFESSIONE SACRAMENTALI.

QUÆSTIO I.
De Definitione; Institutione; & Necessitate Confessionis Sacramentalis.

1. Varia usurpationes hujus vocis Confessio. NOta primò: Hanc vocem *Confessionis*, diversas habere significationes in Scriptura Sacra; & Patribus; Aliquando significat cognitionem DEI, cum annexa ejus laude: hôc sensu dicitur Matth: 11. *Confiteor tibi Pater.* Aliquando importat protestationem externam fidei: ita apud eundem Evangelistam cap: 10. *Qui me confessus fuerit.* Tertiò: capitur pro Confessione judiciali rei in foro fori. Quartò tandem ad propositum nostrum usurpatur pro manifestatione peccati Theologici in foro Sacramentali: & dicitur Confessio Sacramentalis.

2. Definitur Confessio Sacramentalis. DICO primò: Confessio Sacramentalis, benè definitur; *Quod sit; accusatio Sacramentalis legitima de peccatis propriis, facta coram Sacerdote, ad eorum veniam impetrandam virtute Clavium.*

Probatur eam explicando: ly *accusatio* est genus: aliæ particulæ sunt differentiales: per ly *Sacramentalis*, differt Confessio à Contritione; quæ quidem est etiam Confessio; sed tantùm coram DEO; non verò Sacramentalis. *Legitima* ponitur ad differentiam earum, quæ carent conditionibus requisitis. *De propriis peccatis* ponitur, ad differentiam Confessionis laudis. *Facta coram Sacerdote*, ad differentiam Confessionis exterioris fori, factæ coram Judice Criminali. Additur *ad veniam impetrandam*, ad differentiam Confessionum pœnalium, quæ ad punitionem præcisè ordinantur; non ad veniam.

3. Confessio Sacramentalis instituta est à Christo. DICO secundò: Sacramentum Pœnitentiæ fuit à Christo institutum, etiam quoad Confessionem Sacramentalem. Est Catholicorum. Contra Hæreticos complures; quorum aliqui dixerunt hujusmodi Confessionem fuisse primò inventam, & invectam ab Innoc: 3. in cap: *Omnes utriusque sexûs*, &c.

4. Quod etiam ratio suadet. Probatur ex Tridentino, Sess: 14. cap: 5. *Ex institutione*, inquit, *Sacramenti Pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum Confessionem.* Unde infrà concludit; *repellendam esse inanem eorum calumniam, qui* eam

eam à mandato Divino alienam, & inventum humanum esse, atque à PP. in Conc: Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur.

4. *Quod etiã ratio suadet.*

Probatur secundò ratione: si Confessio Sacramentalis, ab Ecclesia instituta fuisset, ut Sectarii dicunt, jam in ea posset dispensare Ecclesia; sed non potest in Confessione, vel ulla alia Pœnitentiæ parte dispensare: ergo &c.

Deinde hæc Confessio deducitur ex ipsa Institutione hujus Sacramenti: nam ut benè discurrit hîc Scotus; Sancti Apostoli per illa verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* & eorum successores acceperunt potestatem à Christo, remittendi, & retinendi peccata Fidelium; & constituti sunt Judices, qui pœnitentibus sententiam absolutionis, ac remissionis proferrent; sed certè judicium exerceri non potest; nec sententia proferri; nisi probè cognitâ, & discusâ causâ; quæ discussio fieri nequit, nisi per Confessionem: ergo ex Institutione hujus Sacramenti, & de ordinatione Christi, explicata Confessio peccatorum præcedere debet. Unde

5. *Confessio est Necessaria necessitate medii.*

DICO tertiò: Confessio Sacramentalis relapsis post baptismum est necessaria in re; vel in voto, Necessitate medii; & Juris Divini. Ita Scotus 4. d. 17. q. un: Et est communis Catholicorum, contra Sectarios Antiquos, & Recentiores.

Probatur prima pars: ex dictis suprà, dist: 9. q. 4. Conclusione 2. ubi ostendi Sacramentum Pœnitentiæ esse lapsis necessarium in re vel voto Necessitate medii: ergo & Confessio, quæ est pars integralis necessaria hujus Sacramenti.

Probatur secundò: Effectus, ad quem Sacramentum Pœnitentiæ, & consequenter Confessio Sacramentalis ordinatur, est reconciliatio cum DEO, & peccati mortalis remissio; sed hæc sunt necessaria Necessitate medii ad salutem; quia per nullam ignorantiam suppleri possunt: ergo &c.

6. *Et Necessitate Juris Divini.*

Probatur secunda pars de Necessitate Juris Divini: ex Trid: Sess: 14. Can: 6. dicente: *Si quis negaverit Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure Divino, Anathema sit.*

7. *Unde Necessitas Confessionis deducatur.*

Necessitatem hanc neglectis Recentiorum deductionibus; utpote in sufficientibus; deduco cum Scoto citato. Primò ex obligatione hominis de Jure Divino ad diligendum DEUM; & seipsum; quod fieri nequit; nisi per peccatorum remissionem, & gratiæ recuperationem, & arguo sic: Qui amisit primam gratiam, tenetur recuperare illam ex duplici jure Divino *Diliges Dominum DEUM tuum; & teipsum:* sed ubi sunt duæ viæ consequendi salutem, tenemur ad faciliorem, & tutiorem; facilior autem, & tutior via est, per Sacramentalem Confessionem gratiam recuperare, seu per Sacramentum Pœnitentiæ; quàm per Pœnitentiæ virtutem: ergo de jure Divino tenetur ad hanc Confessionem in re, vel in voto peragendam. Prob: Min: quòd in rebus ad salutem necessariis teneamur sequi viam tutiorem: quia aliàs videremur salutem contemnere, eam periculo exponendo; subsumptam Min: etiam Probo; ad Consequendam gratiam cum Sacramentali Confessione, seu Pœnitentiæ Sacramento sufficit, non ponere obicem; cùm Pœnitentiæ verò virtute requiritur Contritio: potest autem quis certior esse, quòd non ponat obicem; quàm quod habeat Contritionem sufficientem; quia potest probabiliter scire, se non accedere ad Sacramentum hoc cum aliquo peccato actuali; & cum intentione recipiendi Sacramentum, & ejus effectum; at non potest scire, se habere Pœnitentiam sufficientem ad justificationem extra Sacramentum: ergo &c.

8. *Scripturæ aliqua pro Confessione.*

Secundò: potest etiam deduci hæc Necessitas Juris Divini, ex illo Jacobi 5. v. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* Et ex illo 1. Joan: 1. v. 19. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut dimittat nobis peccata nostra.* Et illo Act: 19. v. 18. *Multiq; credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.*

9. *Confessionem non esse inventum humanum, pluribus ostenditur*

Itaque concludo ex his contra Novatores: non esse humanum inventum Innocentii Papæ; aut Ecclesiæ præceptum; sed legem à Christo ordinatam, Confessionem Sacramentalem in re, vel in voto peragendam. Pro qua veritate ulteriùs stabilienda à Theologis passim adducuntur Conc: Laodicense, sexta Synodus Constantinopolitana, Conc: Cabilonense, Turronense, Rhemense, Moguntinum, Vuormacense, &c. Et illustria duodecim PP: testimonia, qui longò temporis intervallò, Innocentium III. præcesserunt: videlicet Clementis, Irenæis, Originis, Tertull: Cyp: Firmiani, Athanasii, Basil: Chrysostom: Hieronym: Ambros: & August: super Psal: 66. *Tristis esto, antequam confitearis.* Et paulò pòst; *Confitere, exeat in Confessione, & defluat omnis sanies.* Estne ergo Confessio Sacramentalis inventum Innocentii III?

Ob-

10. Kemnitio Haretico ex Scriptura & S. Aug: objicienti benè respondetur.

Objicit primò Kemnitius Hæreticus: Christus misit suos Apostolos, sicut ipse missus est; sed Christus absolvit sine auriculari Confessione; ut patet de peccatrice fœmina: ergo &c. Respondeo Neg: Maj: absolutè sumptam; quia Christus aliquando etiam justificabat sine ullo adhibito Sacramento. Deinde Christo aliundè constabant peccata illius peccatricis per scientiam supernaturalem; quod verificari neqoit de Apostolis, eorumque successoribus semper, dum debent absolvere; utpote qui talem scientiam non habent: adeoque debent ipsis constare per Confessionem.

Objicit secundò S. Aug: lib: 10. Confess: cap: 3. dicentem: *Quid mihi est cum hominibus, ut audiant Confessiones meas; quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendum alienam vitam, desidiosum ad corrigendam suam.* Respondeo: August: in libris illis *Confess:* agere de Confessione suorum peccatorum ante baptismum commissorum, quæ in illis libris DEO & mundo aperit; non autem de Confessione privata Sacramentali, quam ipse summopere in pluribus locis commendat.

11. Authoritate D. Ambrosii exponuntur.

Objicit tertiò: S. Ambros: lib: 10. *in Luca c. 22.* in illud v. 62. *Petrus exivit, & flevit amarè*, dicentem: *Non invenio quid dixerit; invenio quòd flevit; lachrymas ejus lego, satisfactionem non lego.* Et infrà; *Lavent lachrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri.* Respondeo ad primum: tunc temporis hoc Sacramentum probabiliter necdum fuisse institutum; & ideò non mirum; si Petrus eò non fuit usus. Respondeo ad secundùm: S. Ambrosium in ultimo textu non velle excludere Confessionem Sacramentalem; quia, ùt refert Paulinus in ejus vita, ipse solitus fuit audire Confessiones privatas; sed solùm vult, quòd quando quis convictus est erroris, ùt fuit Petrus, satis sit lachrymari; quia in ipsis lachrymis confitetur culpam, utique Sacerdoti jam notam.

12. Etiam S. Chrysostomi.

Objicit quartò: S. Chrysost: hom: 2. in Psal: 50. dicentem: *Peccata tua dicito, ut deleas illa; si confunderis alicui dicere, quæ peccâsti, dicito ea quotidie in anima tua; non dico, ut confitearis conservo tuo, qui exprobraret; dicito DEO, qui curet ea.* Respondeo S. Chrysostomum loqui de publica Confessione, humanò jure introducta; quæ tunc fieri solebat; quam jam abrogaverat antecessor suus Nectarius Episcopus Constantinopolitanus propter multas inconvenientias, quæ ex tali Confessione, omnium auribus exposita, oriebantur: non autem loquitur de Confessione auriculari Sacramentali, quæ plurimùm laudatur à Trid: Sess: 14.

13. Confessio absq; scrupulis benè peragi potest.

Objicit quintò: Scrupulosa illa enumeratio peccatorum est impossibilis: ergo &c. Respondeo: Neg: Ant: quia ad validam Confessionem Sacramentalem sufficit diligentia moralis, qualem homines aliis in rebus, quæ ipsis curæ sunt, solent adhibere, quæ absque ullis scrupulis, & anxietatibus perfici potest: in reliquis deinde, quæ memoriæ non occurrunt, dicere debet bonus Christianus illud Psalmi: *Ab occultis meis munda me Domine.*

Alia argumenta, quæ contra Confessionem objiciunt Hæretici, vide soluta apud Bellarm: Valent: Vasq: Fabrum, & Controversistas passim.

QUÆSTIO II.
Quænam Personæ obligentur Jure Divino ad Confessionem?

1. Quis obligetur ad Confessionem?

DICO primò: Viator baptizatus lapsus in mortale peccatum, obligatur ad Confessionem: non verò Infidelis. Est Scoti 4. d. 13. q. 2. & plurium Scotist: contra Fabrum, Branc: Hiq: Scotistas; & contra Rie: Sylv: &c.

Probatur: ex Trid: Sess: 6. c. 14. dogmatizante; Sacramentum Pœnitentiæ, & consequenter Confessionem esse institutam, *pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur:* Et Sess: 14. c. 2. dicit idem Concilium; Ecclesiam non judicare interna (subintellige tam judicio Sacramentali Confessionis, quàm externo) nisi eos, qui per baptismi januam fuerint ipsam ingressi: quod probat ex Paulo dicente: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt:* ergo soli baptizati; non verò Infideles, qui extra Ecclesiam sunt; obligantur ad Confessionem.

2. Infideles non sunt capaces obligationis Confessionis.

Objicit Faber Scotista: Infideles obligantur ad totam seriem Legis Christi promulgatæ: ergo & ad hoc indivisibile præceptum Confessionis, in Lege Christi contentum. Respondeo: Dist: Ant: Infideles obligantur ad totam seriem Legis Christi, in quantùm sunt ejus capaces; Concedo Ant: in quantùm sunt ejus incapaces; Neg: Ant: Itaque Infideles sunt incapaces proximè Confessionis obeundæ; eò quòd per baptismi januam Ecclesiam non sint ingressi; ut apti redderentur percipiendi alia Sacramenta; qui ingressus requiritur omninò, ùt habetur cap: 1. *de Presbytero non baptizato.*

3. Infidelitas præponderat omnibus peccatis Fidelium. Nec exinde censendi sunt Pagani melioris Conditionis; ùt vult quidam Scotista: nam etsi defectu capacitatis sint exempti à Confessione: aliundè tamen deteriores fiunt, per peccatum continuatum Infidelitatis; quod præponderat singulis Fidelium peccatis, Confessioni subjiciendis.

4. Hæretici, Apostatæ, & degradati sunt obligati ad Confessionem. DICO secundò: Omnes viatores baptizati lapsi in mortale, etiam Hæretici, degradati, Apostatæ, imò & muti, & privati loquelâ obligantur ad Confessionem Sacramentalem. Ita Scotus 4. d. 14 q. un: & dist: 17. q. un: quoad mutos; & communis Theologorum.

Probatur *de Hæret: Apostatis, & degradatis*, quia tales nullò beneficiò Legis Divinæ, vel rationis eximuntur à Confessione Sacramentali: cùm simpliciter extra Ecclesiam & foris non censeantur esse; sed tantùm membra putrida, & mortificata corporis mystici Ecclesiæ: ergo &c. Confirmatur: peccata horum sunt æquè materia necessaria Pœnitentiæ Sacrmentalis à Christo institutæ: ergo sunt æquè obligati ad ea expianda per Confessionem.

5. Item Muti, & similes personæ. Probatur *de Mutis & aliis*: quia & hi possunt verè manifestare sua peccata per signa alia, à vocali Confessione distincta; puta per nutus, Scripturam & similia: ergo hi æquè comprehenduntur in obligatione Confessionis faciendæ, modò ipsis possibili.

6. Per Interpretem Confiteri nulla est obligatio. DICO tertiò: Nullo jure Divino resultat obligatio confitendi per Interpretem; quàmvis quis sic posset licitè confiteri. Est determinatè Doctoris 4. d. 17. q. un: suorum & RR. passim contra Lug: & Brauc: qui immeritò Scotum hìc facit problematicum.

Probatur: Confessio per interpretem est per se publica; licèt ex probitate interpretis maneat occulta: sed ad publicam Confessionem jure Divinò nemo obligatur: ergo &c. Probatur Min: ex Trident: Sess: 14. cap: 5. *Cæterum* (inquit) *quoad modum confitendi apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem; tum ob aliorum exemplum; tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit; non est tamen hoc Divinò præceptò mandatum; nec satis consultè humanâ, aliquâ lege præciperetur; ut delicta, præsertim secreta, publicâ essent Confessione aperienda*: Et cap: *utriusque sexus* dicit: *Teneatur solus confiteri sua peccata proprio Sacerdoti*: ergo nemo tenetur per interpretem jure Divinò.

7. Præterquam in articulo mortis. Nota tamen: si quis in mortis articulo dubius foret, de sufficienti Contritione super commissa mortalia; & interpres adesset; saltèm ex præcepto Juris naturæ teneretur per interpretem confiteri, etiam cum famæ dispendio. Ratio est: quia Lex Charitatis erga seipsum, & in ordine ad salutem consequendam, tunc suadet talem Confessionem; quæ præponderat dispendio famæ, & jacturæ bonorum omnium temporalium; ùt aptè notat Amicus, & Diana tom: 2. Resol: Moral: tract: 4. resol: 129.

QUÆSTIO III.

Quo Tempore, Jure Divino, & Ecclesiastico Fideles teneantur ad Confessionem faciendam?

1. Volens communicare teneatur priùs ad Confessionem. NOta primò: Per accidens quemvis teneri Jure Divino ad Confessionem Sacramentalem præmittendã, dum vult communicare; juxta illud D. Pauli: *Probet autem seipsum homo* (quam probationem Ecclesia in Trident: Sess: 13. c. 7. vult fieri per Confessionem) *Et sic de pane illo edat, &c.* sed quæritur, quando per se obligat Confessio Sacramentalis?

2. Constitutus in articulo, vel periculo mortis, obligatur Jure Divinò ad Confessionem. DICO primò: In quovis mortis articulo, & morali periculo mortis adest obligatio faciendi Confessionem, si mortalia adsint. Ita Scotus 4. d. 17. q. un: & cum eo communis Theologorum.

Probatur: in his casibus quivis tenetur procurare suam salutem viâ securiori: sed securior est per Confessionem Sacramentalem: ergo &c. Maj: patet ex lege Charitatis erga se; vi cujus quivis tenetur suam salutem operari, dum est in periculo casûs: Min: probatur: de Contritione sua justificante quivis rationabiliter potest esse dubius; an ad debitam mensuram, & sufficientiam hìc & nunc succrescat? cùm multa difficilia ad eam requirantur; ùt patet ex Trid: Sess: 6. cap: 6. & dictis suprà, de Contritione: ergo &c.

3. Quod sit censendū periculum mortis. Nota autem: periculum morale mortis censeri, omnem diutinam navigationem, naufragium, conflictum in bello mortali, iter per loca infesta, partum difficilem fœminarum, & similia.

4. Jure Divinò extra articulum mortis Fi- DICO secundò: Etiam extra mortis articulum, & morale periculum, obligat Confessio de Jure Divino. Ita communior, contra Dur: Palud: Lug: &c.

Probatur: Contritio remissiva peccati

deles obligantur ad Confessionem.

de Jure Divino, ùt supra dist: 8. q. 2. docui, aliquoties extra mortis periculum, & morale periculum obligat: ergo & Confessio; quia pariter remittuntur peccata.

Probatur ex Trid: Sess: 14. c. 5. dicente: *Neque enim per Lateranense Conc: Ecclesia statuit, ut Christi Fideles confiteantur, quod Jure Divino necessarium, & institutum esse intellexerat*: quibus verbis Confessio non restringitur tantùm ad articulum mortis, vel morale ejus periculum: ergo extra hos duos casus Confessio adhuc obligat per se de Jure Divino.

5. *Non tamen statim, ac commissum est peccatum.*

DICO tertiò: Non tamen statim post commissum mortale peccatum, hæc obligatio Confessionis de Jure Divino debet adimpleri. Ita Mast: &c.

Probatur iisdem fundamentis, quibus suprà dist: 8. q. 2. ostendi; non debere statim adimpleri obligationem Contritionis Pœnitentialis post commissum peccatum mortale; quæ pariter possunt applicari præsenti materiæ Confessionis: ergo &c. Confirmatur: Ecclesia non potest Juris Divini obligationem retardare; unde si immediatè post commissum peccatum deberet impleri obligatio confitendi, errâsset Ecclesia, talem obligationem differendo; & dilationem concedendo ad integrum annum: ergo &c.

6. *Etsi peccati oblivio subsecutura putaretur.*

Hoc Argumento etiam suadetur: in casu illo, quo probabiliter succederet oblivio commissi peccati, peccatorem non statim teneri Jure Divinò ad Confessionem: aliàs namque Ecclesia malè concessisset anni integri lapsum, pro faciendo Confessione.

7. *Est Præceptum Ecclesiæ de annua Confessione.*

DICO quartò: Jure Ecclesiasticò pro quolibet Christiano, in mortale lapso, statuitur obligatio, semel in Anno confitendi. Est communis Cathol: Doctorum.

Probatur ex determinatione Conc: Lateran: in cap: *Omnis utriusq; sexûs*; ubi dicitur: *Omnis utriusq; sexûs Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltèm semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi Pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere.* Idem statuit Trident: Sess: 14 c. 5.

8. *Quid operentur illa verba Ecclesiæ semel in anno?*

DICO quintò: Per illa verba *semel in anno*, non determinatur ulla certa anni pars pro Confessione. Unde quovis anni tempore huic præcepto satisfit. Ita habet communis Theologorum, contra Med: & Sotum, existimantes obligare determinatè circa Pascha.

Probatur: cap: cit: Conc: Lateranensis solùm præcipit annuam Confessionem, abstrahendo ab hac, vel illa temporis differentia: ergo quovis anni tempore huic præcepto Ecclesiastico satisfit. Consequentia tenet; satisfit præcepto Ecclesiastico præcipienti auditionem Missæ die Dominico, quâcunque horâ Dominicæ auscultetur Missa: ergo à pari hic.

9. *Trid: de quadragesimali Confessione exponitur.*

Objicies: Trid: cit: ait: *Jam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum Fidelium fructu, observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, & maximè acceptabili tempore quadragesimæ; quem morem hæc S. Synodus maximè probat, & amplectitur*; ergo determinatur tempus quadragesimæ annuæ Confessioni. Respondeo Neg. Consequentiam: citatis enim verbis solùm specificatur tempus magis congruum Confessionis annuæ, propter faciendam Communionem Paschalem: non verò proponitur præceptum, cadens super tempus Quadragesimæ vel Paschale.

9. *Qualiter sit accipiendus annus specificatus in Ecclesiæ Præcepto?*

Nota deinde circa ly *annos discretionis*, quæ dixi suprà dist: 4. q. 3. 1. n. 10. Et circa ly *semel in anno* observa, annum non esse computandum calculo Mathematico, de momento in momentum: sed moraliter; ita ut notabiliter annus naturalis non excedatur.

10. *Sacrilegè confitens non adimplet Legem Ecclesiasticam.*

DICO sextò: Sacrilegâ, & invalidâ Confessione non adimpletur obligatio annuæ Confessionis. Est communis DD:

Probatur primò: ex Conc: Lateran: præceptum est, ut fiat Confessio fidelis; unde dicit, *fideliter confiteatur*: sed sacrilega, & invalida non est fidelis: ergo &c.

Probatur secundò: Præceptum Confessionis annuæ petit fieri validum Sacramentum circa pœnitentem in ordine ad reconciliandum DEUM offensum, & causandam remissionem peccatorum pœnitentis: hôc enim fine est instituta: sed quando Confessio est sacrilega, & invalida, non est validum Sacramentum: ergo per eam non impletur obligatio annuæ Confessionis.

11. *Alexandri Papæ VII. Authoritas pro eodem dicto.*

Probatur tertiò: Quia Alexander VII. inter prohibitas propositiones anno 1665. hanc decimam quartam in ordine prohibuit: *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*: ergo &c.

QUÆSTIO IV.

De Conditionibus bonæ Confessionis & Circumstantiis speciem mutantibus; & tantùm Aggravantibus.

1. *Adducuntur Condi-*

NOta primò: Conditiones modificantes legitimam Confessionem, sequentibus versibus exprimi;

S 2 Sit

tiones debita Confessionis.

Sit simplex, humilis, Confessio, Pura, Fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Elucido breviter singula: dicitur *Simplex*, hoc est prolata sinè superfluis verbis. *Humilis*, id est, signis exterioribus, subjectionem testantibus, puta genuflexione, dejectione capitis facta: &c. *Pura*, id est, non ad pravum finem relata. *Fidelis*, id est, sinè dolo, aut deceptione enunciata. *Frequens*, id est, non nimiùm procrastinata. *Nuda*, id est, non peripheriis, & tropis Rhetoricis nimiùm phalerata. *Discreta*, id est, non verbis exprimentibus carnales, & impudicas nimiùm circumstantias, non necessariò aperiendas, prolata. *Libens*, id est, non metu pœnarum extorta, *Verecunda*, id est, peccati turpitudinem erubescens. *Integra*, *Secreta* de his infrà. *Lachrymabilis*, id est dolorosa, & procedens ex Contritione, vel Attritione. *Accelerata*, hoc est, statim facta, occurrente primâ commoditate confitendi. *Fortis*, id est, nihil ex pudore, vel timore omittens. *Accusans*, id est, non quærens excusationes in enarratione peccatorum. *Parere parata*, scilicet instructionibus, & mandatis rationabilibus Confessarii acceptandis.

2. *Exprimuntur Circumstantia Confessionis.*

Nota secundò: Septem esse Circumstantias afficientes Confessionem Sacramentalem, hôc versu comprehensas:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Harum exactam explicationem, vide in Tractatu meo de Actibus Humanis.

3. *Quadam sunt Circumstantia speciem mutantes.*

Nota tertiò: quòd quædam ex his Circumstantiis, licèt ad substantiam actûs moralis non spectent; mutent tamen ejus speciem; dum actum, vel de specie venialis peccati transferunt ad speciem mortalis; vel de una specie peccati mortalis, ad speciem alterius mortalis: Exempli gratiâ; in Ecclesia furari; actum carnalem consummare cum conjungata: ubi furtum simplex fit sacrilegium; & fornicatio fit adulterium.

4. *Quadam tantum aggravantes.*

Quædam verò non mutant speciem; sed tantùm aggravant intra eandem speciem: si v. g. in actu morali sit major intensio, passio, conatus, vel in objecto quantitas major &c. unde gravius erit furtum 1000. aureorum, quàm 2.

5. *Quadam nec*

Quædam tandem nec mutant speciem; nec aggravant: v. g. occisio facta baculò, vel ferrò: Et hæ in omnium sententia non sunt necessariò confitendæ. Sed quæstio est de aliis.

neutrum prastantes.

6. *Regula generalis ad cognoscendas Circumstantias speciem mutantes.*

Nota quartò: Regulam, ad dignoscendas Circumstantias speciem mutantes, ab aggravantibus sequentem, à Scoto assignari hic, dist: 17. q. uo: si Circumstantia ipsa sit præcepta; vel prohibita speciali præceptò; & ex distincto specie motivo, ab eo, quo præcipitur, aut prohibetur substantia actûs, est Circumstantia speciem mutans: v. g. fornicari est prohibitum præceptô Divinô continentiæ ex motivo virtutis continentiæ; sed fornicari cum Moniali est prohibitum & præceptô Religionis, & continentiæ simul.

7. *Circumstantia in infinitum aggravantes sunt explicanda in Confessione.*

Nota quintò: receptum esse apud omnes; Circumstantias aggravantes in infinitum, id est, quæ peccatum ex veniali faciunt mortale, esse explicandas in Confessione; licèt enim iste actus maneat in eadem specie, quæ ex objecto petitur; in ratione tamen propria peccati diversitatem acquirit specificam: v. g. surripuisti Sutori pauperrimo unicam acum, quâ victum sibi acquirebat; teneris hanc Circumstantiam aperire; quia furtum ex se veniale; hic fit mortale.

8. *Sicut & minuentes in infinitum.*

Nota sextò: Etiam Circumstantias minuentes in infinitum; hoc est de mortali facientes veniale, esse confitendas; v. g. admisisti cogitationem de fornicatione; sed absque plena deliberatione; teneris explicare deliberationem imperfectam, quæ à mortali excusat. Quæstio ergo est de Circumstantiis in eadem specie, & intra eundem gradum peccati mortalis notabiliter aggravantibus, an sint confitendæ necessariò?

9. *Circumstantia tantùm aggravantes non sunt necessariò per se confitenda.*

DICO primò: Circumstantiæ etiam notabiliter aggravantes in eadem specie per se non sunt necessariò confitendæ; benè tamen speciem mutantes. Secunda pars est communis DD: Prima verò est S. Bonav: S. Thomæ, Alberti Magni, Lugonis, Dianæ, Poncii, Hiribar: Bracn: & aliorum, contra Alensem Suar: Con: Amicum; & ex nostris Hiqu: Fabrum, Aretium, &c. Doctor Subtilis in hoc videtur esse problematicus.

10. *Benè tamen per accidens.*

Dixi autem *per se*; quia per accidens interdum necessariò sunt confitendæ: nempe si propter talem Circumstantiam peccatum habeat restitutionem, vel censuram annexam.

11. *Circumstantia speciem mutantes ne-*

Secunda pars docetur claré *in* Trid: Sess: 14. cap: 5. Et ratio est: *Quia*, ùt dicit Concilium cit: *sinè his Circumstantiis peccata ipsa, neque à pœnitentibus integrè exponuntur, nec*

cessariò sunt exprimenda in Confessione.

nec Judicibus innotescunt: & fieri nequit, ut de gravitate criminum rectè censeri possint, & pœnam, quam oportet, pro illis, Pœnitentibus imponere.

12. Rationes pro non necessaria Confessione Circumstantiarũ aggravantium.

Probatur prima pars: Nou est imponeuda obligatio, & quidem tam onerosa, qualis est ista; oisi coostet de lege, eam imponente: sed de uulla lege coustat, imponente uecessariò Confessionem Circumstantiarum aggravautium: ergo &c. Maj: est certa: Prohatur Min: quia neque ex Saera Scriptura; neque ex Ecclesia, cujus est jos Divinum interpretari, colligitur hujusmodi lex: ergo &c.

Confirmatur: Trident: citatô locô exactè hujus Sacrameuti institntiouem declarat; & quæ ad obligationem Confessionis pertinent: & tamen harum Circumstantiarum non meminit; sed obligationem limitat, & restringit ad numerum peccatorum, & Circumstantias speciem mutantes; atque adeò tacitè exclodit eas Circumstautias, quæ non mutant; quales sout aggravantes: in doctrinalibus autem, sive dogmaticis limitatio doctriuæ, & restrictio ad uuam partem, excludit aliam: sic iu Sacramento Eucharistiæ, quando ejos materia necessaria determinatur esse panis triticeus, eô ipsô exclodi-tor quiscunque alius pauis ex alio graoo coufectûs: ergo & à pari hìc. Et licèt hoc putetur Argumeutum ab Authoritate Negativa ductum; quod aliàs nou dicitur concludere; tameu uon est tantùm ab Authoritate Negativa; sed etiam positiva: quia Concilium locô cit: positivè describit omnia, quæ ad necessitatem Confessiouis pertiuent; ac proinde cùm non faciat mentiouem de his Circumstantiis, positivè eas excludit in doctrinalihus.

13. Sacerdos sufficiens Judicium format secundùm mentem Trid: excognitis solis speciebus, & numero peccatorum.

Objiciunt primò Adversarii; quòd Trideut: locô cit: eam postulet integritatem, quà Coufessarius probè noverit causam, ut æqoas iojougat Pœnitentias: sed siuè Circumstantiis aggravautibus talis causæ, & facti, talis cognitio haberi nequit: ergo hæ quoque suut explicandæ. Respoudeo: si Argumeotum aliquid probaret; probaret, quòd etiam Circumstautiæ uotabiliter alleviantes essent confitendæ: quod tameu negant Adversarii; & benè quidem; quia hoc Sacrameotom est ad accusandum se; non ad excusandum: qualiter esset, si alleviautes, quibus se Pœnitens excusat, esseut necessariò confitendæ. In forma Neg: Min: & dico sufficere illud Sacerdotis Judicium, io quo species, & numeros peccatorum, & Circumstantiarum speciem mutantiũ coguoscuntur.

14. Jus Canonicum nõ imponit præceptũ confitendi Circumstantias aggravantes.

DICES: cap: *consideret, de Pœnit:* d. 5. plures Circumstantiæ, iu Coufessione aperieudæ nnmerantur, solùm aggravantes: ergo. Respoudeo: qoòd multa autiquitùs iu primitiva Ecclesia servabaotur ex servore, & cousilio; ad quod uou teuebaotur ex præcepto: ùt patet ex Pœuitentia, quæ his imponebatur, qui die Dominico uxorem cognovissent: Et hoc seusu etiam intelligendum est citatom cap:

15. Quoddam fundamentum Adversariorum contra Circumstantias aggravantes adducitur.

Objiciuut secoudò: defactò sunt aliqua peccata, quæ non differuot specie; sed solùm secundùm magis & minùs, ac proinde solùm secundòm Circumstautias aggravàntes; quæ tameu ex obligatione snnt confiteudæ: ergo. Proh: Ant: primò iu gradibos Consangninitatis, vel affinitatis debet coufiteri, au iucestus fuerit cum Matre, vel sorore, vel affine: ergn &c. Secundò: frangens jejuuium, comedendo carnes facit peccatum ejusdem speciëi cum illo, quod committitor, comedendo sæpè iu die jejunii pisces; & tameu Circumstantia de carnium comestione debet necessariò confiteri: ergo &c.

16. Cui Respondetur.

Respoudeo Neg: Ant: ad primam probationem Nego Assumptom: probabilior enim est opiuio asserens, diversitatem graduum coguationis variare species incestùs; & sub eodem genere incestûs plures esse species; diversis euim præceptis, & prohibitionibus snbjacent. Ad secundum dico: illas duas comestiones esse duo peccata specie distincta: quia similiter contra diversa præcepta sout: ùt enim Diana notat cum aliis Summistis, lieèt præceptum abstiuendi à carnibus includatur, in præcepto jejuuii: præceptum tamen de nou edeudis caruibus nou inclndit præceptum jejunii: nam pueri aute anuum 21. non teueutur ad jejuniom; teuentur tameu à carnibus abstinere.

17. Alia item ratio Adversariorum diluitur.

Objiciunt tertiò: Potest peccatnm uuum esse ita inteusum, ut æquivaleat duobus; v. g. voluutas occidendi, per horam coutinuata, æquivalet duobus homicidiis: ergo talis Circumstautia durationis aggravans est confitenda uoo minùs, quàm numerus ille binarios esset confiteudus. Respoudeo: Ant: esse verum in genere physico; non tamen in geoere moris; quia licèt quoàd gradus, & partes æqualia essent; non ita tameu se res habet in foro Pœnitentiali; in quo uou attenditur iutensio, vel duratio actûs; sed species & materia, seu objectum vetitum. Et est iostantia manifesta; quia etiam peccatum durans per duo instaotia tantûm, æquivalet: duobus peccatis; quia in duobus instantibus pos-

ut Medicus cognoscat unum morbum; sed debet omnes morbos infirmi cognoscere: ergo nec in medicina animæ sat erit, cognoscere unum morbum peccati; sed debet cognoscere omnes.

10. *Integritas Formalis in Confessione sufficit.*

Dixi in Conclusione; *Integritate saltem formali*: quia materialis Integritas stante memoriâ humanâ labili, & obliviosâ, difficillima est; & quandoque moraliter impossibilis; unde sufficit Integritas formalis; quæ proinde etiam statuitur à Trid: Sess: 14. cap: 5. sequentibus: *Constat enim, nil aliud in Ecclesia à Pœnitentibus exigi; quàm ut postquam quisque diligenter se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & DEUM suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in universum eâdem Confessione inclusa esse intelliguntur:*

11. *Quæ excussio conscientiæ sufficiat in Confessione.*

Nota deinde per illa verba *diligenter excusserit*: eam tantùm diligentiam examinis conscientiæ secundùm Scotum 4. d. 17. q. un: requiri, & sufficere, quæ communiter ab hominibus solet adhiberi in rebus arduis, & seriis, quæ ipsis sunt cordi: attentâ etiam personarum qualitate, statu, aliisque Circumstantiis; nam majori discussione eget rudis, quàm sapiens: majori pariter qui rariùs, quàm qui crebriùs confitetur: item susiori, qui magnis, & intricatis officiis, ac negotiis occupatur; quàm qui similibus non intricatur.

12. *Oblita peccata in proxima Confessione debent subjici Clavibus.*

Nota secundò: qui peractâ Confessione cum Integritate formali, postea recordatur peccati obliti, tenetur illud in proxima Confessione explicare. Ratio est: quia fuit ab eo absolutus indirectè, & cum voto illud confitendi: sicut discurrit Trident: Sess: 14. c. 4. de dimisso peccato per prævіam Contritionem justificantem, in qua involvitur votum confitendi illud omissum peccatum.

13. *Omnis species, & numerus peccatorũ est allegandus.*

DICO quartò: Ut Confessio censeatur esse Integra, & valida, debent omnia mortalia, memoriæ occurrentia, subjici Clavibus, tam quoad speciem moralem; quàm quoad numerum. Est communis DD:

Probatur primò ex Trident: Sess: 14. cap: 5. & Can: 7. dogmatizante: necessarium esse confiteri omnia, & singula peccata; omnia in specie, & sigillatim: qui modus loquendi tam speciem, quàm numerum peccatorum omnium sub specie contentorum, explicandum esse ostendit: ergo &c.

Probatur secundò ratione: sinè hujusmodi explicatione specierum, & numeri peccatorum, Judex non debitè potest cognoscere gravitatem causæ Pœnitentis; neque debitam pro qualitate criminum injungere pœnam: ergo &c.

14. *Si verus numerus deprehendi nequeat, sufficit verosimilẽ exprimere*

Nota tertiò: si post diligens examen Pœnitenti non occurrat determinatus numerus peccatorum, ob frequentiam peccandi; vel labilitatem memoriæ; debet exprimere saltèm numerum probabilem, vel verosimilem, & quem ex prudenti æstimatione magis ad certum numerum appropinquare putat; addendo, ly *plus, vel minus*.

15. *Quòd si nec verosimilis conjici possit, sufficit exprimere statum personæ, & tempus quo vitiis inhæsit.*

Nota quartò: quòd si Pœnitens nec probabilem; nec verosimilem possit conjicere; sicut ordinariè contingit in inhonestis fœminis, in lupanari degentibus; in Concubinariis; Usurariis; Insidiatoribus viarum; qui quovis momento habent affectum ad peccandum: tales saltèm debent aperire statum, & Conditiones suas, significando tempus, v. g. annum, mensem, &c. quò in continua consuetudine peccandi perseverârunt.

QUÆSTIO VI.

Causæ excusantes à servanda Integritate materiali Confessionis afferuntur: Ubi etiam de repetitione invalidæ Confessionis.

1. *Oblivio naturalis excusat Pœnitentẽ non integrè confitentem.*

DICO primò: Oblivio naturalis excusat ab Integritate materiali Confessionis. Ita communis AA: apud Navarrum cap: 9. num: 12. Henriq: &c.

Probatur: DEUS non obligat creaturam rationalem ad impossibilia; sed est impossibile stante oblivione naturali confiteri omnia, & singula peccata: ergo &c.

2. *Item ignorantia, & error invincibilis.*

Nota; ad hanc causam excusantem, etiam reduci ignorantiam, & errorem invincibilem, quô quis arbitratur hoc, vel illud non esse peccatum; aut non confitendum. Imò probabilem credulitatem de jam factâ Confessione; vel hoc, aut illud peccatum, non esse mortale.

3. *Ob imminens Confessario grave damnum potest dimidiari Confessio.*

DICO secundò: Si Confessario ex Integra materialiter Confessione immineat grave damnum; potest Confessionis Integritas præteriri. Ita Scotus 4. d. 21. q. 2. Vasq: q. 91. Coninck, &c.

Probatur: Præceptum Confessionis Integræ materialiter est præceptum positivum,

vum, sed præcepta positiva non solent cum gravi damno obligare, ût observat Mastrius Disp: 5. *de Pœnit:* q. 18. num: 513. ergo &c.

4. *Specificantur damna gravia Confessarii.*

Nota autem primò: damna gravia, Confessario imminentia, æstimari sequentia: infectio contagiosa; mortis periculum; pertractio ad peccatum, oppressio loquelæ, & similia.

5. *Etiam ob imminens Pœnitenti grave damnum præteriti potest Integritas Confessionis.*

DICO tertiò: Excusat etiam ab Integritate materiali servanda imminens grave damnum ipsi Pœnitenti; sive spirituale sit; sive corporale. Est communis Doctorem.

Probatur: Præceptum positivum de Integritate Confessionis servanda non obligat cum gravi damno Confessarii: ergo neque cum gravi damno Pœnitentis à pari. Confirmatur ex communi doctrina, & sensu Doctorum, hoc asserentium: ergo &c.

6. *Numerantur damna gravia spiritualia Pœnitentis.*

Nota autem: damna gravia spiritualia Pœnitentis censeri sequentia; si ex Confessione Integra materialiter, timeretur rationabiliter, non securam absolutionem, ob incendium, naufragium, vel morbum fatalem; Item si timeretur verè revelatio peccati per Confessarium hunc; aut sollicitatio Confessarii ad peccatum; aut relapsus in antiqua peccata, si nimiùm examini, & explicationi inhæreat: & similia.

7. *Damna gravia corporalia Pœnitentis.*

Nota secundò: damna gravia corporalia Pœnitentis, excusantia ab Integra Confessione æstimari sequentia: timor mortis, vel morbi contagiosi, si diutiùs moram trahat apud Confessarium; persecutio, vel odium futurum Confessarii; subtractio sustentationis: & similia.

8. *Impotens physicè ad narranda peccata excusatur à servanda Integritate Confessionis.*

DICO quartò: quando subest physica impotentia ad explicanda singula peccata, potest truncari Integritas materialis Confessionis. Est communis apud Casuistas.

Probatur eòdem modò; quò priores duæ Conclusiones.

Nota; tunc subesse physicam impotentiam omnia confitendi; si instet mors; vel defectus usus rationis; loquelæ; vel adsit gravissimus dolor capitis. Deinde Sacerdos si non calleat idioma usitatum Pœnitentis; si plures sint simul in navi naufragante, qui omnes volunt confiteri; & similia.

9. *Quæ sit æstimanda physica impotentia?*

10. *Concursus confitentiũ non est una ex causis excu-*

Nota: magnum concursum Pœnitentium, se prementium circa Confessiones, non censeri physicam impotentiam, excusantem ab Integra Confessione; nec esse liberum Confessario, tunc Pœnitentes urgere ad se expediendum, cum mutilatis, & superficialibus Confessionibus: vel negligere necessarias interrogationes circa mortalia. Ratio est: quia Integritas Confessionis est de præcepto Christi, juxta Trid: ût docui priori quæst: à cujus observantia non videtur excusare Pœnitentium concursus; cùm talis damnum grave corporale, vel spirituale, non censeatur esse: ergo &c.

santibus ab Integritate Confessionis.

11. *Nec revelatio Complicis.*

DICO quintò: Revelatio complicis non est causa sufficiens excusans ab Integritate materiali Confessionis. Ita Scotus 4. d. 21, q. 2. S. Bonav: Palud: Dur: Suar: Lugo, Coninck, Casp: & RR: passim; contra Navar: Valent: Armillam, &c.

Probatur destruendo fundamentum oppositæ sententiæ, asserentis præceptum naturale esse, de non infamando proximo; quod tamen videretur sequi in nostra opinione: probatur inquam: revelare peccatum adulterii secreti personæ secretæ, v. g. Causidico ad capiendum utile consilium, & remedium; non est infamare proximũ: ergo nec peccatum complicis revelare Confessario prudenti; à paritate: & consequenter revelatio hæc non excusat ab obligatione præcepti postulantis Integritatem Confessionis. Confirmatur: Infamia ipsiusmet Pœnitentis, non excusat Pœnitentem ab Integritate Confessionis: ergo neque infamia complicis. Quod dico de Complice; ob easdem rationes debet dici, de non complice; quando ad salvandam Confessionis Integritatem, explicari debet aliquis secretus defectus proximi, v. g. percussisti Petrum, quem alii putabant Laicum esse; tu verò sciebas esse Clericum Apostatam

12. *Nec Ordinaria occupatio Prælati, dum reservata subjiciuntur Confessioni.*

DICO sextò: Nec ordinaria occupatio Prælati est sufficiens causa ad mutilandam Confessionem, in qua debent coram eo Reservata exponi. Ita Branc: noster, Faber, Mastrius, Victoria, Amicus, Bonac: & alii RR: plurimi.

Probatur: quia Integritas Confessionis est Juris Divini; quod semper implendum est; nisi urgentissimæ, & rationabiles necessitates oppositum suadeant; qualis non censetur esse occupatio Prælati; cum suas vices, à Reservatis absolvendi, facilè possit delegare alteri Confessario: ergo &c.

13. *Sola reservata debitè Confessus, non tenetur eadem iterum petere in*

Sed quid si Prælatus, vel habens Authoritatem delegatam, in casu urgentis necessitatis, v. g. pestis, naufragii, oppressionis loquelæ, licitè mutilaret materialem Integritatem Confessionis, absolvendo à solis Reservatis; debetne Pœnitens simul cum non Reservatis postea reconfiteri Reservata? Affirmat Cajet: Valent: & Soto. Ego cum

sequenti Integra Cõfessione. cum communi; & Con: Valent:Sylv:Mastrio, Fabro, &c. Respondeo: Negativè: Ratio est: quia super illa peccata, ut supponitur, in priori Confessione ritè Sacramentalis absolutio fuit data à superiore: ergo non debent reconfiteri: sicut quando Pœnitens ex naturali oblivione non est confessus aliquod mortale; non tenetur deinde reconfiteri cum hoc mortali alia, ritè priùs absoluta.

14. *Ex quibus capitibus oriatur Confessio invalida.* Circa repetitionem invalidæ Confessionis. Nota *primò*: Confessionem multiplici ratione posse esse invalidam; *Primò ex parte Pœnitentis*, si is non eliciat sufficientem dolorem per Contritionem, vel Attritionem; vel si non habeat propositum firmum se emendandi; si retineat affectum ad peccata; si confiteatur ob finem moraliter malum. *Secundò ex parte Confessarii*; si absolvens non habuit Jurisdictionem: si non habuit intentionem absolvendi; si non pronunciet essentialia formæ; si fuit suspensus, vel Excommunicatus; si ita fuit rudis, ut non sciverit distinguere inter mortalia, & venialia; & si ob somnum, vel distractionem nulla percepit mortalia.

15. *Invalida Confessio est repetenda.* DICO septimò: Si Confessio aliquando ex dictis capitibus fuit invalida; & hoc constet Pœnitenti; est necessariò repetenda. Est communis DD: sensus.

Probatur: Pœnitens tenetur omnia peccata clavibus subjicere: sed confessa invalidè non subjecit Clavibus sufficienter; ergo per repetitam Confessionem debet ea denuò subjicere.

16. *Etiã dum quis Sacerdoti confitetur, qui rationabiliter putabatur esse verus Confessarius, & non fuit.* Quæres: An Confessus Sacerdoti, qui ex communi inculpabili errore, vel titulo coloratu, putatur habere Jurisdictionem, & non habet eam à parte rei, teneatur repetere Confessionem, posteaquam innotuit error? Respondet Bonacinna Negativè: eò quòd Ecclesia censeatur tunc supplere defectum; vel potius veram Jurisdictionem ei concedere. Ego putarem multò tutiùs esse detecto errore, Confessionem repetere.

17. *Confessus distracto Confessario qualiter tenetur repetere Confessionem.* Quæres secundò: An Confessus Sacerdoti ita distracto, ut aliqua mortalia perceperit, aliqua non, teneatur repetere Confessionem totam, si Pœnitenti hoc deinde constet? Respondeo cum Layman; Henriq: &c. Pœnitentem teneri repetere sola mortalia, non percepta. Ratio est: quia uterque bonâ fide processit: & reliqua peccata sunt sufficienter subjecta clavibus. Idem judico dicendum in casu, quo Confessarius hic, & nunc, etiamsi ex ignorantia, aliàs culpata, resolveret aliquod peccatum Pœnitentis, quod verè est mortale, & reservatum, non esse tale. Tenetur tamen Confessarius, si commodè potest, postquam error innotuit, monere Pœnitentem, ut peccatum illud denuò confiteatur.

18. *Auctor praescribit remedium scrupulosis circa defectus Confessionum.* Nota tandem: Ad sedandos omnes scrupulos ex his, & similibus Confessionibus ortos, tutissimum fore ac saluberrimum, frequentiùs generales instituere Confessiones apud Confessarios prudentes, bonos, ac circumspectos; virtute quarum suppleantur omnes defectus in prioribus Confessionibus commissi, tam ex parte Confessarii, quàm Pœnitentis.

DISTINCTIO XI.
DE
MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIÆ.

QUÆSTIO I.
Quis sit legitimus, & Ordinarius Minister Sacramenti Pœnitentiæ?

1. *Quid Clavis Jurisdictionis & Scientiæ?* NOta primò: Ut hoc Sacramentum ritè peragatur; requiritur in ejus Ministro potestas duplex, quæ vocantur Claves à DD: & Scoto 4. d. 19. q. un. Prima est *Clavis Ordinis Jurisdictionis*, virtute hujus potest sententiare reum in foro Pœnitentiæ, absolvendo aut ligando: altera est *Clavis Scientiæ*; quæ quidem non est actualis aliqua scientia; sed est Authoritas cognoscendi in causa rei Pœnitentis, & confitentis; etsi requirat scientiam actualem concomitantem.

Et rectè hæ duæ Claves hic asseruntur:

nam ex Trident: Sess: 14. cap: 5. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum Judicii; ad quod concurrit Confessio rei, ad informationem Judicis; & inquisitio requisita ex parte Judicis de materia, quam debet judicare; & sententia Judicis; informatio, & inquisitio habetur hic per Clavem scientiæ; sententia verò per Clavim Jurisdictionis: ergo &c.

2. *Solus Sacerdos est legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister.*

DICO primò: Clavis absolvendi à peccatis est in solo vero Sacerdote, qui proinde solus est legitimus Minister Sacramenti Pœnitentiæ. Ita communis Theologorum, & Canonistarum.

Probatur primò: Solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus dicitur, Matth: 16. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque solveritis, &c.* Et Joan: 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. ergo &c.

Probatur secundò: ex definitione Florent: Constant: & Trid: Sess: 14. Can: 6. & 10. ubi dicitur; *Si quis dixerit; non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis; sed omnibus, & singulis Christi fidelibus esse dictum, quæcunque ligaveritis super terram, &c. Anathema sit.*

Probatur tertiò congruentiâ: In Lege Mosaica soli Sacerdotes erant Ministri dijudicandæ lepræ corporalis, in quo adumbrata fuit hæc Sacramentalis absolutio à lepra spirituali, teste D. Hieron: in c. 16. Matth. ut observat Scotus 4. dist: 17. q: 1. ergo in Lege Evangelica pariter soli Sacerdotes erunt Ministri Pœnitentiæ Sacramentalis.

3. *Quomodo olim corã Diaconis solebant Confessiones fieri.*

Objicies: cap: *Fures, de Furtis* dicitur: *Fures, & latrones, si comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, Communionem eis non negamus*: ergo etiam in Diaconis est absolutionis Clavis. Respondeo: Neg: Consequentiam: & dico; olim fuisse consuetudinem; ut absente Sacerdote, Diaconus communicaret: ut itaque licitè communicaret furem, & latronem, debebat ei confiteri, id est, Contritionem elicere; non per Confessionem Sacramentalem; sed signa doloris edere ante Communionem; quæ sunt quædam Confessio publica; non Sacramentalis.

4. *Sacerdos absolvens debet habere Jurisdictionē.*

DICO secundò: Non tamen omnes Sacerdotes semper possunt absolvere à peccatis; sed requiritur in absolvente jurisdictio. Ita communis Theologorum, & Canonist:

Probatur: ex determinatione Florent: *in Decreto de Armenis*: ubi dicitur: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, habens Authoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris.* Et Trid: Sess: 14. cap: 7. inquit: *Quoniam natura, & ratio judicii illud exposcit; ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia DEI fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet Jurisdictionem*: ergo &c.

5. *Vi Ordinis acquiritur Jurisdictio inchoata tantùm.*

Objicies: Sacerdos in ordinatione accipit potestatem remittendi peccata: dicitur enim in forma Ordinationis: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* ergo ad quid Jurisdictio? Respondeo: Sacerdotem in ordinatione sua accipere tantùm potestatem inchoatam, & remotam absolvendi, & in actu primo à Christo, postea complendam in actu secundo à Vicario Christi, per Jurisdictionem. Unde

6. *Explicatur quidditas Jurisdictionis, tam Ordinariæ; quàm delegatæ.*

Nota Jurisdictionem, quæ complet potestatem Ordinis, esse quandam deputationem moralem extrinsecam, factam ab Ecclesia Sacerdoti, dum ipsi subditos assignat. Et hæc est duplex. Ordinaria, & delegata. *Ordinaria* est, quæ alicui competit ratione muneris, Officii, sive beneficii, ad quod assumitur ab habente potestatem. *Delegata*, quæ confertur alicui ex commissione, qui ordinariam habet Jurisdictionem.

7. *Recensentur personæ, gaudentes ordinariâ Jurisdictione.*

Nota secundò: Ordinariam reperiri *Primò* eminentissimè in summo Pontifice, qui eam accipit à Christo immediatè; licèt enim eligatur à cœtu Cardinalium; tamen neque ipsi, neque Ecclesia ipsi tribuit Jurisdictionem; sed Cardinales tantùm designant personam; & Christus immediatè confert munus, ut habetur in cap: *in nomine Domini*; dist: 23. & deducitur ex illis verbis Joan: 21. *Pasce oves meas*: ad hunc reducit Filliuc: & alii, summum Pœnitentiarum, & Legatum à Latere. *Secundò*: residet in Episcopis, respectivè ad suam Diœcesim: ad eos reducuntur Vicarii Generales Episcop: Generales Ordinum, & Provinciales Provinciarum. *Tertiè*: in Parochis, respectu suorum Parochianorum. Huc reducuntur Coadjutor perpetuus: & superiores Locales Monasteriorum.

8. *Certi casus, in quibus simplex Sacerdos potest absolvere.*

Nota tertiò: Simplicem quemlibet Sacerdotem in tribus casibus obtinere ex perpetua Ecclesiæ consuetudine Jurisdictionem sine alia concessione: *Primò*: super peccata Venialia tantùm. *Secundò*: etiam super mortalia, à quibus Pœnitens antea legitimè est absolutus. *Tertiò*: in mortis

arti-

articulo super omnia omnino peccata, ut habet Tridentinum Sess: 14. cap: 7. Et juxta Med: Sylv: Dian: Fabr: &c. etiam in casu necessitatis urgentis, & gravis, v. g. in bello, longa navigatione, partu, & similibus, in quibus probabiliter timetur mors. Quod totum fundatur in Jure, ubi S. Canones pro eodem accipiunt, articulum mortis, ut habetur, cap: *si quis suadente*: & alibi.

9. *In articulo mortis nequit simplex Sacerdos absolvere à mortalibus, præsente Confessario approbato.* Notant autem Valentia Con: Molina, Avila, Bonac: &c. contra Dianam, Lesdesm: Log: &c. quòd simplex Sacerdos in articulo, vel periculo mortis, non censeatur habere Jurisdictionem, ad debitè absolvendum, si alius Sacerdos Confessarius sit præsens. Ratio petitur ex cap: *Auretius*, & cap: *Presbyteri*. Nec Tridentinum Sess: 14. cap: 7. concedens, absque ulla exceptione omnibus Sacerdotibus Jurisdictionem absolvendi in articulo mortis, contradicit; ut volunt Adversarii: nam expressè se declarat loco citato, se confirmare solùm id, quod in Ecclesia antiquitùs fuit custoditum: fuit autem per antiqua Ecclesiæ jura citata custoditum; ut simplex Sacerdos præsente Confessario non haberet Jurisdictionem ad absolvendum: ergo &c.

10. *Qua de causa non quivis Sacerdos eòipsò fiat Confessarius?* Quæres: cur Jura ordinaverint, ut vi Ordinationis non conferatur eò ipsò Jurisdictio Sacerdotibus singulis? Respondeo: ut servetur subordinatio, & Hierarchicus Ordo Ecclesiæ, magisque qualificati Præsbyteri in animarum Judices deputarentur; quales non sunt eòipsò omnes, quòd possint sacrificare. Ratio tandem à priori, est Christi institutio, quæ ex SS: Conciliorum Definitionibus, nobis innotescit.

QUÆSTIO II.

De Ministro Delegato Pœnitentiæ; & Personis potentibus delegare.

1. *Quis sit Delegatus Minister Sacramenti Pœnitentiæ?* DICO primò: Minister Delegatus hujus Sacramenti est omnis ille Sacerdos, cui potestas audiendi Confessiones horum Fidelium concessa est ab Episcopo, Papa, vel simili, habente ordinariam potestatem. Ita communis DD:

Probatur: in aliis causis Minister, seu Judex Delegatus censetur esse, cui ab Ordinario conceditur facultas procedendi in causis commissis: ergo etiam Delegatus Minister Sacramenti Pœnitentiæ censebitur ille, cui sit absolvendi potestas, ab habente ordinariam potestatem.

2. *Quinam possint delegare?* DICO secundò: Omnes, qui habent Jurisdictionem ordinariam, possunt illam delegare, tam directè, quàm indirectè. Est communis apud Doctores.

Probatur per cap: *inter cætera*, *de officio Judicis Ordinarii*. Et cap: *Omnis utriusque*, *de Pænit: & remiss:* Directè autem delegatur Jurisdictio; quando Papa, vel Episcopus alicui committit Authoritatem suam audiendi Confessiones. Indirectè, & ex parte Pœnitentis, quando alicui conceditur facultas eligendi Confessarium.

3. *Delegatus ad Confessiones nequit subdelegare pro aliis.* DICO tertiò: Qui habet tantùm delegatam potestatem Confessiones audiendi, non potest alteri subdelegare.

Probatur ex L. *de Jurisdictione omnium Judicum*. L. *à Judice*. C. *de Judiciis* cap: *cùm causam*, *de appellat*: In quibus omnibus locis dicitur, delegatum non posse subdelegare. Et ratio est; quia Delegatus non potest agere ultra id, quod ipsi concessum est: conceditur autem ipsi tantùm facultas utendi Jurisdictione; non item alteri committendi; quia hæ duæ facultates sunt diversæ: ergo &c. Ita Abbas in cap: *cùm Bertholdus* n. 2. *de sent: & re judicata*.

4. *Nisi hoc ei Ordinarius permittat.* Nota tamen: si Ordinarius permittat in instrumento delegationis subdelegationem, potest Delegatus ipsius Ordinarii nomine subdelegare, sicut ex Bartolo, tradit Abbas, Sanchez, & alii Doctores.

5. *Vel, nisi sit Delegatus Supremi Principis.* Speciale etiam habent Privilegium Delegati Principis, puta Papæ, Imperatoris, & Regis, ut causam sibi demandatum alteri possint subdelegare, si partes consentiant. Habetur L. *à Judice*. C. *de Judiciis*. cap: *cùm causam*, *de appellat*: cap: *quamvis*, &c.

6. *Aut sit ad Universitatem causarum Delegatus.* Item: quando alicui demandata est universitas causarum; ita ut quasi ordinario munere fungatur in judicandis causis omnibus certi generis; aut in certo loco; potest alteri potestatem suam subdelegare; sicut notat Glossa in L. *à Judice* C. *de Judiciis*, versu. *Non habet*; Sanchez, &c Duobus autem modis demandatur alicui Jurisdictio ad universitatem causarum, ut eam interdum possit subdelegare. *Primò*: si alicui delegetur Jurisdictio, ut fit in Privilegium perpetuum ratione dignitatis, aut officii sui; tunc enim censetur quasi ordinaria, secundùm Glossam in cap: ult: verso, *casibus*, *de Officio Ordina*: Navarrum, &c. *Secundò*: si alicui committatur Vicarium Officium, cui Jurisdictio est annexa, v. g. officium Parochi, qui est absens,

sens, vel noudum Sacerdos. Ita Henriq: Sanchez, Con: &c.

7. *Corollariū primum prioris doctrinæ.* Et ex his resolvit Rodriquez, & Beja; quòd, cùm potestas ad dispensandum in irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus concessa Episcopis ex Tridi Sess: 24. cap: 6. *de Reform:* sit quasi ordinaria, eam possint subdelegare. Item si Provincialis Guardiano, vel Episcopus Parocho committat facultatem absolvendi subditos à casibus reservatis; quòd possit talis Guardianus, vel Parochus executionem talis absolutionis alteri committere in certo casu, vel ad certam personam, vel pro tali vice.

8. *Corollariū secundum.* Ex Conclusione tertiò infertur: neque Regulares, quibus à Papa universim demandata est facultas Fideles omnes absolvendi à peccatis, & Censuris, neque Parochorum cooperatores, quibus generatim etiam demandata est facultas Parochianorum Confessiones audiendi; Matrimoniis eorum assistendi &c. alteri talem facultatem subdelegare posse. Ratio est; quia ipsis simplex, & nuda Jurisdictio in ordine ad certum exercitium, & non ad totum officium committitur; ùt docet Con: & deducitur ex cap: *ult:* §. ult: *de Offic: Jud: Deleg:* Potest tamen ordinarius, v. g: Parochus specialiter committere cooperatori, tanquam suo Delegato, ut alterum substituere queat, nomine & authoritate delegantis. Ita Glossa, & Doctores communiter.

9. *Ut obtineatur Juris dictio requiruntur in concedente aliqua.* DICO quartò: Ad Jurisdictionem, in foro Pœnitentiæ alteri demandandam, requiritur actualis consensus delegantis, signo aliquo manifestatus; unde non sufficit, quòd Ordinarius posteà absolutionem ratam habebit: similiter etiam non sufficit præsumptio consensûs Ordinarii præsentis; nisi accedat aliquod signum manifestativum ejus. Ita Con: Laym: Nav: Sanchez, Medina, &c.

10. *Et quidem primò ejus consensus actualis.* Probatur *de actuali Consensu*; quia delegare Jurisdictionem, est actus voluntatis ejus hominis; qui delegat: ergo ad hoc requiritur actualis consensus delegantis.

11. *Secundò signū manifestativum consensûs.* Probatur secunda pars: *de signo manifestante*; quia delegatio Jurisdictionis, sicut & aliæ concessiones, fieri debent modo humano, & sensibili, ut ab altero cognosci, & acceptari possit; ideóque non sufficit mera interna voluntas; sed debet manifestari verbo, scripto, vel facto: ergo &c.

12. *Nec sufficit ratihabitio subsequens absolutionem.* Probatur tertia pars: *de ratihabitione*: quia ratihabitio subsequens efficere non potest, ut absolutio antea data convaleat; quum valor Sacramentorum non pendet à futuro eventu contingente, qualis est ratihabitio futura: ergo &c.

13. *Delegatus ad reservata, & incidens in eadem, potest dare facultatem alteri se absolvendi ab eisdem.* DICO quintò: quando Pastor inferior à superiore, v. g. Parochus ab Episcopo, vel Guardianus, vel alius à Provinciali accepit generalem potestatem, seu licentiam absolvendi subditos à casibus reservatis, & posteà ipsemet incidat in reservatum, probabilius est opinio, quòd vi sui Privilegii alteri Confessario suo committere possit potestatem absolvendi se ipsum. Est communior DD:

Probatur; quia hæc potestas est quasi ordinaria, virtute Privilegii, & est potestas vicaria Ordinarii absentis, quæ proinde committi potest alteri; ùt docent Rodriq: Sanch: Laym: &c. Deinde, non decet Confessarium Privilegiatum esse deterioris conditionis, quàm illi sint, quos à reservatis potest absolvere: esset autem, si ipsemet non posset absolvi per facultatem à se commissam alteri: ergo.

14. *Delegatio ad actionē contentiosam expirat morte delegantis, si incepta non fuerit.* DICO sextò: Jurisdictio ab Ordinario alicui delegata, si sit specialis delegatio ad justitiam, vel Jurisdictionem contentiosam, expirat mortuo delegante; si res integra sit; id est; si Delegatus necdum uti cœpit Jurisdictione. Ita Casuistæ.

Probatur ex cap: *relatum, de officio Judicis delegati.* Et ratio est: quia Jurisdictio ad justitiam data, est mandatum, & non habet rationem gratiæ: mandatum autem expirat per mortem delegantis: ergo &c. Deinde Delegatus ad justitiam, gerit vices delegantis, ejusque personam repræsentat: juxta cap: *fanè*: Cùm ergo mortuo delegante, extinguatur ipsius Jurisdictio, etiam extinguitur in delegato: quia extincto jure Authoris, extinguitur jus acceptori. L. *lex vectigali*, ff. *de pignoribus*.

15. *Non item delegatio ad Confessiones audiendas; vel Censuras tollendas; nisi revocetur à successore.* DICO septimò: Jurisdictio in delegato ad Confessiones audiendas, vel absolvendum à reservatis (idem dic de aliis gratiis concessis, v. g. de dispensatione, absolutione à Censuris; de susceptione Ordinum) non expirat per mortem concedentis; nisi à successore ordinario revocetur. Ita Nav: Laym: Sanch: Henriq: Sà, Sayrus, &c.

Probatur: quia talis Jurisdictio, & potestas non habet rationem mandati; sed gratiæ, Privilegii, & beneficii; cujus vis proinde efficaciter acquiritur delegato; in eoque manet perpetuò; nisi revocetur: ergo &c.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Qualiter Religiosi sint Privilegiati Ministri, & Delegati ad Confessiones audiendas?

1. *Papa, tanquam supremum Ecclesiæ caput, potest dare Jurisdictionem cuicumque Sacerdoti, etiam Regulari, ad audiendas Confessiones sæcularium.*

SUppono hîc ex Tractatu de Fide; summum Pontificem Romanum habere omnimodam potestatem, & influxum in Ecclesiam universam, sicut caput in membra: sic enim eum nomine *Capitis Ecclesiæ Universalis* nominavit Concilium Calcedonense, in Epistola *ad Leonem*; & Synodus 6. act: 18. Ex quo sequitur: quòd independenter ab Episcopis, aliisque Ordinariis Locorum; imò contra eorum voluntatem possit in toto Orbe dare facultatem audiendi Confessiones sæcularium, ac ex consequenti ad hoc delegare Regulares. Et constat ex Clementina *Dudũ, de sepulturis*. Item in Extravag: Benedicti XI. *Inter cunctas, de Privilegiis*, &c. Et docet S. Thomas, Scotus, Richardus, S. Antoninus, Abbas, Nav: & RR: communiter, relati à Laym:

2. *Privilegia Regul: quoad audiendas Confessiones.*

DICO primò: Sacerdotes Minoritæ, & alii eorum Privilegiis participantes, de commissione, & delegatione Papæ, vel Legati Apostolici, vel Ordinarii Loci, possunt sinè Sacerdotum Parochialium licentia, & assensu liberè prædicare populis, Confessiones quorumcunque, & undecunque recurrentium, audire, absolvere Pœnitentes, ac congruentes Pœnitentias imponere. Ita Canonist: Reg:

Probatur: quia ita concessit Clemens IV. in Constitutione, quæ incipit: *Quidam temerè*, quæ extat in Bullar: Roderici tom: 1. pag: 33. Et Paulus IV.

3. *Confessi Regularibus satisfaciunt obligationi annuæ Confessionis.*

DICO secundò: Confessi Religiosis privilegiatis, quales sunt Minoritæ, & alii Mendicantes, satisfaciunt præcepto annuæ Confessionis. Ita iidem DD:

Probatur: quia ita habetur in Concilio Generali Lateranensi. V. sub Leone X. Ratio etiam est: quia Regulares à Papa acquirunt Jurisdictionem universalem in diversis Bullis; unde sunt delegati Pastores omnium Fidelium: ergo eis confessi; satisfaciunt annuæ Confessioni, tam benè, ac si proprio Parocho confiterentur.

4. *Regulares quovis tempore anni possunt excipere Confessiones saecularium.*

DICO tertiò: Prædicta Authoritas audiendi Confessiones, Confessariis Regularibus impertita, est libera, & sinè ulla limitatione temporis, non Paschalis, vel Paschalis; unde quovis anni die, possunt excipere Confessiones. Ita dicti AA:

Probatur ex Etravag: *super Cathedram*, in causa coram Bonifacio VIII. illius Extrav: anctore, inter Minores, & Prædicatores ex una parte; & Prælatos, ac Rectores, ex altera ventilata: quæ confirmata est à Clementina *Dudum*. Et à Joanne XXII. & Callixto III. per Bullam, *inter cætera*. Et novissimè à Paulo V. anno 1612. 11. Octobris. Et tandem à Clemente VIII. totum hoc in favorem Regularium fuit decisum.

5. *Et in quovis loco.*

DICO quartò: Regulares Mendicantes possunt audire Confessiones sæcularium, non tantùm in eorum Ecclesiis, & domibus; sed etiam extra domos, & Monasteria, & ubilibet. Ita DD: Reg:

Probatur ex Constitutione Pii V. *Etsi mendicantium*; in qua tria declarat Papa. *Primò*: quòd non comprehendantur Mendicantes sub Decreto Trident: Sess: 23. cap: 15. quasi oppositum statuente. *Secundò*: non posse Regulares prohiberi, quin intra, & extra domos suas, & Ecclesias, Confessiones audiant. *Tertiò*; concedit de novo facultatem ubilibet locorum Regularibus audiendi Confessiones sæcularium.

6. *Pœna asserentium, personas Regularibus confessas, teneri ad reconfessionem.*

DICO quintò; Parochi, sive alii temerè in populum evulgantes, quòd confitentes Regularibus, teneantur eadem peccata confessa eis, iterum proprio Sacerdoti confiteri, possunt puniri, ut suspecti de hæresi. Ita Brug: &c.

Probatur ex jure communi, in Extrav: Joannis XXII. quæ incipit, *Vas electionis, de Hæreticis*, ubi errorem Joannis à Poliaco Doctoris Parochi, oppositum Conclusionis sentientis, adhibitò Cardinalium, & Clarissimorum Theologorum consiliò, damnavit. Constat secundò: ex Bulla Sixti IV. quæ *Mare Magnum* Prædicatorum, Minorum, Augustin: & Carmelit: dicitur: Vide plura de his apud Canonistas Ordinum.

QUÆSTIO IV.

De Approbatione Confessariorum; maximè Regularium.

1. *Quid sit Approbatio?*

NOta primò: Approbationem esse authenticum testimonium, quo declaratur aliquis idoneus, cui munus audiendi Confessiones conceditur: hoc olim poterat dare etiam Parochi: sed modò Jure Trid: solus Papa, vel Episcopus, Sess: 23. c. 15. *de Reform:*

2. *Approba-*

DICO primò. Hæc Approbatio est ita necessaria ad audiendas Confessiones sæcularium

sens, vel nondum Sacerdos. Ita Henriq: Sanchez, Con: &c.

7. *Corollariũ primum prioris doctrinæ.* Et ex his resolvit Rodriquez, & Beja; quòd, cùm potestas ad dispensandum in irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus concessa Episcopis ex Trid: Sess: 24. cap: 6. *de Reform:* sit quasi ordinaria, eam possint subdelegare. Item si Provincialis Guardiano, vel Episcopus Parocho committat facultatem absolvendi subditos à casibus reservatis; quòd possit talis Guardianus, vel Parochus executionem talis absolutionis alteri committere in certo casu, vel ad certam personam, vel pro tali vice.

8. *Corollariũ secundum.* Ex Conclusione tertiò infertur: neque Regulares, quibus à Papa universim demandata est facultas Fideles omnes absolvendi à peccatis, & Censuris, neque Parochorum cooperatores, quibus generatim etiam demandata est facultas Parochianorum Confessiones audiendi; Matrimoniis eorum assistendi &c. alteri talem facultatem subdelegare posse. Ratio est; quia ipsis simplex, & nuda Jurisdictio in ordine ad certum exercitium, & non ad totum officium committitur; ùt docet Con: & deducitur ex cap: *ult:* §. ult: *de Offic: Jud: Deleg:* Potest tamen ordinarius, v. g: Parochus specialiter committere cooperatori, tanquam suo Delegato, ut alterum substituere queat, nomine & authoritate delegantis. Ita Glossa, & Doctores communiter.

9. *Ut obtineatur Jurisdictio requiruntur in concedente aliqua.* DICO quartò: Ad Jurisdictionem, in foro Pœnitentiæ alteri demandandam, requiritur actualis consensus delegantis, signo aliquo manifestatus; unde non sufficit, quòd Ordinarius posteà absolutionem ratam habebit: similiter etiam non sufficit præsumptio consensûs Ordinarii præsentis; nisi accedat aliquod signum manifestativum ejus. Ita Con: Laym: Nav: Sanchez, Medina, &c.

10. *Et quidem primò ejus consensus actualis.* Probatur *de actuali Consensu*; quia delegare Jurisdictionem, est actus voluntatis ejus hominis; qui delegat: ergo ad hoc requiritur actualis consensus delegantis.

11. *Secundò signis manifestativum consensûs.* Probatur secunda pars: *de signo manifestante*; quia delegatio Jurisdictionis, sicut & aliæ concessiones, fieri debent modo humano, & sensibili, ut ab altero cognosci, & acceptari possit; ideoque non sufficit mera interna voluntas; sed debet manifestari verbo, scripto, vel facto: ergo &c.

12. *Nec sufficit ratihabitio subsequens absolutionem.* Probatur tertia pars: *de ratihabitione*: quia ratihabitio subsequens efficere non potest, ut absolutio antea data convaleat; cùm valor Sacramentorum non pendeat à futuro eventu contingente, qualis est ratihabitio futura: ergo &c.

13. *Delegatus ad reservata, & incidens in eadem, potest dare facultatem alteri se absolvendi ab eisdem.* DICO quintò: quando Pastor inferior à superiore, v. g. Parochus ab Episcopo, vel Guardianus, vel alius à Provinciali accepit generalem potestatem, seu licentiam absolvendi subditos à casibus reservatis, & posteà ipsemet incidat in reservatum, probabilior est opinio, quòd vi sui Privilegii alteri Confessario suo committere possit potestatem absolvendi se ipsum. Est communior DD:

Probatur; quia hæc potestas est quasi ordinaria, virtute Privilegii, & est potestas vicaria Ordinarii absentis, quæ proinde committi potest alteri; ùt docent Rodriq: Sanch; Laym: &c. Deinde, non decet Confessarium Privilegiatum esse deterioris conditionis, quàm illi sint, quos à reservatis potest absolvere: esset autem, si ipsemet non posset absolvi per facultatem à se commissam alteri: ergo.

14. *Delegatio ad actionẽ contentiosam expirat morte delegantis, si incepta non fuerit.* DICO sextò: Jurisdictio ab Ordinario alicui delegata, si sit specialis delegatio ad justitiam, vel Jurisdictionem contentiosam, expirat mortuo delegante; si res integra sit; id est; si Delegatus necdum uti cœpit Jurisdictione. Ita Casuistæ.

Probatur ex cap: *relatum, de officio Judicis delegati.* Et ratio est: quia Jurisdictio ad justitiam data, est mandatum, & non habet rationem gratiæ: mandatum autem expirat per mortem delegantis: ergo &c. Deinde Delegatus ad justitiam, gerit vices delegantis, ejusque personam repræsentat: juxta cap: *sanè*: Cùm ergo mortuo delegante, extinguatur ipsius Jurisdictio, etiam extinguitur in delegato: quia extincto jure Authoris, extinguitur jus acceptori. L. *lex vectigali*, ff. *de pignoribus*.

15. *Non item delegatio ad Confessiones audiendas; vel Censuras tollendas; nisi revocetur à successore.* DICO septimò: Jurisdictio in delegato ad Confessiones audiendas, vel absolvendum à reservatis (idem dic de aliis gratiis concessis, v. g. de dispensatione, absolutione à Censuris; de susceptione Ordinum) non expirat per mortem concedentis; nisi à successore ordinario revocetur. Ita Nav: Laym: Sanch: Henriq: Sà, Sayrus, &c.

Probatur: quia talis Jurisdictio, & potestas non habet rationem mandati; sed gratiæ, Privilegii, & beneficii; cujus vis proinde efficaciter acquiritur delegato; in eoque manet perpetuò; nisi revocetur: ergo &c.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Qualiter Religiosi sint Privilegiati Ministri, & Delegati ad Confessiones audiendas?

1. Papa, tanquam supremum Ecclesiæ caput, potest dare Jurisdictionem cuicunque Sacerdoti, etiam Regulari, ad audiendas Confessiones sæcularium.

SUppono hìc ex Tractatu de Fide; summum Pontificem Romanum habere omnimodam potestatem, & influxum in Ecclesiam universam, sicut caput in membra: sic enim eum nomine *Capitis Ecclesiæ Universalis* nominavit Concilium Calcedonense, in Epistola *ad Leonem*; & Synodus 6. act: 18. Ex quo sequitur: quòd independenter ab Episcopis, aliisque Ordinariis Locorum; imò contra eorum voluntatem possit in toto Orbe dare facultatem audiendi Confessiones sæcularium, ac ex consequenti ad hoc delegare Regulares. Et constat ex Clementina *Dudù, de sepulturis.* Item in Extravag: Benedicti XI. *Inter cunctas, de Privilegiis*, &c. Et docet S. Thomas, Scotus, Richardus, S. Antoninus, Abbas, Nav: & RR: communiter, relati à Laym:

2. Privilegia Regul: quoad audiendas Confessiones.

DICO primò: Sacerdotes Minoritæ, & alii eorum Privilegiis participantes, de commissione, & delegatione Papæ, vel Legati Apostolici, vel Ordinarii Loci, possunt sine Sacerdotum Parochialium licentia, & assensu liberè prædicare populis, Confessiones quorumcunque, & undecunque recurrentium, audire, absolvere Pœnitentes, ac congruentes Pœnitentias imponere. Ita Canonist: Reg:

Probatur: quia ita concessit Clemens IV. in Constitutione, quæ incipit: *Quidam temerè*, quæ extat in Bullar: Ruderici tom: 1. pag: 33. Et Paulus IV.

3. Confessi Regularibus satisfaciunt obligationi annuæ Confessionis.

DICO secundò: Confessi Religiosis privilegiatis, quales sunt Minoritæ, & alii Mendicantes, satisfaciunt præcepto annuæ Confessionis. Ita iidem DD:

Probatur: quia ita habetur in Concilio Generali Lateranensi. V. sub Leone X. Ratio etiam est: quia Regulares à Papa acquirunt Jurisdictionem universalem in diversis Bullis; unde sunt delegati Pastores omnium Fidelium: ergo eis confessi; satisfaciunt annuæ Confessioni, tam benè, ac si proprio Parocho confiterentur.

4. Regulares quovis tempore anni possunt excipere Confessiones sæcularium.

DICO tertiò: Prædicta Authoritas audiendi Confessiones, Confessariis Regularibus impertita, est libera, & sine ulla limitatione temporis, non Paschalis, vel Paschalis; unde quovis anni die, possunt excipere Confessiones. Ita dicti AA:

Probatur ex Etravag: *super Cathedram*, in causa coram Bonifacio VIII. illius Extrav: auctore, inter Minores, & Prædicatores ex una parte; & Prælatos, ac Rectores, ex altera ventilata: quæ confirmata est à Clementina *Dudum.* Et à Joanne XXII. & Callixto III. per Bullam, *inter cætera.* Et novissimè à Paulo V. anno 1612. 11. Octobris. Et tandem à Clemente VIII. totum hoc in favorem Regularium fuit decisum.

5. Et in quovis loco.

DICO quartò: Regulares Mendicantes possunt audire Confessiones sæcularium, non tantùm in eorum Ecclesiis, & domibus; sed etiam extra domos, & Monasteria, & ubilibet. Ita DD: Reg:

Probatur ex Constitutione Pii V. *Etsi mendicantium*; in qua tria declarat Papa. *Primò*: quòd non comprehendantur Mendicantes sub Decreto Trident: Sess: 23. cap: 15. quasi oppositum statuente. *Secundò*: non posse Regulares prohiberi, quin intra, & extra domos suas, & Ecclesias, Confessiones audiant. *Tertiò*: concedit de novo facultatem ubilibet locorum Regularibus audiendi Confessiones sæcularium.

6. Pœna asserentium, personas Regularibus confessas, teneri ad reconfessionem.

DICO quintò: Parochi, sive alii temerè in populum evulgantes, quòd confitentes Regularibus, teneantur eadem peccata confessa eis, iterum proprio Sacerdoti confiteri, possunt puniri, ut suspecti de hæresi. Ita Brug: &c.

Probatur ex jure communi, in Extrav: Joannis XXII. quæ incipit, *Vas electionis, de Hereticis*, ubi errorem Joannis à Poliaco Doctoris Parochi, oppositum Conclusionis sentientis, adhibitò Cardinalium, & Clarissimorum Theologorum consiliò, damnavit. Constat secundò: ex Bulla Sixti IV. quæ *Mare Magnum* Prædicatorum, Minorum, Augustin: & Carmelit: dicitur: Vide plura de his apud Canonistas Ordinum.

QUÆSTIO IV.

De Approbatione Confessariorum; maximè Regularium.

1. Quid sit Approbatio?

NOta primò: Approbationem esse authenticum testimonium, quo declaratur aliquis idoneus, cui munus audiendi Confessiones conceditur: hoc olim poterant dare etiam Parochi; sed modò Jure Trid: solus Papa, vel Episcopus, Sess: 23. c. 15. *de Reform:*

2. Approba-

DICO primò. Hæc Approbatio est ita necessaria ad audiendas Confessiones sæcularium

tio est necessaria in Confessario pro sæcularium Confessionibus.

cularium, etiam Sacerdotum, ut sine illa absolutio foret irrita. Ita communois DD.

Probatur: quia ita respondit S. Cnogregatio. Et colligitur ex Trident Sess: 23. cap: 15. *De Reform:* Etiamsi Confessarii essent Doctores Theologiæ, ùt dicunt AA: commuoiter; & patet ex generalitate verborum Tridentini.

3. *Non tamē pro Confessionibus Religiosorum.*

Nota tamen: quòd vi Tridentini cit: nulla requiratur Approbatio Episcopi, ut quis sive Religiosus, sive sæcularis audiat Confessiones Religiosorum, vel Religiosarum; dummodò habeat Jurisdictiooem ordinariam, vel delegatam.

4. *Est distinctio inter Jurisdictionem & Approbationem.*

DICO secundò: Approbatio distinguitur à Jurisdictione: Uode Jurisdictio per Approbationem eò ipsò non conceditur; sed tamùm judicatur persona idonea. Est communis apud DD.

Probatur: quia ita declaravit S. Congregatio Cardioalium teste Cnoinck. Et ratio est; quia Approbatio est tantùm conditio requisita, ut Jurisdictio obtineatur; aut in actum exire possit: ergo &c.

5. *Regulares accipiunt Approbationem ab Ordinario, Jurisdictionem verò à Papa.*

DICO tertiò: Regulares Privilegiati Approbationem quidem acquirunt ab Episcopo; Jurisdictionem verò à solo Papa, vi Privilegiorum specialium.

Probatur per Clementinam *Dudum, de sepulturis*: quæ non est revocata per Tridentinnm; sed tantùm data quædam forma ita agendi; ùt habet Nav: Rodriq: Men: Hicq: Brugnoli &c. Clementina accedit Extravag: Bonifacii VIII. *super Cathedram.* Item Joannis XXII. *Frequentes* &c. Quod verò prædicta Clementina *Dudum*: non sit revocata, probatur efficaciter; quia *per speciem derogetur generi*; juxta commune Legistarum; id est, lex generalis derogatur per specialem: v. g. lex est specialis, quà Filii Nobilium gerunt arma, ex prærogativa suæ ingenuitatis: alia promulgator deinde geoeralis, ut nullus in Republica gerat arma: huic derogat prior specialis; nisi in generali fiat mentio specialis: sed Clementina est Lex specialis: ergo per eam derogatur Tridentino, quod est lex generalis.

Confirmatur per Bartholum in Authentica, *qua in Provincia &c.* ubi dicit, quòd Privilegia corpori Juris inserta per particolam *non obstantibus Privilegiis*: non revocentur; nisi fiat de illis specialis mentio; quia jam induunt nomen nobilius, & non veniunt appellatione Privilegii; ùt habet etiam Castro, Felinus, Rodriq: &c. sed Clementina est talis: ergo non est revocata.

6.

In casu autem, quo negarent Ordinarii Approbationem Regularibus idoneis præsentatis, ex malitia, & sinè causa, censent Nav: Rodriq: Miranda, Laym: Peirinus, Vasq: Hiq: & plures alii Doctores, eos posse audire Confessiones sæcularium, iis repugnantibus; quia hanc facultatem habent ipso jure Clemeotiæ citatæ; & aliarum decisionum; & tunc Papa censetur supplere.

DD: aliqui arbitrantur Regularē injustè reprobatū, posse audire Confessiones sæcularium.

Verùm ego judico, hoc non esse practicandum: tum quia est contra communem praxim. Tum quia seminarium odiorum, ac controversiarum infinitarum aperit; Tum quia novissimè Alexander VII. inter propositiones prohibitas anno 1665. propositione 13. dicit: *Non satisfacere pœnitentem annuæ Confessioni, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato*: Satisfaceret autem, si talis reprobatus Regularis posset validè audire Confessiones sæcularium, repugnante Ordinario loci: ergo &c.

7. *Sed Auctor huic Opinioni non subscribit.*

DICO quartò: Regularis à suis superioribus examinatus, & approbatus, & Episcopo præsentatus, ac admissus, sive simpliciter, sive ad placitum, ad audiendas Confessiones sæcularium, est perpetuò admissus, ac proinde sinè justa causa, ad Sacramentum pertinente, reprobari non potest. Ita Brug: &c.

8. *Regularis semel admissus ad Confessiones manet semper admissus.*

Probatur ex cit: Clementina *Dudum*; & Concilio Lateranensi sub Leone X. Sess: 11. quod apud Regulares valet in his, quæ Clementinæ, aliisve Regularium Privilegiis, non sint contraria. Et ratio est: quia examen morum, & capacitatis, ad Regularium Prælatos spectat; adeoque sequitur solam, nudamque exteriorem præsentatiooem per eosdem Prælatos factam Episcopo, esse tantùm requisitam, ut Regularis possit sæcularium Confessiones audire: quia licentia, quæ datur Regularibus ab Episcopo, non est propriè licentia, sed potiùs Approbatio personæ idoneæ, & quasi justa sententia, seu declaratio, quòd talis persona sit idonea; ùt patet ex ipsis Concilii Tridentini verbis Sess: 25. cap: 15. *de Reform:* Uode postquàm Episcopus Regularem judicat dignum Confessiones audiendi, statim ipse Papa illi concedit facultatem: sed sententia lata secundùm regulas Justitiæ, non potest revocari: *Quod enim semel placuit, ampliùs displicere non potest*; cap: *quod semel, de Regulis Juris in 6.* ergo dicta Approbatio facta ab Episcopo, licèt sit ad placitum, non potest ab Episcopo revocari, absque magna causa.

DICO quintò: Approbatio Regularium ab Episcopo facienda, est solùm, quan-

9. *Super qua*

cadat Approbatio Regularis ab Episcopo facta?

quantùm ad litteraturam, seu doctrinam; unde cùm nemo præsumandus sit communiter dedíscere, vix potest dari causa, quâ semel approbatus, reprobetur. Ita Doctores communiter.

Probatur quia ita declaravit clarè Leo X. *dum intra mentis arcana* &c. unde S. Congregatio CC: solemne edidit Decretum 1615. in quo inhibet Ordinariis, ne Regulares semel admissos, posthac suspendant, & inhabilitent ad excipiendas sæcularium Confessiones. Decretum refertur à Brugnoli Tract: 12. de Confess:

10. Episcopi debent Regulares sinè limitatione approbare, si absolutè idonei sunt

DICO sextò: Non potest Episcopus Regularem (idem dic de sæculari Parocho) quem reperit simpliciter idoneum, approbare tantùm ad tempus, vel cùm aliquibus circumstantiis loci. Ita Canonistæ passim.

Probatur: quia tenetur ex Justitia approbare eum secundùm Trident: citatum, Clementinam *Dudum*: & Bullam Urbani VIII. quod clarissimè etiam docet S. Congregatio anno 1587. die 2. Julii, ùt habet Brugnoli per extensum. Videatur hac de re etiam Peirin: *de Privilegiis Regul:*

11. Secùs si minùs idonei.

Nota tertiò: si tamen in examine aliqui non adeò idonei fuissent reperti, possunt ab Episcopo admitti cum limitatione. Ita S. Congregatio cit: & Peirinus, Henriq: &c.

12. Peccant Episcopi denegantes Reg: idoneis approbationem.

Ex dictis infertur: mortaliter peccare Episcopos, & examinatores, qui dignis Regularibus præsentatis denegant Approbationem; ùt habet Suar: Coninck, &c. Quia in re gravi peccant contra Justitiam.

13. Quidam DD: opinantur approbatum in una Diœcesi, esse ubique approbatum.

Nota quartò: tametsi doceat probabiliter Henriq: cum pluribus aliis Theologis, & Jurisperitis, maximè Francisco Blanco Archi-Episcopo Compostellano, & Guerrera Archi-Episcopo Granatensi, qui Tridentino interfuêre; sufficere Approbationem unius Episcopi ad audiendas ubique Confessiones; si ubique habeat Jurisdictionem; qualem putantur habere Regulares; & ita approbatum Regularem in una Diœcesi ab uno Episcopo, esse sufficienter approbatum, ut ubivis locorum Confessiones sæcularium audire possit: eò quòd Regularis juxta formam Tridentini approbatus hôc ipso accipiat Jurisdictionem à summo Pontifice, Universalis Ecclesiæ Pastore, quæ est illimitata quòad omnes personas.

14. Sed opposita sententia est verior.

Nihilominùs altera sententia est communior, ùt ostendit benè Marchant: noster Tract: 2. Tit: 6. q. 4. in suo Tribunali, quæ tenet Regularem Privilegiatum approbatum ab uno Episcopo, etsi accipiat Jurisdictionê à Papa, non tàmen accipere nisi limitatam pro Diœcesi approbantis; & sic approbatum ab uno Episcopo, non censeri ubique approbatum. Patet hoc *primò* ex Tridentino Sess: 23. c. 15. ubi dicitur: *Quòd nullus Regularis sæcularium possit audire Confessiones, nisi ab Episcopis per examen idoneus judicetur*: ergo à quolibet debet judicari idoneus; hoc enim indicat illa particula pluralis, *ab Episcopis*, id est, à quolibet in sua Diœcesi. Favet *secundò*, communis praxis, & recentior consensus Theologorum.

15. Confessarius veniens ad aliam Diœcesim, & non potens statim accedere Diœcesanum, potest Confessiones ibidem excipere.

Nota tamen quintò: si approbatus ab uno Episcopo, migraret ad alium Episcopatum; & non posset Episcopo illius novæ Diœcesis statim commodè præsentari, ac ob rationabilem causam aliquoties audiret Confessiones ante præsentationem, non peccaret. Ratio est *primò*: quia tunc potest uti Epiikeiâ, quòd Episcopus novus rationabiliter sit contentus. *Secundò*: quia non præjudicat experimento, quod adhuc suo tempore Episcopus habebit de idoneitate personæ. *Tertiò*: quia Regularis peregrinans, & transiens per loca, ubi Episcopus non existit, potest immediatè in transitu audire Confessiones, ex Privilegio Gregorii XIII. ergo & quando existit in loco, in quo commodè Episcopo se non potest præsentare pro Approbatione. Ita Marchantius cit: & alii DD:

QUÆSTIO V.

De Casuum Reservatione; eorum absolutione quòad Sæculares.

1. Ecclesia potest reservare aliquos casus.

DICO primò: In Ecclesia Visibili residet potestas reservandi quosdam casus. Est communis TT: & Catholicorum omnium.

Probatur primò: ex determinatione Trident: Sess: 14. c. 7. dicentes: *Meritò Pontifices summi pro suprema authoritate, sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.* Habetur etiam, capite *si Episcopus, de Pœnitent: & remiss:* Et patet ex praxi totius Ecclesiæ. Suadetque ratio: nam rationabilissimè Papa, & Episcopi quosdam graviores excessus sibi emendandos reservant, ut securiùs corrigantur; salubriora remedia iis adhibeantur; & Fideles deterreantur ab hujusmodi delictis, ob difficultatem veniæ obtinendæ.

2. Exprimi-

DICO secundò: Solus Papa pro tota

tur potentes licitè reservare casus. Ecclesia; Episcopus pro sua Diœcesi; & Capitula Generalia, ac Provincialia Religiosorum pro toto Ordine, & Provincia, sibi reservare possunt quosdam casus. Ita communis Doctorum.

Probatur *de Papa*: Hic enim hujusmodi Authoritatem accipit Jure Divino in sua electione, tanquam Christi Vicarius in terris; ùt patet ex illo scripturæ textu: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælo* &c. ergo &c. Probatur *de Episcopis*, his enim tanquam majoribus, & ordinariis animarum Directoribus summè necessaria est hujusmodi Authoritas, pro salutari suarum Diœcesium regimine: ergo &c. Probatur *de Capitulis Generalibus, & Provincialibus*; ex dispositione facta à Clemente VIII. per specialem Bullam anno 1593. & Urbano VIII. Et est ratio eadem pro ipsis, quæ pro Episcopis.

3. *Reservatio supponit mortalem culpam in casu reservato.* DICO tertiò: Ut casus aliquis licitè reservetur ab habente Authoritatem reservandi; debet involvere peccatum mortale. Ita Hariucx, Brug: & communis DD:

Probatur: Venialia nemo tenetur necessariò confiteri; neque eorum reservatio notabiliter conducit ad regimen animarum: ergo ut reservatio licitè fiat, debet mortale involvi in casu reservatò.

4. *Et quidem gravierē.* DICO quartò: Mortale, quod casum reservatum facit, debet esse de gravioribus, & atrocioribus criminibus. Est comunis apud Casuistas, & insinuatur à Trid: Sess: 14. cap:7.

Probatur: potestas reservandi peccata, non est potestas absoluta à solo libitu reservantis pendens; sed respicit causam aliquam utilitatis, aut necessitatis disciplinæ populi Christiani; utpote *data*, ùt inquit Tridentinum, *in ædificationem, & non destructionem*: ergo mortale reservatum debet esse de gravioribus criminibus, lædentibus disciplinam Christianam.

5. *Clemens VIII. limitat Authoritatem Reg: Prælatorum circa reservata.* Et ideò summi Pontifices, specialiter Clemens VIII. *in suo Decreto*, edito anno 1593. 26. Maij, restrinxerunt potestatem Prælatorum Regularium, tam Provincialium, quàm Generalium, ut non possint posthac alios, quàm undecim casus, à se specificatos, & infrà examinandos, reservare: si verò velint quosdam alios adjungere; id necessariò fieri debeat, de Capituli Generalis consensu pro toto ordine, vel Provincialis Capituli pro Provincia hac, vel illa.

6. *Unde gravitas cri-* Nota autem: criminum gravitatem, & atrocitatem non tantùm dijudicandam, & desumendam fore à malitia peccati in se; sed etiam à consequentia, & effectibus malis: puta si per ea invehatur grave detrimentum disciplinæ Christianæ; aut vergant notabiliter in animarum dispendium. *minum sumenda.*

7. *Peccata reservata debent esse completa opere.* DICO quintò: Peccata mortalia gravia non censentur Reservatione Prælati comprehensa; nisi fuerint opere consummata. Ita Fiuellus, Sylv: Henriq: da Grassis, &c.

Probatur: quia crimen non intelligitur, nisi sit opere consummatum, juxta cap: *hæc autem*, Dist: 1. *de Pœnit:* Nam attentatio homicidii, non est homicidiū: ergo nec censebitur peccatum reservatum; nisi fuerit opere consummatum.

8. *Non debent esse purè interna.* DICO sextò: Peccata merè interna gravia reservari quidem possunt; in usu tamen non est, nec expedit ea reservare. Ita Major: Conink, Henriq: Fiuellus, &c.

Probatur: quia hujusmodi internorum actuum reservatio non est ita necessariâ ad Ecclesiæ gubernationem; quippe quæ externa potissimè spectare solet. Si tamen pro Ecclesiæ regimine necessaria foret eorum reservatio, utiliter eam statueret superior: sicut Ecclesia fructuosè solam hæresim mentalem, & purè internam excommunicatione castigat, ùt patet ex cap: *si quis per stipendium*, Dist: 3. & doceo Tract: de Legibus Dist: 3. quæst: 5.

9. *Communiter Episcopis reservatur homicidium.* Nota secundò: ex communi Ecclesiæ consuetudine reservari Episcopis homicidium voluntarium, quamvis occultum. De cæteris peccatis non consentiunt Doctores, quænam consuetudine, vel communi Jure Episcopi sibi reservare soleant, ùt videre est apud Sylv: & Navarrum, &c. quare cujuslibet Episcopatûs statuta erunt consulenda à Confessariis, ibidem absolventibus.

10. *Quot modis fiat Reservatio Casuum?* Nota tertiò: Casuum Reservationem fieri diversis modis: aliquando fit soli Episcopo; & colligitur ex hac, & similibus clausulis Reservationis, *Casus nobis reservati.* Aliquando fit Dignitati: & colligitur ex hac, & æquipollentibus clausulis, *Casus curiæ, vel sedi Episcopali reservati.* Aliquando Episcopis in Synodis Diœcesanis. Si reservantur per primum modum, reservatio expirat morte reservantis: Ratio est; quia est facta ab hoc individuo. Si autem reserventur Episcopis, vel Curiæ, vel Sedi, non expirat. Ratio est; quia est, qui succedat loco hujus Episcopi; & Curia ac sedes Episcopalis manet stabiliter.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De Abſolutiòne à Reſervatis.

1. Recenſentur Perſona potentes abſolvere à Reſervatis.

DICO primò : à Reſervatis caſibus poſſunt abſolvere ſoli ſequentes : Reſervans, ſucceſſor Reſervantis, ſuperior Raſervantis, & Delegatus. Ita communis Caſuiſtarum.

Probatur *de Reſervante* ; qui ponit legem, poteſt diſſolvere legem : nam *res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem deſtruitur*, inquit Regula Juris; argo & qui reſervat caſus, poteſt ab eisdem abſolvere. Probatur *de ſucceſſore* : ſubrogatus naturam ſapit ejus, in cujus locum ſubrogatus eſt. L. *ſbenus* §. *qui injuriam.* ff. *ſi quis cautionibus* : ergo ſucceſſor poteſt abſolvere à Caſibus Reſervatis ſui anteceſſoris. Probatur *de Superiore* : Hic eminenter continet authoritatem inferioris, v. g. Papa Authoritatam omnium Epiſcoporum : ergo talis poteſt Caſus Reſervatos abſolvere. Probatur *de Delegato* : Hujusmodi induit perſonam Raſervantis quòad hoc : ergo pariter poteſt à Reſervatis abſolvere. Inter Delegatum tamen, & Reſarvantem, hæc eſt differentia, quod Reſarvans poſſit extra Sacramentalem Confeſſionem tollere Reſervationem, concedendo alijs plenam poteſtatem abſolvendi : non ſic Delegatus, qui ſemper in Confeſſione debet abſolvere : niſi fortè peccatum eſſet Reſervatum ratione Cenſuræ à quâ Cenſura poſſet abſolvere extra Confeſſionem, in viam ſuæ delegationis.

2. Epiſcopi, & Vicarii eorum, ab occultis caſibus Papalibus poſſunt abſolvere.

DICO ſecundò : Epiſcopi eorumque Vicarii, itam Capitulum ſede vacante, poſſunt abſolvere ab omnibus caſibus, & Cenſuris Papæ reſervatis, occultis tamen : exceptis Caſibus Bullæ Cœnæ. Ita Hugol: Henriq: Reginaldus, Garc. da Graſſis, & communis.

Probatur textu Trident: ſeſſ: 24. cap. 6, de Reformatione : *liceat*, inquit Concilium, *Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio &c. voluntario illicito ; & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum diſpenſare : & in quibuscunque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcunq; ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientia, gratis abſolvere, impoſitâ pœnitentiâ ſalutari* : ergo &c.

3. Ipſo Jure etiam ali- quando aufertur reſervatio Caſuum.

Nota primò: non tantùm per abſolutionem Reſervantis, ſuperioris, ſucceſſoris, & Privilegiati ; ſed etiam ipſo jure quandoq; auferri Reſervationem : Et quidam in ſolis 4. ſequentibus caſibus. *Primò* : quando Reſervans revocat per Conſtitutionem vel litteras Raſervationem. Nec refert, quòd quis ante promulgatam revocationem inciderit in reſervatum caſum ; poterit enim ab hoc poſt revocationem à quovis Confeſſario abſolvi : Ratio eſt ; quia reſervatio non afficit ipſum delictum ſed Jurisdictionem Confeſſarii. *Secundo* ; quando antequam Pœnitens abſolvatur, mortuus eſt Epiſcopus, ſibi præcisè reſervans caſum, non ſedi, vel curiæ Epiſcopali. Ita Hugol; Quaranta, &c. *Tertiò* : Quando Reſervans eſt privatus Jurisdictionis uſu per ſuſpenſionem ab officio, vel per Excommunicationem, ùt habetur cap: *ad probandum de Sent: & rejudicata. Quartò* : Quando quis ligatus Reſervatione Caſûs aliò domicilium transfert, ubi ille caſus non eſt reſervatus. Ratio eſt, quia deſinit eſſe ſubditus.

4. Juſtis de cauſis non potens accedere Reſervanti, à ſimplici Confeſſario à Reſervatis abſolvi poteſt ; ſed cum onere comparendi.

DICO tertiò : Quando ob juſtas, & rationabiles cauſas non patet aditus ad ſuperiorem Reſervantem, vel ejus Delegatum ; aut non niſi cum gravi difficultate, longa mora, aut detrimento gravi : poteſt Confeſſarius inferior indirectè abſolvere à Caſibus Reſarvatis, impoſito onere Pœnitenti, comparendi tempore opportuno, & ceſſantibus impedimentis, coram ſuperiore, vel Delegato. Ita TT; communiter.

Probatur : Diverſis Canonibus, in quibus permittitur Epiſcopis, poſſe abſolvere ab excommunicatione aliàs Papæ reſervata de percuſſione Clerici, ob juſtas cauſas: ſic habetur cap: *de cætero* l. 5. Decret: tit: 39. Et cap: *Mulieres* : ergo à pari hoc idem dici poterit, de aliis Reſervationibus.

Probatur ſecundò ratione: quia Eccleſia eſt pia Mater, quæ proinde ſuis decretis, & Reſervationibus non cenſetur velle obligare Fideles cum graviſſimo onere, coram ſe, vel majoribus ſuis ſuperioribus ad comparendum. In tali ergo circumſtantia Caſus Papalis fit Epiſcopalis.

5. Quæ ſint juſta cauſa, ut ſimplex Sacerdos à Reſervatis poſſit abſolvere?

Cauſæ autem juſtæ rationabiles excuſantes cenſentur eſſe ; ſi quis v. g. ſine nota, ſcandalo, infamia, dicteriis, ſuſpicionibus, aut ſimilibus, non poſſit à Sacra Communione, Miſſæ Sacrificio, vel Sacramentorum adminiſtratione abſtinere ; nec habeat tunc ad manum aliquem potentem à Reſervatis abſolvere.

6. Sufficiens comparitio coram Ordinario, quæ ſit?

Quæres : Qualis debeat eſſe comparitio coram ſuperiore, quæ per modum oneris imponitur Pœnitenti, ab illo Confeſſario tempore neceſſitatis, vel alterius juſtæ cauſæ, qui non habet facultatem tol-

lendi Reservata? Respondeo sufficere; si Petrus v. g. compareat coram Episcopo, & dicat se esse irretitum casu Reservato; & ideò coram eo comparere, sinè ulla specificatione casus; tunc Episcopus sinè ulla absolutione Sacramentali potest ab eo Reservationem auferre, & ad alium simplicem Confessarium remittere pro Sacramentali absolutione. Ratio est: quia, qui potest reservare, uti est Episcopus, potest etiam Reservationem tollere, cum omni onere inde resultante: ergo & cum onere specificandi casum.

7. *Et quæ coram Delegato.*

Si verò compareat coram Delegato tantùm, non satisfacit oneri de comparendo; nisi specificet casum: Ratio est: quia hic solam participat authoritatem impendendi absolutionem Sacramentalem; in cætera autem onera nil potest. Eadem ratione potest fieri comparitio coram superiore ordinario per litteras, ut alteri suam authoritatem deleget; non item coram Delegato. Idem dic de tertia persona interposita puta Confessario.

8. *Qualiter se ipse Confessarius Reservantem accedens gerere debeat?*

Nota hìc: Si Confessario pateat facilis aditus ad Reservantem, potest ipsemet eum accedere, & petere facultatem absolvendi à Reservatis, tacito tamen nomine: si verò sit aliqua difficultas, potest per litteras petere, vel absolvere per Epikeiam, cum onere comparendi. Si Confessarius ipsemet accedat, non tenetur explicare se priùs per Epiikeiam absolvisse cum onere comparendi; sed sufficit simpliciter petere authoritatem. Ita Marchant: noster &c.

9. *Superior debet Confessario petenti facultatem super Reservata, concedere.*

DICO quartò: tam Regularis superior, quàm sæcularis, tenetur concedere authoritatem absolvendi à Reservatis Confessario, eam postulanti; nisi subesset multùm rationabilis causa, v. g. bonum, & salus Pœnitentis, ad ei benè consulendum quoad animam, ut ipsemet absolvat pœnitentem.

Probatur prima pars *de Regulari Prælato*, ex Decreto Clementis VIII. edito anno 1593. hoc statuente. Et ratio est: quia aliàs daretur occasio reticendi peccata cum irreverentia Sacramenti; & Sacramentum redderetur grave nimis.

10. *Nisi salus Pœnitentis aliud requirat.*

Probatur secunda pars: quia ad salvandam animam subditi quandoque etiam meliùs est, ut Ordinarius ipsemet cognoscat qualitatem Reservati criminis: ergo &c.

11. *Peccat mortaliter negligens comparitionem.*

DICO quintò: Qui sciens, & volens sinè rationabili causa differt comparationem, peccat mortaliter.

Probatur: quia exponit se periculo gravi omissionis hujus oneris, quod pro favore acceleratæ absolutionis in se assumpsit: ergo &c.

12. *Quinam actus in accessu ad Reservantem, vel Delegatum ejus cadant sub sigillo Confessionis.*

Nota hic: quòd non omnes actus, qui interveniunt in accessu, vel comparitione ad Superiorem, vel ejus Delegatum, sint Sacramentales; sed tantùm illi, qui ad Sacramentum ordinantur: proinde soli secundi cadunt sub sigillum Confessionis: actus autem primi sunt v. g. ex parte Pœnitentis comparitio ad postulandam Authoritatem; vel auferendam Reservationem; vel eligendum Confessarium, &c. & prædictorum concessio ex parte superioris; quales fieri solent extra Sacramentum.

13. *Confessarius tenetur aperire casus Reservanti petenti eos scire; non verò personas.*

DICO sextò: Si superior reservans petat, & urgeat sibi casus aperiri, potest, & debet Confessarios aperire illos; nullatenùs tamen personam manifestare potest; imò debet casum tacere; si ex ipsius expressione persona manifestaretur. Ita idem Marchant: & alii AA:

Probatur: quia superior habet jus ad cognoscendum de materia reservata; sive ad prudenter delegandum; sive ad taxandas Pœnitentias pro salute Pœnitentis, non tamen habet jus in ipsam personam; nisi quando illa voluntariè præsentatur: ergo &c.

14. *Oblitus Reservati casûs in Confessione, facta corà habente potestatē, potest deinde à quovis absolvi.*

DICO septimò: Qui in Jubilæo superiori; vel aliteri habenti potestatem absolvendi à Reservatis, fuit confessus; imò etiam probabiliter extra Jubilæum; si sinè sua culpa aliqua Reservata omisit; potest deinde à quolibet approbato Confessario absolvi. Ita Marchant: Her: & alii DD:

Probatur: Quia Superior, vel alius habens potestatem absolvendi à Reservatis, censetur velle uti totâ suâ potestate tempore Jubilæi: imò & aliàs ergo & tollere omnia Reservata, etiam oblita inculpabiliter.

15. *An recidivans tempore Jubilæi possit pluries absolvi à Reservatis?*

DICO octavò: Est probabilis opinio, quòd qui tempore Jubilæi sæpiùs in Reservata labitur; quamdiu necdum per executionem omnium operum requisitorum Jubilæum est consecutus, possit toties, quoties absolvi: Opposita tamen est probabilior.

Probatur prima: quia Jubilæi potestas est ampla; nec ad unam, vel alteram Confessionem adstringitur: Unde qui vult Jubilæum consequi uberiùs potest per utramque hebdomadam ita sua opera distribuere, ut in fine secundæ ultimum opus perficiat; & sic frequentiùs poterit absolvi: ergo &c. Secunda probabitur infrà dist. 13. q. 4.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

Adduntur quædam Resolutiones circa absolutionem à Reservatis.

1. *Sinè causa nequit Confessarius simplex absolvere à non reservatis, & pro reservatis mittere Pœnitentem ad alium.*

DICO primò; seclusâ necessitate, vel rationabili causâ, nequit Confessarius non habens Authoritatem super Reservata, absolvere Pœnitentem à non Reservatis, ipsumq; mittere ad superiorem pro Reservatis. Ita Ledesma, Vaſ: Conink, Henriq. &c. contra Cajet: Nav: Val: Sà, & alios; quorum sententia etiam est probabilis.

Probatur: simplex Sacerdos nequit absolvare pœnitentem habentem venialia, & mortalia; à solis venialibus, & pro mortalibus remittere ad Confessarium approbatum, defectu Jurisdictionis. ergo neq; Confessarius non habens Authoritatem super Reservata, poterit absolvere à solis non Reservatis, Pœnitentem mittere ad Superiorem pro Reservatis, præcisâ necessitate.

2. *Habens Reservata, et non Reservata, tenetur omnia simul confiteri simplici Sacerdoti si ad S. Communionem sumere oporteat.*

DICO secundò: Pœnitens habens Reservata, & non Reservata; dum non habet copiam Confessarii, præditi potestate, in Reservata, & non potest absq; scandalo omittere Eucharistiæ sumptionem; tenetur omnia Reservata, & non Reservata, simul confiteri Confessario, non habenti authoritatem absolvendi à Reservatis. Ita communis Doctorum.

Probatur: quia cap: *omnis utriusq; Sexûs*, dicitur: ut omnia peccata saltèm semel in anno quivis confiteri teneatur proprio, vel alieno Parocho de licentia Ordinarij; Habetq; Tridentinum sess: 14: cap. 5. Et quia Confessio si fiat, debet integra esse, jure Divino: ùt habet Nav: Regin: Henriq: &c. hìc autem fieri debet: ergo &c: Opposita tamen sententia asserens Pœnitentem non teneri aperire reservata illi Confessario communi, etiam est probabilis: & est Hugolin: *de Officio, & potestate Episcopi*, cap: 40. Toleti, Gersonis, Fill: &c.

3. *Secus si habeat sola Reservata, & putet se esse contritũ.*

DICO tertiò: habens sola Reservata, & non alia mortalia, si urgeat necessitas Communionis, & non possit adiri Reservans, vel ejus Delegatus, non est obligatus communi Confessario confiteri, si cesset scandalum, & communicaturus existimet se esse contritum. Ita Svar: disſ: 30. Sect: 5. Brugnoli, &c.

Probatur ex communi Casuistarum Regula: *Nemo tenetur per se idem peccatum bis confiteri*: uti docet Nav: in cap: *Placuit* n. 23. & alii Doctores: talis autem in opposita sententia teneretur idem peccatum bis confiteri, videlicèt, communi Confessario, & Superiori: ergo &c.

4. *Reservans aut audiat Confessionem integram Pœnitentis, aut tollat reservatio nem extra Confessionem.*

Nota primò: convenientissimum esse, ut Reservans, si judicat expedire, ut ipsemet absolvat à Reservatis, audiat integrâ Pœnitentis Confessionem, & tunc absolvat simul à Reservatis: quòd si ob gravia negotia non possit; tunc jubeat sibi explicari Reservatum peccatum sub sigillo secreti, & postea Reservationem, vel Censuram tollat sinè Sacramentali absolutione, injunctâ satisfactione: quo casu peccatum illud unà cum alijs mortalibus inferiori Sacerdoti in proxima Confessione explicandum erit, ad accipiendam Sacramentalem absolutionem. Ita Dur: & Adrian: in 4.

5. *Casus quidam, quo licitum est audire sola Reservata, & ab eis absolvere.*

Nota secundò: si verò Pœnitenti grave nimis foret, Reservanti extra Sacramentum Pœnitentiæ manifestare casum Reservatum; & Reservans ob justum grave impedimentum, nequeat Confessionem integram audire; insuper judicet non esse delegandam hic & nunc potestatem alteri; his concurrentibus circumstentiis, potest Reservans sola reservata audire, & ab ijs etiam Sacramentaliter absolvere, ita ut absolutio directè cadat super Reservata & indirectè super alia non Reservata. Ita docet Palud. Sylv: verbo *Confessio* 1. q. 19. Medin: Cajet. &c. Et ratio est: quia hìc moralis impossibilitas omnia audiendi excusat dimidiationem Confessionis.

6. *Stante dubio facti, cadente super Reservationem, potest quivis Confessarius absolvere à reservato.*

DICO quartò: Quilibet Sacerdos approbatus potest in dubio facti, cadentis super Reservationem, absolvere v. g. qui dubitat se homicidium commisisse, vel complevisse peccatum Reservatum, potest à quolibet approbato absolui. Ita Bonac: Svar: Henriq: &c.

Probatur: quia in dubijs est melior conditio possidentis; Confessarius autem approbatus est in possessione suæ Jurisdictionis, de qua est certus; quòd autem peccatum sit Reservatum, est incertum: ergo &c.

7. *Secus, si adsit sufficiens præsumptio in contrarium.*

DICO quintò: Quando in dubio facti adest sufficiens præsumptio in contrarium, qualis est, si quis v. g. exteriùs proferat hæresim, & postea dubitet an illam ex animo protulerit; non potest absolvi à Confessario simplici.

Probatur: quia hìc Pœnitens præsumitur incurrisse Excommunicationem Reservatam, latam contra hæreticos; nam possessio stat pro Hæresi, quam constat esse pro-

prolatam exteriùs, & forum exterius judicat hunc Hæreticum, præsumens propositionem hæreticam protulisse animo consentiente; cùm nullus præsumatur dicere, quod in corde non habet: ergo &c.

8. *Confessarius dubitans de sua facultate super Reservata nequit absolvere ab eis.*

DICO sextò: Sacerdos qui propriè dubitat se jurisdictionem habere in Reservata, non potest absolvere ab iis. Ita Sanch. Svar: Henriq: &c.

Probatur: quia hìc possessio stat pro peccatis, quæ constat esse Reservata. Interveniente tamen necessitate, vel rationabili causâ, potest indirectè, vel sub conditione absolvere; Ratio est: quia tunc utiliter gerit negotium Pœnitentis: nullique facit Injuriam: ergo &c. Debet tamen admonere Pœnitentem, ut oblatâ opportunitate privilegiati Confessarii, confiteatur eadem peccata.

9. *Si autem opinionẽ probabilẽ habeat de ea, potest absolvere.*

DICO septimò: Sacerdos, qui non propriè dubitat, sed potiùs opinionem habet probabilem de Jurisdictione, potest absolvere; v. g. ille qui sequitur opinionem asserentium Doctorum, privilegium absolvendi à Reservatis, non esse revocatum, etiamsi fortè opinio illa probabilis à parte rei non subsistat, sed falsis realiter nitatur principiis. Ita Less: Henriq: Con: &c.

Probatur: quia interveniente probabili opinione, Ecclesia supplet Jurisdictionem: sicut eadem supplet, quando aliquis titulo colorato, & errore communi vulgi habetur pro legitimo Judice, vel Parocho, quamvis re ipsà Judex, vel Parochus talis non sit: ergo &c.

10. *Effectus diversi invalidæ absolutionis à Reservatis.*

Nota tertiò: Quòd Sacerdos absolvens sinè facultate à Reservatis Papæ, vel Episcopo, *primò* committat mortale peccatum. *Secundò*: absolutio est nulla. *Tertiò*: Excommunicatione Papæ reservatâ innodatur. *Quartò*: ipso facto, Officiis, dignitatibus, & beneficiis quæ habet, privatus est; nec non ad quæcunque Officia, Præfecturas, & beneficia inhabilis efficitur. His pœnis ètiam afficiuntur Regulares, ùt patet ex Decreto S. Congregationis, sub Clemente VIII. edito. In quatuor tamen casibus non incidit in dictas pœnas Regularis, absolvens sinè facultate. *Primò*: quando absolvens probabiliter ignorat casum esse Reservatum à quo absolvit defectu sufficientis explicationis Pœnitentis: secùs est, si ex ignorantia affectata eum ignoret; *Secundo*: si absolvens probabiliter putet se posse absolvere; quamvis postea advertat se non potuisse. *Tertiò*: qui in dubio facti absolvit: de quo supra. *Quartò*: non incidunt in dictas pœnas Confessarii Romanæ Vrbis & qui extra Italiam degunt; quia Decretum ad hos ex suo tenore non extenditur.

11. *Malè absolvens debet denuò etiam absentem absolvere obtentâ facultate.*

Nota quartò: Confessarius malè absolvens à Censuris, debet etiam absentem deinde absolvere, obtentà facultate. Ita Nav. Con: Vasq: Ratio est: quia absolutio censurarum fieri potest in absentem, ignorantem, & existentem in mortali.

12. *Instructio Confessarii qui malè absolvit Pœnitentẽ.*

Nota quintò: Quando Pœnitens malè absolutus, jam recessit à conspectu Confessarii; tunc tenetur Confessarius eum admonere, vel saltèm curare, ut iterum sibi confiteatur ea peccata, quæ commisit ab ultima Confessione sibi facta; simul etiam curando, ut Pœnitens se accuset in communi de peccatis aliàs confessis, si tamen Confessarius adhuc est memor statûs Pœnitentis; & tunc absolvat Pœnitentem debitè: Ita Nav: Henriq: Onophrius, Candidus, &c. Si tamen Confessarius nequeat admonere Pœnitentem; aut revocare absq; gravi offensa, scandalo, vel detrimento; non tenetur admonere, vel revocare; si putet Pœnitentem denuò Confessurum suo tempore, & constituturum se in gratia: si verò Pœnitens non credatur facturus aliam Confessionem; tunc Confessarius tenetur Pœnitentem admonere, etiamsi timeat grave detrimentum. Ratio est: quia Pœnitens tunc censetur esse in extrema necessitate, ubi bono spirituali æterno proximi non possumus præferre bonum nostrum temporale. Ita Svar: &c.

QUÆSTIO VIII.

Proponuntur Casus Reservati pro Regularibus.

1. *Recensentur, & explanantur Casus Reservati Regularium.*

CLemens VIII. restrinxit authoritatem Prælatorum Regularium circa Casuum Reservationem respectivè ad suos subditos, & ordinavit, ut ipsi posthac absq; consensu Capitulorum Generalium, vel Provincialium, ùt suprà innui, non possint sibi reservare alios casus, quàm sequentes.

Primò: *Veneficia, Incantationes, Sortilegia*: hæc ut fiant Reservatus casus, debent esse peccata mortalia. Quæ nam sint vera Veneficia, Incantationes, & Sortilegia, vide Physicam de Magia naturali.

Secundò: *Apostasia à Religione*, quæ debet intelligi de vero apostata à sua Religione, quam professus est, sinè transitu ad aliam, & cum animo non redeundi ad suam.

Tertiò: *Nocturna, seu furtiva è Monasterio egressio*; quæ habetur, quando absq; licen-

licentia vagatur quis extra septa Monasterii; vel se celat, ne inveniri possit.

Quartò: *Proprietas*; quæ, quando sit peccatum mortale vide, Doctores & Expositores Regulares Ordinum.

Quintò: *Juramentum fallum*, &c. ùt iste sit casus Reservatus, debet falsum Juramentum fieri in ipso Judicio; quando quis Juridicè interrogatur; & non sufficit, si fiat extrà.

Sextò: *Procuratio, auxilium, & Consilium ad faciendum abortum* Hæc procuratio est studiosa actio, & voluntaria, per se, vel per alium, ùt abortus sequatur, etiamsi non sequatur.

Septimò: *Falsificatio manûs, vel Sigilli* &c Iste casus, ut incurratur, debet concurrere mutatio veritatis; & quòd fiat cū dolo; id est, animò inferendi damnum.

Octavò: *Furtum de rebus Monasterij* &c. Hìc attendenda est debita quantitas furti, juxta arbitrium viri discreti.

Nonò: *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus*: sub quo comprehenduntur, omnes actus cujuscunq; speciei luxuriæ: Unde lapsus carnis dicitur, quicunq; actus pollutionis, fornicationis, stupri, adulterii, incestûs, sacrilegii, sodomiæ, & bestialitatis Tactus autem, oscula, & amplexus impudici, sive in propria, sive in aliena persona non sunt casus Reservati, nisi ex his deveniatur ad actus mollitiei. Ita Candidus, Quaranta &c.

Decimò: *Occisio, vel vulneratio, seu gravis percussio*, &c quæ censeatur gravis percussio, vide Doctores in cap: *Pervenit*, &c.

Undecimò: *Est retardatio, vel apertio litterarum malitiosa*, &c. hos omnes latiùs explicatos, vide apud Canonistas Ordinum.

2. *Superiores Reg: possunt statuere graves pœnas qui busdā peccatu.*

Nota tamen primò: Pontificem permittere Regularibus Prælatis, determinare pœnitentias graves, quibusdam peccatis, etiam non Reservatis, à Confessariis imponendas, quæ subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint.

3. *Religiosi nō possunt nisi determinatis Confessari is confiteri.*

Nota secundò: Quòd non possint Religiosi, cujuscunque Ordinis sint, eligere sibi Confessarium aliquem, præter illum, vel illos, qui à suis Prælatis, eorum Confessionibus audiendis sunt destinati, aut absolvi a Casibus Reservatis, virtute Bullæ cruciatæ, vel aliorum privilegiorum. Patet ex Extravag: Benedicti X I. *Inter cunctas*. Et Bulla Clementis V I I I *Romani Pontificis*. Et ex Urbani V I I I edita anno 1630. Ratio est; quia non est credendum Pontifices velle similia privilegia concedere, quæ Regulari disciplinæ multùm adversantur, quale esset privilegium datum Regulari, pro suo libitu cuicunq; extra Ordinem, vel in Ordine confitendi. Ita Cordoba, Svar: Diana, &c.

4. *Gvardiani Ord. Min: amplius non possunt sibi reserva re casus no vos.*

Nota tertiò: Gvardianos Ord: Seraphi: de Observantia, olim ex constitutione Alexandri V I. potuisse sibi aliquos casus reservare; sed hæc potestas eis est ablata à Clemente V I I I. Et Capitulo Generali Assisiensi, celebrato anno 1526.

5. *Regularis delegatus ad Reservata, potest ab ijsdem absolvi à Confessario, à se electo.*

Nota quartò: Habens potestatem absolvendi à Reservatis in Religione, potest ipse ab ijsdem absolvi à suo Confessario ordinario, cui aliàs non competeret talis Jurisdictio. Ita communis DD. Regular:

QUÆSTIO IX.

De Potestate Confessariorum Regularium super Casus Reservatos Sæcularium; & Prælatorum Regularium in suos Subditos.

1. *Ampla Concessio. Pauli 3. pro Regul: super casus Reservatos sæcularium.*

PAulus III Bulla *Cùm inter cunctas* concedit Confessariis Societatis J E-SU, & consequenter aliarùm Religionum communicantium Præsbyteris, generalem facultatem absolvendi ab omnibus casibus Reservatis, Bulla Cœnæ exceptis, sequenti teore: *Concedimus quorumcunque utriusq; Sexûs Christi Fidelium ad eos accedentium Confessiones audiendi, & Confessionibus diligenter auditis, ipsos & eorum singulos, ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibuscunque ex ipsis casibus resultantibus, Senteniis, & Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœna Domini solita est Legi, absolvendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungendi, plenam & liberam facultatem* Similem concessionem fecit Sixtus V. Congregationi Oratorii, Bulla, *Decet Romanum* &c. in qua omnes Regulares communicant. Nec est revocatum hoc privilegium universaliter per Declarationem S Congregationis anno 1601. die 9. Julii: quia solos Confessarios Italiæ ligat illa Declaratio: pro quibus tamen etiam, anno sequenti, die 26 Novembris, fuit mitigata jussu Clementis V I I I. paucis exceptis.

2. Doctrina pluriũ Canon: Regularium asserens, Regulares posse absolvere ab omnibus Papalibus, & Episcopalibus casibus.

Ex amplissima ista facultate Pauli III. deducunt Canonistæ Regularea, Delrio, Layman, Svar: Henriq: Nav: Medina, &c. Confessarios Regularium approbatos, habere generalissimam facultatem super omnes Papales casus, & Censuras Papæ reservatas, exceptia ijs, quæ in Bulla Cœnæ continentur; & consequenter etiam in omnes casus, & censuras Episcopis, sive à Jure, sive ab homine reservatas; citantque pro se alia adhuc indulta Eugenii IV. Bullâ undecimâ apud Bellarm: Roderi: Julii II., Sixti IV. quæ dicunt non esse per Tridentinum, nec per Pium IV. nec per Gregorium XIII. revocata.

3. Sed Auctor eam rejicit quò ad casus Episcopales.

Verùm huic Opinioni, quoad absolutionem à Censuris, & casibus, Episcopis Reservatis, ampliùs non audeo subscribere unde dico, quòd nullus Regularis Confessarius ampliùs absolvere à Casibus, Episcopo specialiter Reservatis, sinè ejus licentia possit. Moveor ad hoc primò: ex declarationibus diversis Dominorũ Cardinalium (quas approbavit Urbanus VIII. Clemens VIII. & Paulus V.) declarantium omninò contrarium. *Secundò:* quia inter prohibitas propositiones Alexandri VII. duodecima in ordine est ista prohibita: *Mendicantes possunt absolvere à Casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcopi facultate.*

4. Corollarium genuinum concessionis Paulinæ, & aliarũ cit.

Demptia itaque Casibus Bullæ Cœnæ; & Reservatis Episcopo Loci, Regulares possunt absolvere in foro conscientiæ ab omnibus aliis sæculares in vim suorum privilegiorum, omnémq; Censuram, Sententiam, & pœnam Ecclesiasticam ex Reservatis Papalibus resultantem, tollere, si ex delicto occulto resultent.

5. Privilegium Regul: super reservata Papæ, extendit se etiam ad reservanda.

Et quidem hæc facultas privilegiata, ùt notat rectè Rodriq: Svar: & Herincx cum aliis, non solùm se extendit ad casus Reservatos ante præfatorum privilegiorum Pauli III. & Sixti V. concessionem; sed etiam ad reservandos quovis tempore, post privilegiorum concessionem; nisi satis specialiter illis derogetur: Unde Regulares extra Italiam, possunt absolvere duellantem; & si reservatio duelli sit posterior privilegio Pauli III. Probatur hoc *primò*: quia sensus Priuilegiorum non est dari facultatem absolvendi à peccatis pro tunc Reservatis, quando datur privilegium; sed quando fit Confessio, & danda est absolutio. *Secundò*: quia Papa concedit ista Privilegia, ùt perpetua & generalia ad omnes casus Reservatos. *Tertiò*: quia sunt favorabilia, in solius concedentis præjudicium cedentia, adeoque latè interpretanda. *Quartò*: quia si alicui Urbi conceditur exemptio, crescente Urbe, tota Urbs censetur exempta: & si Papa præsentationem beneficiorum alicujus Provinciæ det Regi, extenditur jus etiam ad illa, quæ postea eriguntur e. *quia* de *Privileg*: ergo à pari idem dicendum in nostro casu.

Circa potestatem Prælatorum Regularium in suos proprios subditos.

6. Superiores Majores Regularium idem possunt circa suos Religiosos, quod Episcopi circa suos subditos, quoad casus.

DICO primò: Regulares Prælati Generales, & Provinciales, possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus, à quibus possunt Episcopi de jure suos. Ita communis Canonistarum Regul: teste Svar: tom: 3. *de Relig.* tract: 8. lib: 2. cap. 2 n: 9.

Deducitur ex cap. *Abbate, de Privileg:* in 6. ibi: *in quos Ecclesiasticam, vel quasi Episcopalem Jurisdictionem obtinent*: Nam Jurisdictio in Regulares, quæ erat penes Episcopos, dum essent Regularium Superiores, translata est in Prælatos præfatos Regularium: ergo possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibos, à quibus possunt Episcopi absolvere suos. Imò

7. Imò possũt eos absolvere ab omnibus peccatis, etiam Bullæ Cœnæ.

DICO secundò Regulares Prælati, cujusmodi sunt Generales, & Provinciales, & Locales, eorumq; vices gerentes in absentia principalium, possunt absolvere suos Religiosos ab omnibus peccatis ante, vel post ingressum Religionis; etiam casibus Bullæ Cœnæ; à quibuscunq; occultis Censuris; nisi excessus adeò enormes sint, ut meritò ad Sedem Apostolicam essent destinandi.

Probatur: quia ita habetur in concessionibus Clementis IV. Sixti IV. & aliorum in *Mari Magno* Minorum, & Prædicatorum. Declaravit autem Sixtus IV. in Bulla sua 14. Quinam excessus sint enormes, & ad Sedem Apostolicam destinandi; scilicet, Hæretici relapsi, Schismatici, Falsarii Litterarum Apostolicarum, & deferentium arma ad Infideles. Imò Svarez Tom: 4. de Relig. Tract: 8. lib: 2. cap. 2. c. 21. docet etiam has quatuor exceptiones esse sublata, & signanter Greg: XIII. dedisse facultatem absolvendi etiam relapsos, & colligitur ex Martini V. concessione, & Eugenii IV.

8. Hoc privilegium Regul: non est revocatũ à Tridentino.

DICO tertiò: quamvis multi putent hæc privilegia esse revocata per annuam Bullæ Cœnæ publicationem: verosimiliùs tamen est, quòd non sint revocata. Ita Rodriq: Svar Diana, &c.

Probatur *primò*: quia non videtur præsumenda in Pontificibus inconstantia, ut quod hodie concessère, mox alij sinè ratione revocarent. *Secundò*: quia dicit Gre-

gorina

gorius XIII. in sua concessione, quam fecit Jesuitis anno 1551. die 18. Maij; *nulla Societatis facultates censentur revocata per Bullam Cœna Domini*. In hac autem concessione & aliis, communicant Regulares alii: ergo.

9. *Corollarium Privilegii Regul: circa absolutionem suorum subditorum professorum.*

Ex his colligitur: Prælatos Regulares virtute suorum Privilegiorum posse absolvere Fratres à quibusvis Censuris, vel à Jure, vel ab homine, non tamen nominatim, sed generaliter latis. Imò Prælatos inferiores posse absolvere suos subditos à Censuris per superiores Prælatos latis, etiamsi nominati, & declarati fuerint, censuras majores incurrisse, etiam quando essent declarati à Legato, aut Judice Apostolico, vel Episcopo; servatis tamen hisce conditionibus. *Primò*; quòd absolvendus anteà recedat à contumacia. *Secundò*: ut satisfactionem exhibeat, vel præmittat, prout poterit. *Tertiò*: ut Judicem, à quo excommunicatus est, saltem reddat certum de obedientia ei, & Ecclesiæ reddita, & absolutione obtenta. Ita Suar: Rodriq: uterque, Miran: Port: &c.

10. *Privilegium hoc extendit se etiã ad absolutionem Novitiorum.*

DICO quartò: Ab iisdem casibus omnibus, & Censuris possunt Prælati Regulares absolvere Novitios, qui jam susceperunt habitum, vel qui de proximo sunt suscepturi. Ita S. Antoninus, Suar: Brug: &c.

Probatur ex Privilegio Sixti IV. Clementis IV, & Pauli III. *licet debitum*, &c. ergo &c.

11. *Novitii non reincidunt, si contingat eos ex ordine dimitti.*

DICO quintò: Novitii, qui propositum habent perseverandi in Religione, quam suscepêre, & vota emittere sunt parati, absoluti à Censuris reservatis, quàmvis posteà à Religione recedant, in illas censuras non reincidunt. Ita DD: Reg:

Probatur *primò*: ex Privilegio Clementis IV. in Bulla *noverint universi*. *Secundò* ex Bulla Pauli III. *licet debitum*. *Tertiò* Eugenii IV. *Injunctum* &c. Et docet Barthol: de Vecchiis, & alii.

12. *Casus particularis, circa absolutionẽ à Reservatis.*

Nota hìc: Quando in uno Conventu sunt duo tantùm Sacerdotes, unus superior, alter inferior, & sibi injiciunt violentas manus; licèt de jure ordinario unus non possit absolvere: quia ambo sunt excommunicati: tamen dico cum Tabiena, Suar: & aliis, quòd in necessitate possit excommunicatus alium excommunicatum absolvere: quia necessitas non habet legem: & si potest excommunicatus in necessitate absolvere à peccatis, poterit à fortiori à Censuris.

13. *Prælati*

DICO sexto: Prælati Regulares possunt prædictam facultatem absolvendi, tam intra, quàm extra Sacramentum exercere; Item possunt illam delegare cuicunque Confessario Regulari; Item possunt sibi eligere de jure communi Confessarium, tam intra, quàm extra ordinem ad hujusmodi absolutionem obtinendam. Ita Diana, Laymon: Barbosa, &c.

Regul: intra, & extra Sacramentum, possunt absolvere suos à Reservatis, & eligere sibi quemcunq; Confessarium, si incidant in Reservata.

Probatur prima, & secunda pars: quia hujusmodi facultas censetur esse ordinaria, & perpetua, utpote stabiliter dignitati, & officio allegata, ut habet Portel: Sanch: &c. sed habens ordinariam potestatem absolvendi à Reservatis potest illam in & extra Sacramentum exercere & delegare: ergo &c.

Probatur tertia pars ex cap: *ne pro dilatione*, in 5. Decret: tit: 38. c. 16.

QUÆSTIO X.

De Sigillo Confessionis; quo jure obliget; & quæ sub Sigillum cadant?

QUæ secreta esse volumus materiali Sigillo munimus: Ita peccata commissa, ut nemini pateant, præterquam Confessario, Sigillo Confessionali tegimus.

1. *Definitur Sigillum Confessionis.*

DICO primò: Sigillum Sacramentalis Confessionis rectè describitur: quòd sit: *Obligatio, quâ Confessarius tenetur ea tacere, quæ sibi fuerunt manifestata per Confessionem, tendentem ad Sacramentum Pœnitentiæ, saltem secundùm propositum confitentis.*

Probatur: quia constat omnibus requisitis, ad bonam definitionem; explicatq; exactè naturam Sigilli Confessionalis: ergo &c.

2. *Obligatio Sigilli est Juris naturalis.*

DICO secundò: Ad Sigillum Confessionis obligatur Confessarius Jure naturæ, Divino, & Ecclesiastico. Ita Scotus 4. d: 21. q. 2. & communis Theologorum.

Probatur prima pars cum Scoto: quia hoc petit *primò*: Lex naturæ, præcipiens fraternam charitatem, quæ exprimitur Matth: 7. *Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*: sed quilibet vult famam propriam illæsam: ergo eandem debet velle proximo suo Pœnitenti: & consequenter non debet ejus defectus morales destruentes famam revelare, quos sub Sigillo scit. *Secundò*: hoc petit lex naturæ fidelitatem servandam adstruens; quilibet enim debet servare fidelitatem proximo suo, quam vellet sibi servari; sed sibi vellet quis servari secretum: ergo &c. *Tertiò*: hoc mandat lex naturalis pro-

Z z

promissi: quilibet enim de lege naturæ tenetur servare promissum licitum; sed Confessarios promittit, saltem implicitè, servare secretom Confessionis: ergo &c.

3. *Divini.* Probatur secunda pars cum eodem Doctore: Lege Divina Christi tenetur quilibet non retrahere aliquem à Confessione, quæ est juris Divini: sed Confessarius revelans secretum Confessionis retraheret Pœnitentem: ergo de lege Divina nequit revelare. Deinde de Jure Divino nemo debet esse causa, & occasio sacrilegæ Confessionis, ob reverentiam huic Sacramento debitam; sed si Confessarius posset revelare confessa peccata, esset causa facrilegarum Confessionum: ergo &c. Tandem quia Christus statuit arbitrium Pœnitentiæ esse ultimum in terris, quantùm ad illud crimen confessum; ut patet ex illo Matth: 16. *Quodcunque solveris super terram* &c. ergo ibi terminata secretè, non debent ad alium forum publicum deduci: aliàs fieret injuria Sacramento.

4. *Et Humani.* Probatur tertia pars ex cap: *Sacerdos* Dist: 6. ubi ordinatur pœna pro fractoribus Sigilli, & dicitur: *Nam si hoc fecerit* (scilicet fractionem Sigilli Confessionalis) *deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ peregrinando ignominiosè pergat.* Lateranense deinde hanc pœnam in perpetuam inclusionem in aliquo Monasterio, & rigorosissimam annexam aliam Pœnitentiam, mutavit. Alii verò fractores Sigilli, qui Confessarii non sunt, arbitrio Judicis sunt castigandi, ut habet de Graffiis, Bonac: Mascar: &c. ergo est præceptum Ecclesiasticum de servando Sigillo Confessionis.

5. *Quæ peccata in violatione Sigilli concurrant.* Ex dictis colligunt Doctores in fractione Sigilli committi peccatum detractionis, infidelitatis, & Sacrilegii, & quidem semper grave, etsi solùm peccatum veniale detegatur: fit enim semper injuria Sacramento: Unde secundùm Nav: Regin: Henriq: &c. hìc non datur parvitas materiæ.

6. *Obligatio Sigilli Confessionis est de præcepto negativo.* Colligit secundò Doctor Subtilis obligationem celandæ Confessionis esse ad semper, & pro semper: quia est præceptum negativum; Unde non magis licet post mortem confessi revelare Confessionem; quàm eo vivo: quod etiam tenet Faber noster, Hiribarnes, Hiquæos, & alii Scotistæ.

7. *Nec de Pœnitentis licentia licitum est revelare Cõfessionē.* DICO tertiò: Nec quidem de licentia Pœnitentis licitum est revelare Confessionem, & personam. Ita Scotus 4. d. 21, q. 2. Alensis Dur: & Scotistæ, tam veteres, quàm Recentiores, Tatar: Bassolius, Faber, Hiq: Branc: &c. contra Recentiores Moralistas, & ex nostris Pontium, Herinx. &c.

Probatur ratione Scoti: Pœnitens non potest dare licentiam Confessario aperiendi secretum Confessionis Sigillum: ergo Confessarius de ejus licentia nequit revelare Confessionem. Probatur Ant: Sigillum Confessionis, & lex de eo servando, non est introducta in favorem, & gratiam solius Pœnitentis; sed ex Jure totius Ecclesiæ, Communitatis, ne in ea fiat perturbatio ex revelatione, vi cujus quivis reputaret alterum infamem, abominabilem: nam hodie de Petro concipio malam opinionem ob revelatum ejus crimen, cras de Paulo, & sic deinceps: ex quo tandem tota communitas turbaretur: ergo Pœnitens nequit dare licentiam Confessario delegendi peccata.

8. *Nemo Pœnitens potest cedere juri communi de servando Sigillo Confessionis.* DICES, de servando Sigillo, etsi sit jus commune Ecclesiæ, ac Communitatis, tamen pro parte sua huic potest cedere Pœnitens: ergo. Respondeo Neg: Ant: nam sicut Canoni, & Juri communi Clericorum, *si quis suadente* &c. vel Privilegio communi Exemptionis à Jurisdictione temporali, eò quòd conceduntur ob bonum commune statûs Ecclesiastici, non potest cedere privatus Clericus: Ita dicendum de jure communi Ecclesiæ, & Communitatis, circa præsens punctum.

9. *Alia Ratio ad idē.* Probatur secundò: Ex opposita doctrina dareotur plures malorum occasiones: occasio videlicet mentiendi in Confessione, & fallendi Confessarium: nam diffamatus de aliquo crimine, licèt de eo non sit convictus, posset confiteri, negans se tale crimen commisisse, & posteà Confessario licentiam dare, ut Confessionem revelet, ut sic evadat pœnas, qui esset magnus abusus hujus Sacramenti. *Secundò* Judices variis artibus possent inducere homines ad dandam hanc licentiam Confessariis, & modò ita occultò, ut id nec Sacerdos animadvertat, crimina detegere, & ad forum externum deducere; quod esset maximum hujus Sacramenti ludibrium: ergo &c.

10. *Specialis instructio Scoti & S. Bonaventuræ, circa præsentem materiā.* Concludit itaque Scotus, meliùs esse, ut Pœnitens peccata, quæ vellet Confessarium posse manifestare in bonum Pœnitentis, Confessario denuò patefaciat extra Confessionem, ut sic aliâ viâ, & vi alterius scientiæ, quàm habitæ in Confessione, de iis possit loqui. Imò S. Bonaventura hìc, Dist: 21. part: 2. ar: 2. suadet; ut Pœnitens potiùs, quando sibi videtur necessarium pro bono proprio, vel alieno, manifestet aliis peccata sua, quàm Confessario; ne Con-

Confessarius se ingerat periculis, & suspicionibus, & maximè in re dubia, in qua consulere debet reverentiæ Sacramenti, & communi utilitati, quàm privatæ voluntati Pœnitentis; sic enim vitatur scandalum, & non corrumpitur Sigillum Confessionis ter sanctum, & inviolabile.

11. Sub Sigillum cadut omnia manifestata animo se accusandi

DICO quartò: Sub Sigillum Confessionis cadunt omnia, quæ manifestata sunt Sacerdoti per ordinem ad Confessionem Sacramentalem facta animo se accusandi; & inprimis peccata omnia mortalia, etiam in genere, & venialia, saltèm in specie: circumstantiæ item, & objecta peccatorum. Ita Fill: Major: Layman: Her: &c.

Probatur: Si hæc omnia non caderent sub Sigillum, redderetur Confessio summè odiosa apud Christi Fideles; fieretquè magna injuria Sacramento Pœnitentiæ per ejus neglectum; quod cavendum est: argo &c.

12. Etiā mortalia in genere; & venialia in specie.

Dixi *Mortalia etiam in genere*: quia etiam genericè tantùm dicere: Petrus peccavit mortaliter, est Pœnitenti, & Confessioni injuriosum: Dixi etiam *Venialia saltèm in specie*: quia non est contra Sigillum dicere in genere: Paulus est mihi confassus venialia: hoc enim non facit Confessionem odiosam; cùm ordinariè quivis ad minus venialia confiteatur. Idem est, si dicat Confessarius: injunxi Paulo Pœnitentiam levem. Ita Her: & cœteri Doctores. Nota tamen meliùs fore abstinere totaliter à similibus dictis: aut si necessariò loquendum sit de præterita Confessione, magna cautela adhiberi debet, circa ejus modum, qualitatem, & naturam explicandum, ne reddatur odiosa.

13. Imò & dispositio Pœnitentis.

DICO quintò: Etiam dispositio Pœnitentis, v. g. carentia doloris, vel propositi; Item peccatum complicis; vel quodcunque alienum, recensitum à Pœnitente per ordinem ad explicationem proprii peccati, cadit sub Sigillum. Ita Herinx, Malderus, & communis Doctorum.

Probatur; nam si hæc possent revelari pariter redderetur Confessio odiosa; & Sacramento irreverentia procuraretur; quæ semper evitari debent: ergo &c.

14. Defectus pariter naturales in Confessione explicati.

DICO sextò: Etiam defectus naturales, narrati in Confessione ad explicationem peccati, & communicandum statum suæ conscientiæ, cadunt sub Sigillum. Ita communis apud Fill: Suar: &c.

Probatur: quia etiam hi revelati facerent Confessionem odiosam; & irreverentiam Sacramento causarent: ùt si quis occasione sui peccati dicat, se esse natum ex Hebræis; se defectu Natalium esse irregularem: se non esse sufficienter doctum pro Advocato, vel Medico; vel se esse scrupulosum &c. ergo &c.

15. Sicut & publica peccata, Confessioni subjecta.

DICO septimò: Etiam peccata publica, quatenùs in Confessione audita, sunt materia Sigilli. Ita S. Bonav: Aleusis, Laym: Brug: &c.

Probatur: saltèm hæc revelando fieret injuria Sacramento; & redderetur odiosum; etsi Pœnitenti non fiat injuria: ergo &c. Unde nequit Confessarius dicere de publico usurario, talis est mihi Confessus cum magno dolore super sua peccata. Quod si tamen Confessarius sciret aliâ viâ, quàm per Confessionem, Pœnitentem suum esse usurarium publicum, posset de hoc loqui: cantè tamen admodum, & circumspectè, ne suspicionem aliis ingerat usûs notitiæ ex Confessione.

16. Violatur secretum Sacramentale solâ indirectâ notificatione personæ, quæ peccatum est confessa.

DICO octavò: Etiam indirecta, & implicita notificatio personæ confessæ peccatum aliquando, quæ est nata ingerere suspicionem gravem, & non temerariam, violat secretum Confessionis. Ita Herinx, cum communi DD:

Probatur: Pœnitenti æquè onerosum est implicita talis revelatio sui peccati; cùm suspicio sit imperfecta quædam cogitatio, quæ suo modo etiam infamat peccatorem; etsi minùs, quàm perfecta cognitio: ergo revelare peccata nata ingerere suspicionem, est violare Sigillum Confessionis.

17. Cautela specialis pro Confessario.

Ex his infertur: Confessarium debere cavere, ne suspiriis, ne austerioribus gestibus, aut simili modo, durante Confessione ingerat circumstantibus suspicionem alicujus gravis peccati. Item si paucos habeat Pœnitentes; vel in loco non populoso audiat Confessiones, ne de peccatis sibi Confessis multùm loquatur; ob idem periculum suspicionis.

18. Non violatur Sigillum Conf: generali dicto Conf;

Nota tamen: non frangi Sigillum; si quis in tali loco vasto dicat, & populoso, v. g. Pragæ, vel Romæ esse ibi multos graves peccatores vel enormia patrari crimina. Ita Nav: Bona: Henriq: cùm talis locutio, nec reddat Sacramentum odiosum; nec ulli Pœnitenti inferatur injuria.

19. Quando non teneatur Confessarius ad Sigillū?

Nota secundò: Quòd Confessarius non teneatur obligatione Sigilli; quando quis ad ipsum accedit sinè intentione confitendi; tametsi Pœnitens dicat, se hæc, vel illa manifestare sub Sigillo: ùt habet Suarez, Vasq: &c. Item quando Pœnitens accedit, non ut confiteatur; sed ut Confessarium protrahat ad peccatum v.g. ad conspirationem contra Prælatum, &c. Ita Henriq: Soto;

Soto; Regin: Onophrius. Ratio est, quia non intervenit vera Confessio, sigillanda Sigillo.

20. *Confessarius interrogatus à Judice de peccatis, potest ea negare licitè.*

Nota tertiò: si Confessarius à Judice examinetur de crimine in Confessione audito; potest constanter negare, & si opus sit, etiam jurare, se nil scire; Subintelligendo mentaliter, tanquam personam privatam; quamvis hoc sciat, tanquam Ministet Christi: Ita Nav: Valent: Gabriel: &c. Et est ratio: quia hìc Judex injustè interrogat; ideoque ei potest responderi cum restrictione mentali.

QUÆSTIO XI.

Quæ Personæ obligentur ad Sigillum Confessionis? Ubi de usu Scientiæ habitæ in Confessione?

1. *Enumerantur personæ, quæ ad Sigillum Confessionis tenentur.*

Nota primò: Quatuor genera personarum ad Sigillum Confessionis obligari. *Primò*: Confessarius: adhunc reducitur superior, quando ab eo petitur licentia absolvendi à reservatis; tum quia in hac parte gerit vices Confessarii; cùm ad ipsum causa deferatur: Tum quia res ad quemcunque perveniat, cum eodem transit onere: cap: *Pastoralis*, *de Decimis*: Ita etiam Nav: Lazarius, Coninck, &c. *Secundò*: tenetur ad Sigillum Interpres. Ratio est: quia sicut interpres recognoscit peccatum Pœnitentis, per ordinem ad Confessionem; ita afficitur effectu Confessionis, scilicet Sigillo: Ita Vasq: Regin: Nugnus &c. Huc referendi sunt adstantes; qui vel casu; vel ex malitia; & industria audiunt peccata Pœnitentis; vel vocem Confessarii: Ita Richardus, Adrian: &c. *Tertiò*: tenetur ad Sigillum ille, cui Pœnitens bonâ fide confitetur, existimans eum esse Sacerdotem; cùm non sit: Item Consiliarius, quem de licentia Pœnitentis consulit Confessarius. Ita S. Thom: Sà, Sylv: Soto, &c. Ratio est: quia nisi hi omnes obligentur ad Sigillum, Sacramentum redderetur odiosum: argo &c. *Quartò*: Tenetur etiam is, cui Confessarius sacrilegus revelavit peccatum alteriùs. Itaque est Regula generalis in hoc puncto; *quòd omnis notitia habita ex Confessione sive mediatè sive immediatè transeat ad quemcunque sub eodem onere, & maneat sub Sigillo.* Ita Scotus, Sylv: &c.

2. *Inveniens Confessionem scriptam non propriè tenetur ad Sigillum.*

Nota secundò: Qui Confessionem scriptam invenit, non propriè adstringitur ad Sigillum Confessionis: Ratio est: quia obligatio Sigilli propriè dependet ex inchoata Confessione, & ex eis, quæ Pœnitens aperuit Confessario, per ordinem ad Confessionem, animò se accusandi: Inventor tamen talis scriptæ Confessionis ad arctissimum secretum naturale tenetur; ita ut peccet mortaliter, si evulget peccata, lecta in illa scriptura. Neque etiam Judex, vel Prælatus ex sola tali notitia ad criminis inquisitionem; aut punitionem accedere potest; vel si processus jam est institutus, rescindi eum, & pro infecto haberi oportet. Ratio est: quia licèt hujusmodi scriptura non sit Confessio Sacramentalis; est tamen via ad eam; ceditque in Sacramenti reverentiam. Ita Nav: Bonac: &c.

3. *Prima Regula generalis circa usum scientiæ habitæ ex Confessione.*

Nota tertiò: tres ferè certas Regulas assignari à Summistis, ad cognoscendum, quando, & quomodò liceat, vel non liceat, uti notitia habita in Confessione.

Prima Regula Generalis est: *Si usus notitiæ fit cum periculo morali revelationis directè, vel indirectè, non est licitus.* Ex hac Regula sequitur: quòd superior audiens Confessionem sui subditi, non possit illum ita deinde gubernare, ut alii possint suspiciari peccatum illius in specie, vel in genere: unde ei nequit auffarre aliquod officium, aut mutare de loco ad locum, ex sola notitia Confessionali: Dicit tamen Scotus 4. d. 41. Quòd si in Monasterio, vel Provincia sit consuetudo communis amovendi aliquem pro libitu; sicut est in Ordine nostro Seraphico, tunc potest superior subditum sibi Confessum crimina commissa in aliquo loco, ubi moratur, mutare, vel amovere ex loco, aut officio. Ratio est: quia ex hoc non sequitur revelatio Confessionis: & amotio non habet rationem pœnæ; sed debitæ præventionis in salutem proximi: Ita etiam sentit S. Bonav: S. Thom: Richardus, &c. Verumtamen ego judico, esse servandum Decretum Clementis VIII. quoad casus reservatos, alibi relatum; in quo dicitur; *Caveant diligentissimè Superiores, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in Confessionibus habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.*

4. *Secunda Regula generalis.*

Secunda Regula est: *Quandocunque facta possunt esse signa æquivoca, vel indifferentia, tale factum non debet reputari revelativum Confessionis; adeòq; tale à Confessario poni potest; licèt etiam aliquibus, temerè suspicantibus, ingereret suspicionem.* Ita Scotus cit: Hiquæus, Laym: &c. Do exemplum: Complex latronum volentium occidere Sacerdotem in nemore, est confessus, esse positas

positas insidias Sacerdoti in nemore; potest Sacerdos abstinere ab ingressu nemoris: quia ille oon ingressus est ex se signom æquivocum, ac indifferens; & potest oriri ex alio motivo, quàm Confessionis: Et hoc est verum, etiamsi socii latrones suspicenter, latrooem confiteotem esse confessum illas insidias: quia onllæ adsunt circumstantiæ, per factum Sacerdotis adjunctæ, quæ declareot, ejus intentionem conceptam esse præcisè ex scientia Confessionis; cùm possit concipi talis intentio ex multis aliis motivis: Unde communis est doctrina; quando ex natura actùs non sequitur illa suspicio; nec seqbitur præjudiciom Pœnitentis. Alius casus: aliqui intoxicàrunt vinum, in quo vult consecrare Sacerdos; hoc quidam eorum Sacerdoti est confessus; potest tunc Sacerdos uti ea scientia Confessionis, tamen alias occasiones simulando, & non celebrare: v. g. potest simulare dolorem stomachi; vel accipere in maoibus vasculum, & permittere quasi casu cadere in terram, vel ob negotium incidens alio pergere.

5. Tertia Regula generalis.

Tertia Regula: *Quando ex Usu notitia Confessionis nulla sequitur directa, vel indirecta revelatio; nec morale periculum ejus; nec aliquod injustum gravamen Pœnitentis; potest esse licitus talis Usus.* Do Exemplum: Confessarius orat post Confessionem pro Pœnitente; consulit virum doctum; ædificat murum; claudit januam, ne servus nocte egrediatur ad fornicandum; diligentiùs custodit seipsum; vel qoid simile facit, quod ex se non est revelativum directè, vel indirectè Coofessionis; nec affert damnum Pœnitenti, non frangit Sigillum Confessionis: Ita Sylv: Nav: Fill: &c.

6. Ad salvandum integrum Regnum nequit Confessarius uti scièntia Confessionis, cum periculo revelandi Pœnitentem.

Nota quartò: Confessarium non posse uti scientiâ Confessionis cum periculo revelatinois Pœnitentis, directâ, vel indirectâ, ad tuendum bonum temporale, etiam integræ Civitatis; imò totius Mundi; aut etiam ad tuendum bonum spirituale Ecclesiæ totius. Ita Scotus 4. d. 22. q. 2. Suar: Regin: Bonac: Henriq: Mastrius, & alii Summistæ, ac Scholastici. Ratio est: quia aliàs injuria fieret Sacrameoto; Confessio enim fieret odiosa, & Fideles ab hoc Sacramento retraherentur: Et quia nullū est tam grave malum, quod præponderet fractioni Sigilli Confessionis, quæ ex Dei præcepto, ad reconciliationem hominis cum DEO est necessaria.

7. Quid faciendum Confessario, qui vi Confessionis nosset imminere grave damnum urbi.

Hinc sequitor: Confessarium, qui ex Confessiooe novit proditionem immioere Civitati, vel periculom hæreseos, non posse hæc manifestare: sed potiùs debet obligare Pœnitentem, ut Superiori, vel Judici competenti denunciet machioantes perniciem Reipublicæ, vel Hæreticos latentes. Ita cit: Doctores.

QUÆSTIO XII.
De Officio; & Obligationibus Confessarii.

1. Confessarius debet esse Sacerdos, & Jurisdictione non impeditâ pollens.

Nota primò: In Confessario *primò* necessarium esse Ordinem Sacerdotalem, de quo alibi. *Secundo*: Necessaria est Jurisdictio; de qua suprà, dist: 11. q. 1. *Tertiò*: Est in Coofessario necessarius usus Jurisdictionis non impeditus: impeditio autem hæc accidere potest; vel ob reservationem peccati; vel ob excommunicationem, & suspensionem denunciatam Sacerdoti.

2. Confessarius quà Doctor quatuor nôsse debet.

Nota secundò: Confessarium triplicem personam gerere, Doctoris, Medici, & Judicis: graviter proinde peccat Confessarius, qui ùt Doctor requisitâ scieotiâ non instructus munus Confessarii suscipit, vel exercet; ùt habet communis Doctorum. Scientia autem requisita, & sufficiens in quinque potissimum consistit. *Primò*: ut sciat, quid sint Sacramenta; quæ materia eorum; quæ forma; quis Mioister; & effectus. *Secundò*: ut in particulari sciat partes Pœnitentiæ, contritionem scilicet; Confessionem; & Satisfactionem; absolutionem; aliaquè plura hoc Sacramentum concerneotia: *Tertiò*: de Matrimonio, quid sponsalia operentur; quam obligationem inducant; quæ sint Matrimonii impedimenta dirimentia; & quæ non dirimentia. *Quartò*: usuram, & nonnullos contractus, ut emptiooē, & venditionem; ceosum; cambium; Societatem; & similes debet novisse. *Quintò*: Simoniam, propter Ecclesiasticas personas, debet pariter cognovisse.

3. Confess: quà Medicus debet scire dispositionē Pœnitentis.

Nota tertiò: Confessarius deinde, *ùt Medicus*, scire debet dispositionem necessariam in Pœnitente; quæ explorari potest ex tribus: ex dolore; proposito; & iotegritate Confessionis: quæ qualia esse debeant dixi suprà d. 7. q. 3. & d. 10. q. 5. Circa tamen propositum in Pœnitente requisitum, addo sequentia: Unde

4. Qualiter debeat Cōfess: absolvere obnoxium restitutionis

Nota quartò: Quòd Confessarius illud sufficienter cognoscet; si Pœnitens dicat se habere propositum non peccandi ampliùs: in particulari autem, si Pœnitens sit obnoxius restitutionis faciendæ, debet constare ante absolutionem Confessario, ipsum habere propositum restituendi; & tunc pro prima, & secunda vice potest eum absol-

tur potentes licitè reservare casus. Ecclesia; Episcopus pro sua Diœcesi; & Capitula Generalia, ac Provincialia Religiosorum pro toto Ordine, & Provincia, sibi reservare possunt quosdam casus. Ita communis Doctorum.

Probatur *de Papa*: Hic enim hujusmodi Authoritatem accipit Jure Divino in sua electione, tanquam Christi Vicarius in terris; ùt patet ex illo scripturæ textu: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælo* &c. ergo &c. Probatur *de Episcopis*, his enim tanquam majoribus, & ordinariis animarum Directoribus summè necessaria est hujusmodi Authoritas, pro salutari suarum Diœcesium regimine: ergo &c. Probatur *de Capitulis Generalibus, & Provincialibus*; ex dispositione facta à Clemente VIII. per specialem Bullam anno 1593. & Urbano VIII. Et est ratio eadem pro ipsis, quæ pro Episcopis.

3. *Reservatio supponit mortalem culpam in casu reservato.* DICO tertiò: Ut casus aliquis licitè reservetur ab habente Authoritatem reservandi; debet involvere peccatum mortale. Ita Herincx. Brug: & communis DD:

Probatur: Venialia nemo tenetur necessariò confiteri; neque eorum reservatio notabiliter conducit ad regimen animarum: ergo ut reservatio licitè fiat, debet mortale involvi in casu reservato.

4. *Et quidem gravioră.* DICO quartò: Mortale, quod casum reservatum facit, debet esse de gravioribus, & atrocioribus criminibus. Est communis apud Casuistas, & insinuatur à Trid: Sess: 14. cap: 7.

Probatur: potestas reservandi peccata, non est potestas absoluta à solo libitu reservantis pendens; sed respicit causam aliquam utilitatis, aut necessitatis disciplinæ populi Christiani; utpote *data*, ùt inquit Tridentinum, *in ædificationem, & non destructionem*: ergo mortale reservatum debet esse de gravioribus criminibus, lædentibus disciplinam Christianam.

5. *Clemens VIII. limitat Authoritatem Reg: Prælatorum circa reservata.* Et ideò summi Pontifices, specialiter Clemens VIII. *in suo Decreto*, edito anno 1593. 26. Maij, restrinxerunt potestatem Prælatorum Regularium, tam Provincialium, quàm Generalium, ut non possint posthac alios, quàm undecim casus, à se specificatos, & infrà examinandos, reservare: si verò velint quosdam alios adjungere; id necessariò fieri debeat, de Capituli Generalis consensu pro toto ordine, vel Provincialis Capituli pro Provincia hac, vel illa.

6. *Unde gravitas criminum sumenda.* Nota autem: criminum gravitatem, & atrocitatem non tantùm dijudicandam, & desumendam fore à malitia peccati in se; sed etiam à consequentia, & effectibus malis: puta si per ea invehatur grave detrimentum disciplinæ Christianæ; aut vergant notabiliter in animarum dispendium.

7. *Peccata reservata debent esse completa opere.* DICO quintò: Peccata mortalia gravia non censentur Reservatione Prælati comprehensa; nisi fuerint opere consummata. Ita Finellus, Sylv: Henriq: de Graffiis, &c.

Probatur: quia crimen non intelligitur, nisi sit opere consummatum, juxta cap: *hæc autem*, Dist: 1. *de Pœnit*: Nam attentatio homicidii, non est homicidiū: ergo nec censebitur peccatum reservatum; nisi fuerit opere consummatum.

8. *Non debent esse purè interna.* DICO sextò: Peccata merè interna gravia reservari quidem possunt; in usu tamen non est, nec expedit ea reservare. Ita Major: Conink, Henriq: Finellus, &c.

Probatur: quia hujusmodi internorum actuum reservatio non est ita necessaria ad Ecclesiæ gubernationem; quippe quæ externa potissimè spectare solet. Si tamen pro Ecclesiæ regimine necessaria foret eorum reservatio, utiliter eam statueret superior: sicut Ecclesia fructuosè solam hæresim mentalem, & purè internam excommunicatione castigat, ùt patet ex cap: *si quis per stipendium*, Dist: 3. & doceo Tract: de Legibus Dist: 3. quæst: 5.

9. *Communiter Episcopis reservatur homicidium.* Nota secundò: ex communi Ecclesiæ consuetudine reservari Episcopis homicidium voluntarium, quamvis occultum. De cæteris peccatis non consentiunt Doctores, quænam consuetudine, vel communi Jure Episcopi sibi reservare soleant, ùt videre est apud Sylv: & Navarrum, &c. quare cujuslibet Episcopatûs statuta erunt consulenda à Confessariis, ibidem absolventibus.

10. *Quot modis fiat Reservatio Casuum?* Nota tertiò: Casuum Reservationem fieri diversis modis: aliquando fit soli Episcopo; & colligitur ex hac, & similibus clausulis Reservationis, *Casus nobis reservati*. Aliquando fit Dignitati: & colligitur ex hac, & æquipollentibus clausulis, *Casus curiæ, vel sedi Episcopali reservati*. Aliquando Episcopis in Synodis Diœcesanis. Si reservantur per primum modum, reservatio expirat morte reservantis: Ratio est; quia est facta ab hoc individuo. Si autem reserventur Episcopis, vel Curiæ, vel Sedi, non expirat. Ratio est, quia est. qui succedat loco hujus Episcopi; & Curia ac sedes Episcopalis manet stabiliter.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De Absolutiòne à Reservatis.

1. *Recensentur Personæ potentes absolvere à Reservatis.*

DICO primò : à Reservatis casibus possunt absolvere soli sequentes : Reservans, successor Reservantis, superior Reservautis, & Delegatus. Ita communis Casuistarum.

Probatur *de Reservante* ; qui ponit legem, potest dissolvere legem : nam *res per quas causas nascitur, per easdem destruitur*, iuquit Regula Juris; argo & qui reservat casus, potest ab eisdem absolvere. Probatur *de successore* : subrogatus naturam sapit ejus, iu cujus locum subrogatus est. L. *si enim* §. *qui injuriam.* ff. *si quis cautionibus* : ergo successor potest absolvere à Casibus Reservatis sui antecessoris. Probatur *de Superiore* : Hic eminenter continet authoritatem inferiuris, v. g. Papa Authuritatem omnium Episcoporum : ergo talis potest Casus Reservatos absolvere. Probatur *de Delegato* : Hujusmodi induit personam Reservautis quòad hoc ; ergo pariter potest â Reservatis absolvere. Inter Delegatum tamen, & Reservantem, hæc est differentia, quod Reservans possit extra Sacramentalem Confessionem tollere Reservationem, concedendo alijs plenam potestatem absolvendi : nun sic Delegatus, qui semper iu Coufessione debet absolvere : nisi fortè peccatum esset Reservatum ratione Censuræ à quâ Censura posset absolvere extra Confessionem, in viam suæ delegationis.

2. *Episcopi, & Vicarii eorum, ab occultis casibus Papalibus possunt ab solvere.*

DICO secundò : Episcopi eorumque Vicarii, itam Capitulum sede vacante, possunt absolvere ab omnibus casibus, & Censuris Papæ reservatis, occultis tamen : exceptis Casibus Bullæ Cœnæ. Ita Hugol: Henriq: Reginaldus, Garc. de Grassiis, & communis.

Probator textu Trident: sess: 24. cap. 6. de Reformatione ; *liceat*, inquit Concilium, *Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio &c. voluntario illicito ; & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum dispensare : & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolica reservatis, delinquentes quoscunq; sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum in foro conscientia, gratis absolvere, impositâ pænitentiâ salutari* : ergo &c.

3. *Ipso Jure etiam ali- quando aufertur reservatio Casuum.*

Nota primò : uou tautùm per absolutionem Reservautis, superioris, successoris, & Privilegiati ; sed etiam ipso jure quandoq; auferri Reservationem : Et quidem iu solis 4. sequentibus casibus. *Primò* : quando Reservans revocat per Constitutionem vel litteras Reservationem. Nac refert, quòd quis ante promulgatam revocationem iucidarit iu reservatum casum ; poterit enim ab hoc post revocationem à quovis Confessario absolvi : Ratio est ; quia reservatiu non afficit ipsum delictum sed Jurisdictionem Confessarii. *Secundo* : quando antequam Pœnitens absolvatur, mortuus est Episcopus, sibi præcisè reservaris casum, uon sedi, vel curiæ Episcopali. Ita Hugol: Qvaranta, &c. *Tertiò* : Quando Reservaus est privatus Jurisdictiunis usu per suspensionem ab officiu, vel per Excommunicationem, ùt habetur cap: *ad probandum de Sent: & rejudicata. Quartò* : Quandu quis ligatus Reservatione Casûs aliò dumicilium transfert, ubi ille casus non est reservatus. Ratio est, quia desinit esse subditus.

4. *Justis de causis non potens accedere Reservanti, à simplici Confessario à Reservatis absolvi potest ; sed cum onere comparendi.*

DICO tertiò : Quando ub justas, & rationabiles causas non patet aditus ad superiurem Reservantem, vel ejus Delegatum ; aut nou uisi cum gravi difficultate, longa mora, aut detrimento gravi : potest Confessarius inferiur indirectè absolvere à Casibus Reservatis, iuposito ouere Pœnitenti, comparendi tempore oportuno, & cessantibus impedimentis, coram superiore, vel Delegato. Ita TT; communiter.

Probatur : Diversis Canonibus, in quibus permittitur Episcopis, posse absolvere ab excommuuicatione aliàs Papæ reservata de pèrcussione Clerici, ob justas causas : sic habetur cap: *de cætero* l. 5. Decret: tit: 39. Et cap: *Mulieres* : ergo à pari hoc idem dici puterit, de aliis Reservationibus.

Probatur secuudò ratione : quia Ecclesia est pia Mater, quæ proinde suis decretis, & Reservationibus nou censetur velle ubligare Fideles cum gravissimo onere, coram se, vel majoribus suis superioribus ad comparendum. In tali ergo circumstautia Casus Papalis sit Episcopalis.

5. *Quæ sint justa causa, ut simplex Sacerdos à Reservatis possit absolvere?*

Causæ autem justæ rationabiles excusantes censentur esse ; si quis v. g. sine nota, scandalu, infamia, dicteriis, suspicionibus, aut similibus, nun possit à Sacra Communione, Missæ Sacrificio, vel Sacramentorum administratione abstiuere ; nec habeat tuuc ad mantum aliquem potentem à Reservatis absolvere.

6. *Sufficiens comparitio coram Ordinario, quæ sit?*

Quæres : Qualis debeat esse comparitio coram superiore, quæ per modum oneris imponitur Pœnitenti, ab illo Confessario tempore necessitatis, val alterius justæ causæ, qui non habet facultatem tol-

lendi Reservata? Respondeo sufficere; si Petrus v. g. compareat coram Episcopo, & dicat se esse irretitum casu Reservato; & ideò coram eo comparere, sinè ulla specificatione casus; tunc Episcopus sinè ulla absolutione Sacramentali potest ab eo Reservationem auferre, & ad alium simplicem Confessarium remittere pro Sacramentali absolutione. Ratio est: quia, qui potest reservare, uti est Episcopus, potest etiam Reservationem tollere, cum omni onere inde resultante: ergo & cum onere specificandi casum.

7. Et quæ coram Delegato.

Si verò compareat coram Delegato tantùm, non satisfacit oneri de comparendo; nisi specificet casum; Ratio est: quia hic solam participat authoritatem impendendi absolutionem Sacramentalem; in cætera autem onera nil potest. Eadem ratione potest fieri comparitio coram superiore ordinario per litteras, ut alteri suam authoritatem deleget; non item coram Delegato. Idem dic de tertia persona interposita puta Confessario.

8. Qualiter se ipse Confessarius Reservantem accedens gerere debeat?

Nota hic: Si Confessario pateat facilis aditus ad Reservantem, potest ipsemet eum accedere, & petere facultatem absolvendi à Reservatis, tacito tamen nomine: si verò sit aliqua difficultas, potest per litteras petere, vel absolvere per Epikeiam, cum onere comparendi. Si Confessarius ipsemet accedat, non tenetur explicare se priùs per Epikeiam absolvisse cum onere comparendi; sed sufficit simpliciter petere authoritatem. Ita Marchant: noster &c.

9. Superior debet Confessario petenti facultatem super Reservata, concedere.

DICO quartò: tam Regularis superior, quàm sæcularis, tenetur concedere authoritatem absolvendi à Reservatis Confessario, eam postulanti; nisi subesset multùm rationabilis causa, v. g. bonum, & salus Pœnitentis, ad ei benè consulendum quoad animam, ut ipsemet absolvat pœnitentem.

Probatur prima pars *de Regulari Prælato*, ex Decreto Clementis VIII. edito anno 1593. hoc statuente. Et ratio est: quia aliàs daretur occasio reticendi peccata cum irreverentia Sacramenti; & Sacramentum redderetur grave nimis.

10. Nisi salus Pœnitentis aliud requirat.

Probatur secunda pars: quia ad salvandam animam subditi quandoque etiam meliùs est, ut Ordinarius ipsemet cognoscat qualitatem Reservati criminis: ergo &c.

11. Peccat mortaliter negligens comparitionem.

DICO quintò: Qui sciens, & volens sinè rationabili causa differt comparationem, peccat mortaliter.

Probatur: quia exponit se periculo gravi omissionis hujus oneris, quod pro favore acceleratæ absolutionis in se assumpsit: ergo &c.

12. Quinam actus in accessu ad Reservantem, vel Delegatum ejus cadāt sub sigillo Confessiones.

Nota hic: quòd non omnes actus, qui interveniunt in accessu, vel comparitione ad Superiorem, vel ejus Delegatum, sint Sacramentales; sed tantùm illi, qui ad Sacramentum ordinantur: proinde soli secundi cadunt sub sigillum Confessionis: actus autem primi sunt v. g. ex parte Pœnitentis comparitio ad postulandam Authoritatem; vel auferendam Reservationem; vel eligendum Confessarium, &c. & prædictorum concessio ex parte superioris; quales fieri solent extra Sacramentum.

13. Confessarius tenetur aperire casus Reservanti petenti eos scire; non verò personas.

DICO sextò: Si superior reservans petat, & urgeat sibi casus aperiri, potest, & debet Confessarius aperire illos; nullatenùs tamen personam manifestare potest; imò debet casum tacere; si ex ipsius expressione persona manifestaretur. Ita idem Marchant: & alii AA.

Probatur: quia superior habet jus ad cognoscendum de materia reservata; sive ad prudenter delegandum; sive ad taxandas Pœnitentias pro salute Pœnitentis, non tamen habet jus in ipsam personam; nisi quando illa voluntariè præsentatur: ergo &c.

14. Oblitus Reservati casûs in Confessione, facta corā habente potestatē, potest deinde à quovis absolvi.

DICO septimò: Qui in Jubilæo superiori; vel aliteri habenti potestatem absolvendi à Reservatis, fuit confessus; imò etiam probabiliter extra Jubilæum; si sinè culpa aliqua Reservata omisit; potest deinde à quolibet approbato Confessario absolvi. Ita Marchant: Her: & alii DD:

Probatur: Quia Superior, vel alius habens potestatem absolvendi à Reservatis, censetur velle uti totâ suâ potestate tempore Jubilæi: imò & aliàs ergo & tollere omnia Reservata, etiam oblita inculpabiliter.

15. An recidivans tempore Jubilæi possit pluries absolvi à Reservatis?

DICO octavò: Est probabilis opinio, quòd qui tempore Jubilæi sæpiùs in Reservata labitur; quamdiu necdum per executionem omnium operum requisitorum Jubilæum est consecutus, possit toties, quoties absolvi: Opposita tamen est probabilior.

Probatur prima: quia Jubilæi potestas est ampla; nec ad unam, vel alteram Confessionem adstringitur: Unde qui vult Jubilæum consequi uberiùs potest per utramque hebdomadam ita sua opera distribuere, ut in fine secundæ ultimum opus perficiat; & sic frequentiùs poterit absolvi: ergo &c. Secunda probabitur infrà dist. 13. q. 4.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

Adduntur quædam Reſolutiones circa abſolutionem à Reſervatis.

1. *Sinè cauſa nequit Confeſſarius ſimplex abſolvere à non reſervatis, & pro reſervatis mittere Pœnitentem ad alium.*

DICO primò; ſeclusâ neceſſitate, vel rationabili causâ, nequit Confeſſarius non habens Authoritatem ſuper Reſervata, abſolvere Pœnitentem à non Reſervatis, ipſumq; mittere ad ſuperiorem pro Reſervatis. Ita Ledesma, Vaſ: Conink, Henriq. &c. contra Cajet: Nav: Val: Sà, & alios; quorum ſententia etiam eſt probabilis.

Probatur: ſimplex Sacerdos nequit abſolvere pœnitentem habentem venialia, & mortalia; à ſolis venialibus, & pro mortalibus remittere ad Confeſſarium approbatum, defectu Jurisdictionis. ergo neq; Confeſſarius non habens Authoritatem ſuper Reſervata, poterit abſolvere à ſolis non Reſervatis, Pœnitentem mittere ad Superiorem pro Reſervatis, præcisâ neceſſitate.

2. *Habens Reſervata, et non Reſervata, tenetur omnia ſimul confiteri ſimplici Sacerdoti, ſi ad S. Communionem ſumere oporteat.*

DICO ſecundò: Pœnitens habens Reſervata, & non Reſervata; dum non habet copiam Confeſſarii, præditi poteſtate, in Reſervata, & non poteſt abſq; ſcandalo omittere Euchariſtiæ ſumptionem; tenetur Reſervata, & non Reſervata, ſimul confiteri Confeſſario, non habenti authoritatem abſolvendi à Reſervatis. Ita communis Doctorum.

Probatur: quia cap: *omnis utriusq; Sexûs*, dicitur: ut omnia peccata ſaltèm ſemel in anno quivis confiteri teneatur proprio, vel alieno Parocho de licentia Ordinarij: Habétq; Tridentinum ſeſſ: 14: cap. 5. Et quia Confeſſio ſi fiat, debet integra eſſe, jure Divino: ùt habet Nav: Regin: Henriq: &c. hìc autem fieri debet: ergo &c: Oppoſita tamen ſententia aſſerens Pœnitentem non teneri aperire reſervata illi Confeſſario communi, etiam eſt probabilis: & eſt Hugolin: *de Officio, & poteſtate Epiſcopi*, cap: 40. Toleti, Gerſonis, Fill: &c.

3. *Secùs ſi habeat ſola Reſervata, & putet ſe eſſe contritū.*

DICO tertiò: habens ſola Reſervata, & non alia mortalia, ſi urgeat neceſſitas Communionis, & non poſſit adiri Reſervans, vel ejus Delegatus, non eſt obligatus communi Confeſſario confiteri, ſi ceſſet ſcandalum, & communicaturus exiſtimet ſe eſſe contritum. Ita Svar: diſ: 30. Sect: 5. Brugnoli, &c.

Probatur ex communi Caſuiſtarum Regula: *Nemo tenetur per ſe idem peccatum bis confiteri*: uti docet Nav: in cap: *Placuit* n. 23. & alii Doctores: talis autem in oppoſita ſententia teneretur idem peccatum bis confiteri, videlicèt, communi Confeſſario, & Superiori: ergo &c.

4. *Reſervans aut audiat Confeſſionem integram Pœnitentis, aut tollat reſervationem extra Confeſſionem.*

Nota primò: convenientiſſimum eſſe, ut Reſervans, ſi judicat expedire, ut ipſemet abſolvat à Reſervatis, audiat integrā Pœnitentis Confeſſionem, & tunc abſolvat ſimul à Reſervatis: quòd ſi ob gravia negotia non poſſit; tunc jubeat ſibi explicari Reſervatum peccatum ſub ſigillo ſecreti, & poſtea Reſervationem, vel Cenſuram tollat ſinè Sacramentali abſolutione, injunctâ ſatisfactione: quo caſu peccatum illud unà cum alijs mortalibus inferiori Sacerdoti in proxima Confeſſione explicandum erit, ad accipiendam Sacramentalem abſolutionem. Ita Dur: & Adrian: in 4.

5. *Caſus quidam, quo licitum eſt audire ſola Reſervata, & ab eis abſolvere.*

Nota ſecundò: ſi verò Pœnitenti grave nimis foret, Reſervanti extra Sacramentum Pœnitentiæ manifeſtare caſum Reſervatum; & Reſervans ob juſtum grave impedimentum, nequeat Confeſſionem integram audire; inſuper judicet non eſſe delegandam hìc & nunc poteſtatem alteri; his concurrentibus circumſtantiis, poteſt Reſervans ſola reſervata audire, & ab ijs etiam Sacramentaliter abſolvere, ita ut abſolutio directè cadat ſuper Reſervata & indirectè ſuper alia non Reſervata. Ita docet Palud. Sylv: verbo *Confeſſio* 1. q. 19. Medin: Cajet. &c. Et ratio eſt: quia hìc moralis impoſſibilitas omnia audiendi excuſat dimidiationem Confeſſionis.

6. *Stante dubio facti, cadente ſuper Reſervationem, poteſt quivis Confeſſarius abſolvere à reſervato.*

DICO quartò: Quilibet Sacerdos approbatus poteſt in dubio facti, cadentis ſuper Reſervationem, abſolvere v. g. qui dubitat ſe homicidium commiſiſſe, vel compleviſſe peccatum Reſervatum, poteſt à quolibet approbato abſolvi. Ita Bonac: Svar: Henriq: &c.

Probatur: quia in dubijs eſt melior conditio poſſidentis: Confeſſarius autem approbatus eſt in poſſeſſione ſuæ Jurisdictionis, de qua eſt certus; quòd autem peccatum ſit Reſervatum, eſt incertum: ergo &c.

7. *Secùs, ſi adſit ſufficiens præſumptio in contrarium.*

DICO quintò: Quando in dubio facti adeſt ſufficiens præſumptio in contrarium, qualis eſt, ſi quis v. g. exteriùs proferat hæreſim, & poſtea dubitet an illam ex animo protulerit; non poteſt abſolvi à Confeſſario ſimplici.

Probatur: quia hìc Pœnitens præſumitur incurriſſe Excommunicationem Reſervatam, latam contra hæreticos; nam poſſeſſio ſtat pro Hæreſi, quam conſtat eſſe pro-

prolatam exteriùs, & forum exterius judicat hunc Hæreticum, præsumens propositionem hæreticam protulisse animo consentiente; cùm nullus præsumatur dicere, quod in corde non habet: ergo &c.

8. *Confessarius dubitans de sua facultate super Reservata nequit absolvere ab eis*

DICO sextò: Sacerdos qui propriè dubitat se jurisdictionem habere in Reservata, non potest absolvere ab iis. Ita Sanch. Svar: Henriq: &c.

Probatur: quia hic possessio stat pro peccatis, quæ constat esse Reservata. Interveniente tamen necessitate, vel rationabili causâ, potest indirectè, vel sub conditione absolvere; Ratio est: quia tunc utiliter gerit negotium Pœnitentis: nulliq; facit Injuriam: ergo &c. Debet tamen admonere Pœnitentem, ut oblatâ opportunitate privilegiati Confessarii, confiteatur eadem peccata.

9. *Si autem opinionē probabilē habeat de ea, potest absolvere.*

DICO septimò: Sacerdos, qui non propriè dubitat, sed potiùs opinionem habet probabilem de Jorisdictione, potest absolvere; v. g. ille qui sequitur opinionem asserentium Doctorum, privilegium absolvendi à Reservatis, non esse revocatum, etiamsi fortè opinio illa probabilis à parte rei non subsistat, sed falsis realiter nitatur principiis. Ita Less: Henriq: Con: &c.

Probatur: quia interveniente probabili opinione, Ecclesia supplet Jurisdictionem: sicut eadem supplet, quando aliquis titulo colorato, & errore communi vulgi habetur pro legitimo Judice, vel Parocho, quamvis re ipsâ Judex, vel Parochus talis non sit: ergo &c.

10. *Effectus diversi invalidæ absolutionis à Reservatis.*

Nota tertiò: Quòd Sacerdos absolvens finè facultate à Reservatis Papæ, vel Episcopo, *primò* committat mortale peccatum. *Secundò*: absolutio est nulla. *Tertiò*: Excommunicatione Papæ reservatâ innodatur. *Quartò*: ipso facto, Officiis, dignitatibus, & beneficiis quæ habet, privatus est; nec non ad quæcunque Officia, Præfecturas, & beneficia inhabilis efficitur. His pœnis etiam afficiuntur Regulares, ùt patet ex Decreto S. Congregationis, sub Clemente VIII. edito. In quatuor tamen casibus non incidit in dictas pœnas Regularis, absolvens finè facultate. *Primò*: quando absolvens probabiliter ignorat casum esse Reservatum à quo absolvit defectu sufficientis explicationis Pœnitentis: secùs est, si ex ignorantia affectata eum ignoret: *Secundò*: si absolvens probabiliter putet se posse absolvere; quamvis postea advertat se non potuisse. *Tertiò*: qui in dubio facti absolvit: de quo supra. *Quartò*: non incidunt in dictas pœnas Confessarii Romanæ Vrbis & qui extra Italiam degunt; quia Decretum ad hos ex suo tenore non extenditur.

11. *Malè absolvens debet denuò etiam absentem absolvere obtentâ facultate.*

Nota quartò: Confessarius malè absolvens à Censuris, debet etiam absentem deinde absolvere, obtentâ facultate. Ita Nav. Con: Vasq: Ratio est: quia absolutio censurarum fieri potest in absentem, ignorantem, & existentem in mortali.

12. *Instructio Confessarii qui malè absolvit Pœnitentē.*

Nota quintò: Quando Pœnitens malè absolutus, jam recessit à conspectu Confessarii; tunc tenetur Confessarius eum admonere, vel saltèm curare, ut iterum sibi confiteatur ea peccata, quæ comisit ab ultima Confessione sibi facta; simul etiam curando, ut Pœnitens se accuset in communi de peccatis aliàs confessis, si tamen Confessarius adhuc est memor statûs Pœnitentis; & tunc absolvat Pœnitentem debitè: Ita Nav: Henriq: Onophrius, Candidus, &c. Si tamen Confessarius nequeat admonere Pœnitentem; aut revocare absq; gravi offensa, scandalo, vel detrimento, non tenetur admonere, vel revocare; si putet Pœnitentem denuò Confessurum suo tempore, & constituturum se in gratia: si verò Pœnitens non credatur facturus aliam Confessionem; tunc Confessarius tenetur Pœnitentem admonere, etiamsi timeat grave detrimentum. Ratio est: quia Pœnitens tunc censetur esse in extrema necessitate, ubi bono spirituali æterno proximi non possumus præferre bonum nostrum temporale. Ita Svar: &c.

QUÆSTIO VIII.

Proponuntur Casus Reservati pro Regularibus.

1. *Recensentur, & explanantur Casus Reservati Regularium.*

CLemens VIII. restrinxit authoritatem Prælatorum Regularium circa Casuum Reservationem respectivè ad suos subditos, & ordinavit, ut ipsi posthac absq; consensu Capitulorum Generalium, vel Provincialium, ùt suprà innui, non possint sibi reservare alios casus, quàm sequentes.

Primò: *Veneficia, Incantationes, Sortilegia*: hæc ut fiant Reservatus casus, debent esse peccata mortalia. Quæ nam sint vera Veneficia, Incantationes, & Sortilegia, vide Physicam de Magia naturali.

Secundò: *Apostasia à Religione*, quæ debet intelligi de vero apostata à sua Religione, quam professus est, finè transitu ad aliam, & cum animo non redeundi ad suam.

Tertiò: *Nocturna, seu furtiva è Monasterio egressio*; quæ habetur, quando absq; licen-

licentia vagator quis extra ſepta Monaſterii; vel ſe celat, ne inveniri poſſit.

Quartò: *Proprietas*; quæ, quando ſit peccatum mortale vide, Doctores & Expoſitores Regulares Ordinum.

Quintò: *Juramentum falſum*, &c. ùt iſte ſit caſus Reſervatus, debet falſum Juramentum fieri in ipſo Judicio; quando quis Juridicè interrogatur; & non ſufficit, ſi fiat extrà.

Sextò: *Procuratio, auxilium, & Conſilium ad faciendum abortum* Hæc procuratio eſt ſtudioſa actio, & voluntaria, per ſe, vel per alium, ùt abortus ſequatur, etiamſi non ſequatur.

Septimò: *Falſificatio manûs, vel Sigilli &c* Iſte caſus, ut incurratur, debet concurrere mutatio veritatis; & quòd fiat cū dolo; id eſt, animò inferendi damnum.

Octavò: *Furtum de rebus Monaſterij, &c.* Hic attendenda eſt debita quantitas furti, juxta arbitrium viri diſcreti.

Nonò: *Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus*: ſub quo comprehenduntur, omnes actus cujuscunq; ſpeciei luxuriæ: Unde lapſus carnis dicitur, quicunq; actus pollutionis, fornicationis, ſtupri, adulterii, inceſtûs, ſacrilegii, ſodomiæ, & beſtialitatis Tactus autem, oſcula, & amplexus impudici, ſive in propria, ſive in aliena perſona non ſunt caſus Reſervati, niſi ex his deveniatur ad actus mollitiei. Ita Candidus, Quaranta &c.

Decimò: *Occiſio, vel vulneratio, ſeu gravis percuſſio*, &c quæ cenſeatur gravis percuſſio, vide Doctores in cap: *Pervenit*, &c.

Undecimò: *Eſt retardatio, vel apertio litterarum malitioſa*, &c. hos omnes latiùs explicatos, vide apud Canoniſtas Ordinum.

2. *Superiores Reg: poſſunt ſtatuere graves pœnas quibusdā peccatis.*

Nota tamen primò: Pontificem permittere Regularibus Prælatis, determinare pœnitentias graves, quibusdam peccatis, etiam non Reſervatis, à Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere poſſint.

3. *Religioſi nō poſſunt niſi determinatis Confeſſariis confiteri.*

Nota ſecundò: Quòd non poſſint Religioſi, cujuscunque Ordinis ſint, eligere ſibi Confeſſarium aliquem, præter illum, vel illos, qui à ſuis Prælatis, eorum Confeſſionibus audiendis ſunt deſtinati, aut abſolvi a Caſibus Reſervatis, virtute Bullæ cruciatæ, vel aliorum privilegiorum. Patet ex Extravag: Benedicti X I. *Inter cunctas*. Et Bulla Clementis VIII *Romani Pontificis*. Et ex Urbani VIII edita anno 1630. Ratio eſt; quia non eſt credendum Pontifices velle ſimilia privilegia concedere, quæ Regulari diſciplinæ multùm adverſantur, quale eſſet privilegium datum Regulari, pro ſuo libitu cuicunq; extra Ordinem, vel in Ordine confitendi. Ita Corduba, Svar: Diana, &c.

4. *Gvardiani Ord. Min: amplius non poſſunt ſibi reſervare caſus noves.*

Nota tertiò: Gvardianos Ord: Seraphi: de Obſervantia, olim ex conſtitutione Alexandri V I. potuiſſe ſibi aliquos caſus reſervare; ſed hæc poteſtas eis eſt ablata à Clemente VIII. Et Capitulo Generali Aſſiſienſi, celebrato anno 1526.

5. *Regularis delegatus ad Reſervata, poteſt ab ijsdem abſolvi à Confeſſario, à ſe electo.*

Nota quartò: Habens poteſtatem abſolvendi à Reſervatis in Religione, poteſt ipſe ab ijsdem abſolvi à ſuo Confeſſario ordinario, cui aliàs non competeret talis Juriſdictio. Ita communis DD. Regular:

QUÆSTIO IX.

De Poteſtate Confeſſariorum Regularium ſuper Caſus Reſervatos Sæcularium; & Prælatorum Regularium in ſuos Subditos.

1. *Ampla Conceſſio Pauli 3. pro Regul: ſuper caſus Reſervatos ſæcularium.*

PAulus III Bulla *Cùm inter cunctas* concedit Confeſſariis Societatis JESU, & conſequenter aliarum Religionum communicantium Præsbyteris, generalem facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Reſervatis, Bullæ Cœnæ exceptis, ſequenti tenore: *Concedimus quorumcunque utriusq; Sexûs Chriſti Fidelium ad eos accedentium Confeſſiones audiendi, & Confeſſionibus diligenter auditis, ipſos & eorum ſingulos, ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & à quibuscunque ex ipſis caſibus reſultantibus, Sententiis, & Cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt Legi, abſolvendi, ac eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungendi, plenam & liberam facultatem* Similem conceſſionem fecit Sixtus V. Congregationi Oratorii, Bulla, *Decet Romanum* &c. in qua omnes Regulares communicant. Nec eſt revocatum hoc privilegium univerſaliter per Declarationem S Congregationis anno 1601. die 9. Julii: quia ſolos Confeſſarios Italiæ ligat illa Declaratio: pro quibus tamen etiam, anno ſequenti, die 26 Novembris, fuit mitigata juſſu Clementis VIII. paucis exceptis.

2. *Doctrina pluriũ Canon: Regularium asserens, Regulares posse absolvere ab omnibus Papalibus, & Episcopalibus casibus.*

Ex amplissima ista facultate Pauli III. deducunt Canonistæ Regulares, Delrio, Layman, Svar: Henriq: Nav: Medina, &c. Confessarios Regularium approbatos, habere generalissimam facultatem super omnes Papales casus, & Censuras Papæ reservatas, exceptis ijs, quæ in Bulla Cœnæ continentur; & consequenter etiam in omnes casus, & censuras Episcopis, sive à Jure, sive ab homine reservatas; citantque pro se alia adhuc indulta Eugenii IV. Bulla undecimâ apud Bellarm: Rnderi: Julii II., Sixti IV. quæ dicunt non esse per Tridentinum, nec per Pium IV. nec per Gregorium XIII. revocata.

3. *Sed Author eam rejicit quò ad casus Episcopales.*

Verùm huic Opinioni, quòad absolutionem à Censuris, & casibus, Episcopis Reservatis, ampliùs non audeo subscribere unde dico, quòd nullus Regularis Confessarius ampliùs absolvere à Casibus, Episcopo specialiter Reservatis, sinè ejus licentia possit. Moveor ad hoc primò: ex declarationibus diversis Dominorũ Cardinalium (quas approbavit Urbanus VIII. Clemens VIII. & Paulus V.) declarantium omninò contrarium. *Secundo*: quia inter prohibitas propositiones Alexandri VII. duodecima in ordine est ista prohibita: *Mendicantes possunt absolvere à Casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcopi facultate.*

4. *Corollarium genuinum concessionis Pauline, & aliarũ cit.*

Demptis itaque Casibus Bullæ Cœnæ; & Reservatis Episcopo Loci, Regulares possunt absolvere in foro conscientiæ ab omnibus aliis sæculares in vim suorum privilegiorum, omnémq; Censuram, Sententiam, & pœnam Ecclesiasticam ex Reservatis Papalibus resultantem, tollere, si ex delicto occulto resultent.

5. *Privilegium Regul: super reservata Papæ, extendit se etiam ad reservanda.*

Et quidem hæc facultas privilegiata, ùt notat rectè Rodriq: Svar: & Herincx cum aliis, non solùm se extendit ad casus Reservatos ante præfatorum privilegiorum Pauli III. & Sixti V. concessionem; sed etiam ad reservandos quovis tempore, post privilegiorum concessionem; nisi satis specialiter illis derogetur: Unde Regulares extra Italiam, possunt absolvere duellantem; & si reservatio duelli sit posterior privilegio Pauli III. Probatur hoc *primò*; quia sensus Privilegiorum non est dari facultatem absolvendi à peccatis pro tunc Reservatis, quando datur privilegium; sed quando fit Confessio, & danda est absolutio. *Secundò*: quia Papa concedit ista Privilegia, ùt perpetua & generalia ad omnes casus Reservatos. *Tertio*: quia sunt favorabilia, in solius concedentis præjudicium cedentia, adeoque latè interpretanda. *Quartò*: quia si alicui Urbi conceditur exemptio, crescente Urbe, tota Urbs censetur exempta: & si Papa præsentationem beneficiorum alicujus Provinciæ det Regi, extenditur jus etiam ad illa, quæ postea eriguntur c. *quia* de *Privileg*: ergo à pari idem dicendum in nostro casu.

Circa potestatem Prælatorum Regularium in suos proprios subditos.

6. *Superiores Majores Regularium idem possunt circa suos Religiosos, quod Episcopi circa suos subditos, quoad casus.*

DICO primò: Regulares Prælati Generales, & Provinciales, possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus, à quibus possunt Episcopi de jure suos. Ita communis Canonistarum Regul: teste Svar: tom: 3. *de Relig.* tract: 8. lib: 2. cap. 2. n: 9.

Deducitur ex cap. *Abbate, de Privileg*: in 6. ibi: *in quos Ecclesiasticam, vel quasi Episcopalem Jurisdictionem obtinent*: Nam Jurisdictio in Regulares, quæ erat penes Episcopos, dum essent Regularium Superiores, translata est in Prælatos præfatos Regularium: ergo possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus, à quibus possunt Episcopi absolvere suos. Imò

7. *Imò possunt absolvere ab omnibus peccatis, etiam Bullæ Cœnæ.*

DICO secundò Regulares Prælati, cujusmodi sunt Generales, & Provinciales, & Locales, eorumq; vices gerentes in absentia principalium, possunt absolvere suos Religiosos ab omnibus peccatis ante, vel post ingressum Religionis; etiam casibus Bullæ Cœnæ; à quibuscunq; occultis Censuris; nisi excessus adeò enormes sint, ut meritò ad Sedem Apostolicam essent destinandi.

Probatur: quia ità habetur in concessionibus Clementis IV. Sixti IV. & aliorum in *Mari Magno* Minorum, & Prædicatorum. Declaravit autem Sixtus IV. in Bulla sua 14. Quinam excessus sint enormes, & ad Sedem Apostolicam destinandi; scilicet, Hæretici relapsi, Schismatici, Falsarii Litterarum Apostolicarum, & deferentium arma ad Infideles. Imò Svarez Tom: 4. de Relig. Tract: 8. lib: 2. cap. 2. c. 21. docet etiam has quatuor exceptiones esse sublata, & signanter Greg: XIII. dedisse facultatem absolvendi etiam relapsos, & colligitur ex Martini V. concessione, & Eugenii IV.

8. *Hoc privilegium Regul: non est revocatũ à Tridentino.*

DICO tertiò: quamvis multi putent hæc privilegia esse revocata per annuam Bullæ Cœnæ publicationem: verosimiliùs tamen est, quòd non sint revocata. Ita Rodriq: Svar Diana, &c.

Probatur *primò*: quia non videtur præsumenda in Pontificibus inconstantia, ut quod hodie concessêre, mox alij sinè ratione revocarent. *Secundò*: quia dicit Gregorius

gorius XIII. in sua concessione, quam fecit Jesuitis anno 1551. die 18. Maij; *nulla Societatis facultates censentur revocatæ per Bullam Cœnæ Domini*: In hac autem concessione & aliis, communicant Regulares alii: ergo.

9. *Corollariū Privilegii Regularis circa absolutionem fratrum sub. ditorum professorum.*

Ex his colligitur: Prælatos Regulares virtute suorum Privilegiorum posse absolvere Fratres à quibusvis Censuris, vel à Jure, vel ab homine, non tamen nominatim, sed generaliter latis. Imò Prælatos inferiores posse absolvere suos subditos à Censuris per superiores Prælatos latis, etiamsi nominati, & declarati fuerint, censuras majores incurrisse, etiam quando essent declarati à Legato, aut Judice Apostolico, vel Episcopo; servatis tamen hisce conditionibus. *Primò*; quòd absolvendus anteà recedat à contumacia. *Secundò*: ut satisfactionem exhibeat, vel præmittat, prout poterit. *Tertiò*: ut Judicem, à quo excommunicatus est, saltem reddat certum de obediedientia ei, & Ecclesiæ reddita, & absolutione obtenta. Ita Suar: Rodriq: uterque, Miran: Port: &c.

10. *Privilegiū hoc extendit se etiā ad absolutionem Novitiorum.*

DICO quartò: Ab iisdem casibus omnibus, & Censuris possunt Prælati Regulares absolvere Novitios, qui jam susceperunt habitum, vel qui de proximo sunt suscepturi. Ita S. Antoninus, Suar: Brug: &c.

Probatur ex Privilegio Sixti IV. Clementis IV. & Pauli III. *licet debitum*, &c. ergo &c.

11. *Novitii non reincidunt, si contingat eos ex ordine dimitti.*

DICO quintò: Novitii, qui propositum habent perseverandi in Religione, quam suscepère, & vota emittere sunt parati, absoluti à Censuris reservatis, quàmvis postea à Religione recedant, in illas censuras non reincidunt. Ita DD: Reg:

Probatur *primò*: ex Privilegio Clementis IV. in Bulla *noverint universi*. *Secundò* ex Bulla Pauli III. *licet debitum*. *Tertiò* Eugenii IV. *Injunctum* &c. Et docet Barthol: de Vecchiis, & alii.

12. *Casus particularis, circa absolutionē à Reservatis.*

Nota hìc: Quando in uno Conventu sunt duo tantùm Sacerdotes, unus superior, alter inferior, & sibi injiciunt violentas manus; licèt de jure ordinario unus non possit absolvere: quia ambo sunt excommunicati: tamen dico cum Tabiena, Suar: & aliis, quòd in necessitate possit excommunicatus alium excommunicatum absolvere: quia necessitas non habet legem: & si potest excommunicatus in necessitate absolvere à peccatis, poterit à fortiori à Censuris.

13. *Prælati*

DICO sextò: Prælati Regulares possunt prædictam facultatem absolvendi, tam intra, quàm extra Sacramentum exercere: item possunt illam delegare cuicunque Confessario Regulari: item possunt sibi eligere de jure communi Confessarium, tam intra, quàm extra ordinem ad hujusmodi absolutionem obtinendam. Ita Diana, Layman: Barbosa, &c.

Regul: intra, & extra Sacramentum, possunt absolvere suos à Reservatis, & eligere sibi quemcunq; Confessarium, si incidant in Reservata.

Probatur prima, & secunda pars: quia hujusmodi facultas censetur esse ordinaria, & perpetua, utpote stabiliter dignitati, & officio allegata, ut habet Portel: Sauch: &c. sed habens ordinariam potestatem absolvendi à Reservatis potest illam in & extra Sacramentum exercere & delegare: ergo &c.

Probatur tertia pars ex cap: *ne pro dilatione*, in 5. Decret: tit: 38. c. 16.

QUÆSTIO X.

De Sigillo Confessionis; quo jure obliget; & quæ sub Sigillum cadant?

QUæ secreta esse volumus materiali Sigillo munimus: Ita peccata commissa, ut nemini pateant, præterquam Confessario, Sigillo Confessionali tegimus.

1. *Definitur Sigillum Confessionis.*

DICO primò: Sigillum Sacramentalis Confessionis rectè describitur: quòd sit: *Obligatio, quâ Confessarius tenetur ea tacere, quæ sibi fuerunt manifestata per Confessionem, tendentem ad Sacramentum Pœnitentiæ, saltem secundum propositum confitentis.*

Probatur: quia constat omnibus requisitis, ad bonam definitionem; explicatq; exactè naturam Sigilli Confessionalis: ergo &c.

2. *Obligatio Sigilli est Juris naturalis.*

DICO secundò: Ad Sigillum Confessionis obligatur Confessarius Jure naturæ, Divino, & Ecclesiastico. Ita Scotus 4. d: 21. q. 2. & communis Theologorum.

Probatur prima pars cum Scoto: quia hoc petit *primò*: Lex naturæ, præcipiens fraternam charitatem, quæ exprimitur Matth: 7. *Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*: sed quilibet vult famam propriam illæsam: ergo eandem debet velle proximo suo Pœnitenti: & consequenter non debet ejus defectus morales destruentes famam revelare, quos sub Sigillo scit. *Secundò*: hoc petit lex naturæ fidelitatem servandam adstruens; quilibet enim debet servare fidelitatem proximo suo, quam vellet sibi servari; sed sibi vellet quis servari secretum: ergo &c. *Tertiò*: hoc mandat lex naturalis pro-

promissi: quilibet enim de lege naturæ tenetur servare promissum licitum; sed Confessarius promittit, saltem implicitè, servare secretum Confessionis: ergo &c.

3. *Divini.* Probatur secunda pars eum eodem Doctore: Lege Divina Christi tenetur quilibet non retrahere aliquem à Confessione, quæ est juris Divini: sed Confessarius revelans secretum Confessionis retraheret Pœnitentem: ergo de lege Divina nequit revelare. Deinde de Jure Divino nemo debet esse causa, & occasio sacrilegæ Confessionis, ob reverentiam huic Sacramento debitam: sed si Confessarius posset revelare confessa peccata, esset causa sacrilegarum Confessionum: ergo &c. Tandem quia Christus statuit arbitrium Pœnitentiæ esse ultimum in terris, quantùm ad illud crimen confessum; ut patet ex illo Matth: 16. *Quodcunque solveris super terram* &c. ergo ibi terminata secretè, non debent ad alium forum publicum deduci: aliàs fieret injuria Sacramento.

4. *Et Humani.* Probatur tertia pars ex cap: *Sacerdos* Dist: 6. ubi ordinatur pœna pro fractoribus Sigilli, & dicitur: *Nam si hoc fecerit* (scilicet fractionem Sigilli Confessionalis) *deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ peregrinando ignominiosè pergat.* Lateranense deinde hanc pœnam in perpetuam inclusionem in aliquo Monasterio, & rigorosissimam annexam aliam Pœnitentiam, mutavit. Alii verò fractores Sigilli, qui Confessarii non sunt, arbitrio Judicis sunt castigandi, ut habet de Graffiis, Bonac: Mascar: &c. ergo est præceptum Ecclesiasticum de servando Sigillo Confessionis.

5. *Quæ peccata in violatione Sigilli concurrant.* Ex dictis colligunt Doctores in fractione Sigilli committi peccatum detractionis, infidelitatis, & Sacrilegii, & quidem semper grave, etsi solùm peccatum veniale detegatur: fit enim semper injuria Sacramento: Unde secundùm Nav: Regin: Henriq: &c. hic non datur parvitas materiæ.

6. *Obligatio Sigilli Confessionis est de præcepto negativo.* Colligit secundò Doctor Subtilis obligationem celandæ Confessionis esse ad semper, & pro semper: quia est præceptum negativum: Unde non magis licet post mortem confessi revelare Confessionem; quàm eo vivo: quod etiam tenet Faber noster, Hiribarnes, Hiquæus, & alii Scotistæ.

7. *Nec de Pœnitentis licentia licitum est revelare Cõfessionē.* DICO tertiò: Nec quidem de licentia Pœnitentis licitum est revelare Confessionem, & personam. Ita Scotus 4. d. 21. q. 2. Alensis Dur: & Scotistæ, tam veteres, quàm Recentiores, Tatar: Bassolius, Faber, Hiq: Branc: &c. contra Recentiores Moralistas, & ex nostris Pontium, Herinx. &c.

Probatur ratione Scoti: Pœnitens non potest dare licentiam Confessario aperiendi secretum Confessionis Sigillum: ergo Confessarius de ejus licentia nequit revelare Confessionem. Probatur Ant: Sigillum Confessionis, & lex de eo servando, non est introducta in favorem, & gratiam solius Pœnitentis; sed ex Jure totius Ecclesiæ, Communitatis, ne in ea fiat perturbatio ex revelatione, vi cujus quivis reputaret alterum infamem, abominabilem: nam hodie de Petro concipio malam opinionem ob revelatum ejus crimen, cras de Paulo, & sic deinceps: ex quo tandem tota communitas turbaretur: ergo Pœnitens nequit dare licentiam Confessario delegendi peccata.

8. *Nemo Pœnitens potest cedere juri communi de servando Sigillo Confessionis.* DICES, de servando Sigillo, etsi sit jus commune Ecclesiæ, ac Communitatis, tamen pro parte sua huic potest cedere Pœnitens: ergo. Respondeo Neg: Ant: nam sicut Canoni, & Juri communi Clericorum, *si quis suadente* &c. vel Privilegio communi Exemptionis à Jurisdictione temporali, eò quòd conceduntur ob bonum commune statûs Ecclesiastici, non potest cedere privatus Clericus: Ita dicendum de jure communi Ecclesiæ, & Communitatis, circa præsens punctum.

9. *Alia Ratio ad idē.* Probatur secundò: Ex opposita doctrina darentur plures malorum occasiones: occasio videlicet mentiendi in Confessione, & fallendi Confessarium: nam diffamatus de aliquo crimine, licèt de eo non sit convictus, posset confiteri, negans se tale crimen commisisse, & postea Confessario licentiam dare, ut Confessionem revelet, ut sic evadat pœnas, qui esset magnus abusus hujus Sacramenti. *Secundò* Judices variis artibus possent inducere homines ad dandam hanc licentiam Confessariis, & modò ita occultò, ut id nec Sacerdos animadvertat, crimina detegere, & ad forum externum deducere; quod esset maximum hujus Sacramenti ludibrium: ergo &c.

10. *Specialis instructio Scoti & S. Bonaventura, circa præsentem materiā.* Concludit itaque Scotus, meliùs esse, ut Pœnitens peccata, quæ vellet Confessarium posse manifestare in bonum Pœnitentis, Confessario denuò patefaciat extra Confessionem, ut sic aliâ viâ, & vi alterius scientiæ, quàm habitæ in Confessione, de iis possit loqui. Imò S. Bonaventura hic, Dist: 21. part: 2. ar: 2. suadet; ut Pœnitens potiùs, quando sibi videtur necessarium pro bono proprio, vel alieno, manifestet aliis peccata sua, quàm Confessario; ne Con-

Confessarius se ingerat periculis, & suspicionibus, & maximè in re dubia, in qua consulere debet reverentiæ Sacramenti, & communi utilitati, quàm privatæ voluntati Pœnitentis; sic enim vitatur scandalum, & non corrumpitur Sigillum Confessionis ter sanctum, & inviolabile.

11. *Sub Sigillum cadũt omnia manifestata animo se accusandi*

DICO quartò: Sub Sigillum Confessionis cadunt omnia, quæ manifestata sunt Sacerdoti per ordinem ad Confessionem Sacramentalem factam animo se accusandi; & inprimis peccata omnia mortalia, etiam in genere, & venialia, saltèm in specie: circumstantiæ item, & objecta peccatorum: Ita Fill: Major: Layman: Her; &c.

Probatur: Si hæc omnia non caderent sub Sigillum, redderetur Confessio summè odiosa apud Christi Fideles; fieretquè magna injuria Sacramento Pœnitentiæ per ejus neglectum; quod cavendum est: ergo &c.

12. *Etiã mortalia in genere; & venialia in specie.*

Dixi *Mortalia etiam in genere*: quia etiam genericè tantùm dicere: Petrus peccavit mortaliter, est Pœnitenti, & Confessioni injuriosum: Dixi etiam *Venialia saltèm in specie*: quia non est contra Sigillum dicere in genere: Paulus est mihi confessus venialia: hoc enim non facit Confessionem odiosam; cùm ordinariè quivis ad minus venialia confiteatur. Idem est, si dicat Confessarius: injunxi Paulo Pœnitentiam levem. Ita Her: & cæteri Doctores. Nota tamen meliùs fore abstinere totaliter à similibus dictis: aut si necessariò loquendum sit de præterita Confessione, magna cautela adhiberi debet, circa ejus modum, qualitatem, & naturam explicandum, ne reddatur odiosa.

13. *Imò & dispositio Pœnitentis.*

DICO quintò: Etiam dispositio Pœnitentis, v. g. carentia doloris, vel propositi; Item peccatum complicis; vel quodcunque aliorum, recensitum à Pœnitente per ordinem ad explicationem proprii peccati, cadit sub Sigillum. Ita Herinx, Malderus, & communis Doctorum.

Probatur; nam si hæc possent revelari pariter redderetur Confessio odiosa; & Sacramento irreverentia procuraretur; quæ semper evitari debent: ergo &c.

14. *Defectus pariter naturales in Confessione explicati.*

DICO sextò: Etiam defectus naturales, narrati in Confessione ad explicationem peccati, & communicandum statum suæ conscientiæ, cadunt sub Sigillum. Ita communis apud Fill: Suar: &c.

Probatur: quia etiam hi revelati facerent Confessionem odiosam; & irreverentiam Sacramento causarent: ùt si quis occasione sui peccati dicat, se esse natum ex Hebræis; se defectu Natalium esse irregularem: se non esse sufficienter doctum pro Advocato, vel Medico; vel se esse scrupulosum &c. ergo &c.

15. *Sicut & publica peccata, Confessioni subjecta.*

DICO septimò: Etiam peccata publica, quatenùs in Confessione audita, sunt materia Sigilli. Ita S. Bonav: Aleusis, Laym: Brug: &c.

Probatur: saltèm hæc revelando fieret injuria Sacramento; & redderetur odiosum; etsi Pœnitenti non fiat injuria: ergo &c. Unde nequit Confessarius dicere de publico usurario, talis est mihi Confessus cum magno dolore super sua peccata. Quod si tamen Confessarius sciret aliâ viâ, quàm per Confessionem, Pœnitentem suum esse usurarium publicum, posset de hoc loqui: cautè tamen admodum, & circumspectè, ne suspicionem aliis ingerat usûs notitiæ ex Confessione.

16. *Violatur secretum Sacramentale solâ indirectâ notificatione personæ, quæ peccatum est confessa.*

DICO octavò: Etiam indirecta, & implicita notificatio personæ confessæ peccatum aliquando, quæ est nata ingerere suspicionem gravem, & non temerariam, violat secretum Confessionis. Ita Herinx, cum communi DD:

Probatur: Pœnitenti æquè onerosum est implicita talis revelatio sui peccati; cùm suspicio sit imperfecta quædam cogitatio, quæ suo modo etiam infamat peccatorem; etsi minùs, quàm perfecta cognitio: ergo revelare peccata nata ingerere suspicionem, est violare Sigillum Confessionis.

17. *Cautela specialis pro Confessario.*

Ex his infertur: Confessarium debere cavere, ne suspiriis, ne austerioribus gestibus, aut simili modo, durante Confessione ingerat circumstantibus suspicionem alicujus gravis peccati. Item si paucos habeat Pœnitentes; vel in loco non populoso audiat Confessiones, ne de peccatis sibi Confessis multùm loquatur; ob idem periculum suspicionis.

18. *Non violatur Sigillum Confess: generali dicto Conf:*

Nota tamen: non frangi Sigillum; si quis in tali loco vasto dicat, & populoso, v. g. Pragæ, vel Romæ esse ibi multos graves peccatores vel enormia patrari crimina. Ita Nav: Bons: Henriq: cùm talis locutio, nec reddat Sacramentum odiosum; nec ulli Pœnitenti inferatur injuria.

19. *Quando non teneatur Confessarius ad Sigillũ?*

Nota secundò: Quòd Confessarius non teneatur obligatione Sigilli; quando quis ad ipsum accedit sinè intentione confitendi; tametsi Pœnitens dicat, se hæc, vel illa manifestare sub Sigillo: ùt habet Suarez, Vasq: &c. Item quando Pœnitens accedit, non ut confiteatur; sed ut Confessarium protrahat ad peccatum v. g. ad conspirationem contra Prælatum, &c. Ita Henriq: Soto;

positas insidias Sacerdoti in nemore; potest Sacerdos abstinere ab ingressu nemoris: quia ille non ingressus est ex se signum æquivocum, ac indifferens; & potest oriri ex alio motivo, quàm Confessionis: Et hoc est verum, etiamsi socii latrones suspicenter, latronem confitentem esse confessum illas insidias: quia nullæ adsunt circumstantiæ, per factum Sacerdotis adjunctæ, quæ declarent, ejus intentionem conceptam esse præcisè ex scientia Confessionis; cùm possit concipi talis intentio ex multis aliis motivis: Unde communis est doctrina; quando ex natura actûs non sequitur illa suspicio; nec sequitur præjudicium Pœnitentis. Alius casus: aliqui intoxicârunt vinum, in quo vult consecrare Sacerdos; hoc quidam eorum Sacerdoti est confessus; potest tunc Sacerdos uti ea scientia Confessionis, tamen alias occasiones simulando, & non celebrare: v. g. potest simulare dolorem stomachi; vel accipere in manibus vasculum, & permittere quasi casu cadere in terram, vel ob negotium incidens alio pergere.

5. *Tertia Regula generalis.*

Tertia Regula: *Quando ex Usu notitiæ Confessionis nulla sequitur directa, vel indirecta revelatio; nec morale periculum ejus; nec aliquod injustum gravamen Pœnitentis; potest esse licitus talis Usus.* Do Exemplum: Confessarius orat post Confessionem pro Pœnitente; consulit virum doctum; ædificat murum; claudit jannam, ne servus nocte egrediatur ad fornicandum; diligentiùs custodit seipsum; vel quid simile facit, quod ex se non est revelativum directè, vel indirectè Confessionis; nec affert damnum Pœnitenti, non frangit Sigillum Confessionis: Ita Sylv: Nav: Fill: &c.

6. *Ad salvandum integrum Regnum nequit Confessarius uti scientia Confessionis, cum periculo revelandi Pœnitentem.*

Nota quartò: Confessarium non posse uti scientiâ Confessionis cum periculo revelationis Pœnitentis, directâ, vel indirectâ, ad tuendum bonum temporale, etiam integræ Civitatis; imò totius Mundi; aut etiam ad tuendum bonum spirituale Ecclesiæ totius. Ita Scotus 4. d. 22. q. 2. Suar: Regin: Bonac: Henriq: Mastrius, & alii Summistæ, ac Scholastici. Ratio est: quia aliàs injuria fieret Sacramento; Confessio enim fieret odiosa, & Fideles ab hoc Sacramento retraherentur: Et quia nullū est tam grave malum, quod præponderet fractioni Sigilli Confessionis, quæ ex Dei præcepto, ad reconciliationem hominis cum DEO est necessaria.

7. *Quid faciendum Confessario, qui vi Confessionis nôsset imminere grave damnum urbi.*

Hinc sequitur: Confessarium, qui ex Confessione novit proditionem imminere Civitati, vel periculum hæreseos, non posse hæc manifestare: sed potiùs debet obligare Pœnitentem, ut Superiori, vel Judici competenti denunciet machinantes perniciem Reipublicæ, vel Hæreticos latentes. Ita cit: Doctores.

QUÆSTIO XII. De Officio; & Obligationibus Confessarii.

1. *Confessarius debet esse Sacerdos, & Jurisdictione non impeditâ pollens.*

Nota primò: In Confessario *primò* necessarium esse Ordinem Sacerdotalem, de quo alibi. *Secundo*: Necessaria est Jurisdictio; de qua suprà, dist: 11. q. 1. *Tertio*: Est in Confessario necessarius usus Jurisdictionis non impeditus: impeditio autem hæc accidere potest; vel ob reservationem peccati; vel ob excommunicationem, & suspensionem denunciatam Sacerdoti.

2. *Confessarius quâ Doctor quatuor nôsse debet.*

Nota secundò: Confessarium triplicem personam gerere, Doctoris, Medici, & Judicis: graviter proinde peccat Confessarius, qui ut Doctor requisitâ scientiâ non instructus munus Confessarii suscipit, vel exercet; ùt habet communis Doctorum. Scientia autem requisita, & sufficiens in quinque potissimum consistit. *Primò*: ut sciat, quid sint Sacramenta; quæ materia eorum; quæ forma; quis Minister; & effectus. *Secundò*: ut in particulari sciat partes Pœnitentiæ, contritionem scilicet; Confessionem; & Satisfactionem; absolutionem; aliaquè plura hoc Sacramentum concernentia: *Tertiò*: de Matrimonio, quid sponsalia operentur; quam obligationem inducant; quæ sint Matrimonii impedimenta dirimentia; & quæ non dirimentia. *Quartò*: usuram, & nonnullos contractus, ut emptionē, & venditionem; censum; cambium; Societatem; & similes debet novisse. *Quintò*: Simoniam, propter Ecclesiasticas personas, debet pariter cognovisse.

3. *Confess: quâ Medicus debet scire dispositionē Pœnitentis.*

Nota tertiò: Confessarius deinde, *ùt Medicus*, scire debet dispositionem necessariam in Pœnitente; quæ explorari potest ex tribus: ex dolore; proposito; & integritate Confessionis: quæ qualia esse debeant dixi suprà d. 7. q. 3. & d. 10. q. 5. Circa tamen propositum in Pœnitente requisitum, addo sequentia: Unde

4. *Qualiter debeat Cōfess: absolvere obnoxium restitutioni.*

Nota quartò: Quòd Confessarius illud sufficienter cognoscet; si Pœnitens dicat se habere propositum non peccandi ampliùs: in particulari autem, si Pœnitens sit obnoxius restitutionis faciendæ, debet constare ante absolutionem Confessario, ipsum habere propositum restituendi; & tunc pro prima, & secunda vice potest cum absol-

Aa a vere;

vere; quàmvis tantùm promittat restitutionem: si verò ter, vel quater non procederet ad realem restitutionem; adigendus erit ad realem restitutionem ante absolutionem, secluso scandalo: quòd si non possit, satis est, quòd habeat propositum restituendi, cùm ad pinguiorem fortunam venerit.

5. *Qualiter manentē in proxima occasione peccati.* Pari modo procedere debet Confessarius, quando Pœnitens est in aliqua occasione proxima semper mortaliter peccandi, v. g. cohabitat cum concubina; non est absolvendus, nisi habeat propositum, eam ejiciendi; si tertiò, & quartò vice, necdum ejecit, non est absolvendus.

6. *Et qualiter recidivos.* Cum recidivis autem, extra proximam occasionem constitutis, si semper verè doleant, & firmiter proponant se emendare, absolvi possunt; maximè si numerum minuant; vel consuetudinem interrumpant. Ita Nav: Cord: Fill: &c.

7. *Unde explorandus à Confessario dolor de peccatis.* Circa dolorem requisitum Nota quintò. Quòd is explorari possit à Confessario ex modo, quem servat Pœnitens in accusando; ut si sit serius; item: si Pœnitens sit benè moratus; item: si dicat, se dolere de peccatis commissis. Quando autem non apparet sufficiens signum ex his, explorandus est dolor aliqua interrogatione, & ad illum Pœnitens impellendus, proposita gravitate peccati; & pœna; vel aliis motivis.

8. *Instructio Confessarii, circa attingendam integritatem Confessionis.* Circa Integritatem Nota sextò: Eam facilè colligi posse; si Confessarius inspiciat circumstantias Personæ, & Confessionis, statum, & exercitium Pœnitentis; & maximè si Pœnitens dicat, se nil ampliùs scire; tunc non tenetur Confessarius ampliùs interrogare: si verò observet ex his, aliisquè motivis, Confessionem non esse integram, nec materialiter, nec formaliter; interrogare debet de iis, quæ probabiliter cadere possunt in talem, vel talem Pœnitentem: Non sit autem nimius in sexto præcepto scrutando; præsertim cum pueris, & fœminis. Si Pœnitens Confessario interroganti neget aliquod peccatum, quod Confessarius viâ Sigilli Sacramentalis novit, v. g. per complicis Confessionem, omninò esse commissum; debet Confessarius judicare secundùm allegata, & probata in isto foro, & Pœnitentem absolvere: si autem viâ publicâ novit illud peccatum Confessarius, & evidens sit, Pœnitentem mentiri contra integritatem Confessionis; non debet illum absolvere: si non sit evidens; potest absolvere, & credere hoc peccatum negari ideò; quia anteà id jam est confessus. Ita Nav: Laym: Tolet: &c.

Confessarius scire debet Regulas generales excusantes à peccato mortali, & remedia pro peccatis. Nota septimò: Confessarius, ùt *Medicus*, ulteriùs scire debet regulas communes, quibus Pœnitens excusari possit à præcepto, & à peccato mortali; ùt est ignorantia probabilis; inadvertentia; impotentia; levitas materiæ; metus etiam gravis, v. g. infamiæ, vel mortis. Deinde scire debet; quæ remedia cuique peccato adhibenda; de quibus infrà, agendo de Satisfactione: Omnia porro remedia eò tendere debent, ut peccatum præteritum curetur, & futurum caveatur.

10. *Confess: ùt Judex scire debet distinctionem peccati mortalis, à veniali &c.* Nota octavò: Confessarius, ùt *Judex*, scire debet formam absolutionis; distinctionem peccatorum mortalium à venialibus, saltèm in genere, v. g. quòd mortale sit privans gratiâ DEI; & inferat pœnam æternam, non verò veniale. Unde communis est doctrina DD: contra Suar: quòd absolutio data à Confessario prorsus ignaro, id est, ignorante præfatam distinctionem mortalis à veniali sit invalida. Et ratio est: quia desinente in Judice fine proximo potestatis, & quo mediante potestas ejus applicatur ad effectum, talis potestas nequit exerceri; sed finis proximus Clavis scientiæ in Confessario, ùt Judice, est cognitio delictorum rei, & statûs Pœnitentis, in ordine ad formandum regulam judicii, & sententiæ ferendæ: ergo hoc fine cessante non potest ferre Confessarius actum Judicialem, seu exercere suam potestatem.

11. *Item species, & numerum peccatorũ; & peccata, quæ laborant restitutione.* Nota ultimò: Præterea Confessarium debere scire species, & numerum peccatorum; & circumstantias speciem mutantes; de quibus suprà d. 10. q. 4. satdixi. Debet item cognoscere peccata, quæ habent annexam obligationem restituendi: hæc autem ùt plurimùm sunt ea, quæ fiunt contra Justitiam commutativam; & signanter versantur circa bona extrinseca, per furtum ablata; Item circa bona corporis, & bona famæ surrepta. Præterea debet scire peccata, quæ habent annexam reservationem, vel censuram. Debet similiter scire edicta Ordinariorum legitima, & ex se justè lata. Etiam, saltèm confusè, scire debet excommunicationes, à quibus potest absolvere; & deinde habere intentionem generalem absolvendi ab omnibus, à quibus potest: eas antem, à quibus non potest, debet scire distinctiùs. Distinctionem, & numerum Excommunicationum, usu receptarum, videat Lector in meo Tract: de Cens: Dist; 2. q. 4.

DIS-

DISTINCTIO XII.

DE SATISFACTIONE.

QUÆSTIO I.

Quid sit Satisfactio? An in vita quis possit satisfacere pro peccatis; & per quæ Opera?

1. *Quid Satisfactio generalis.*

NOta primò: Ex Doctore Subtili 4. d. 15. q. 1. Satisfactionem aliam esse generalem; aliam specialem. *Generalis* describitur ab eodem. *Quòd sit redditio voluntaria æqualitatis, aliàs indebiti.* De speciali, & quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ,

2. *Definitio Satisfactionis Sacramentalis ex Scoto.*

DICO primò: Benè definitur Satisfactio Sacramentalis: *Est operatio exterior laboriosa, & pœnalis, voluntariè assumpta ad puniendum peccatum à se commissum, & ad Divinam offensam placandam.* Ita pariter Scotus, loco cit: & communis Scotistarum.

Probatur: Quia est formata juxta communes Dialecticæ regulas, pro bona definitione ordinatas: ergo &c. Et explicatur: ly *operatio*, est genus: reliqua constituunt differentiam: Ponitur *exterior*, ad differentiam Satisfactionis interioris; quæ fit extra Sacramentum per Contritionem. Dicitur *laboriosa*, & *pœnalis*: quia opera Satisfactoria, teste scripturâ Joëlis 2. debent esse regulariter afflictiva, & pœnalia, *in jejunio*, inquit citatos Propheta, *fletu*, *ac planctu*, &c. Et ideò in primitiva Ecclesia rigorosissimi Canones Pœnitentiales erant ordinati pro gravioribus criminibus. Additur *voluntariè assumpta ad puniendum peccatum*; ut ostendatur, modum expiandi peccatum esse liberè acceptatum, & non coactè; Quapropter damnati in gehenna non satisfaciunt; sed satispatiuntur, ly demum *ad placandam Divinam offensam*; indigitat effectum hujus Sacramenti, puta reconciliationem cum DEO.

3. *Sublato reatu peccati quandoq; remanet pœna temporalis solvenda.*

Nota pro sequenti Conclusione: evidens esse, ablatô peccatô remanere pœnam temporalem, solvendam pro illo peccato; ùt definit Trident: Sess: 6. cap: 14. Et patet 2. Reg: 12. ubi remisso peccato, David morte temporali Filii punitus est. Idem legitur de Moyse, & Aaron: Num: 14.

4. *In vita potest præstari Satisfactio pro temporali pœna peccati.*

DICO secundò: Potest homo in hac vita satisfacere pro pœna temporali solvenda pro peccatis dimissis. Ita Catholici omnes contra Novatores.

Probatur primò: ex Tridentino Sess: 14. cap: 9. dicente: *Docet præterea tantam esse Divinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis, sponte à nobis assumptis, pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro delictis impositis; sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à DEO inflictis, & patienter toleratis, apud DEUM Patrem per Christum JESUM satisfacere valeamus*: ergo &c.

Probatur secundò: pluribus scripturæ testimoniis, hoc innuentibus: signanter exemplo Ninivitarum, qui ob gravia scelera, subversionem Civitatis promeruerant, quam tamen pœnam temporalem jejuniis, saccis, & precibus amoliti sunt: ergo &c.

5. *Satisfit Objectis quibusdam Hæret:*

Objiciunt Hæretici: Christus copiosam, & sufficientem præstitit Satisfactionem pro nobis; secundùm illud Isaiæ 53. *Posuit DEUS in eo iniquitates omnium nostrûm; & livore ejus sanati sumus.* Et S. Paulus ad Rom: 8. dicit: *Nil damnationis est iis, qui sunt in Christo JESU*: ergo nil pœnæ temporalis remanet iis solvendum: ergo nos in via non possumus satisfacere pro aliqua pœna temporali. Respondeo: Neg: Consequentiam: quia Satisfactio Christi, merita ejus, & passio in se copiosissima, non applicantur nobis; nisi cooperemur & nostræ saluti, exercendo opera salutaria; alioquin ad quid instituisset Christus pro nobis tot Sacramenta? ad quid inculcâsset scriptura jejonia, Orationes, Eleemosynas, &c. quibus possumus, teste eâdem Sacrâ Scripturâ, redimere peccata? Prima igitur Scriptura vult; quòd ab omnibus iniquitatibus Christus nos redemerit, & livore suo sanaverit; cujus tamen pretium nobis applicare debemus per personales nostras actiones Satisfactorias. Secunda vult; quòd per Justificationem, quâ Christus JESUS nos justificat, ampliùs in nobis non remaneat reatus ad damnationem; benè tamen ad solutionem pœnæ temporalis.

6. *Satisfactio debet esse voluntaria.*

DICO tertiò: Opus Satisfactorium debet esse voluntarium, & moraliter bonum; saltèm ratione intentionis, quâ assumitur, aut toleratur. Ita communis TT: &

Probatur prima pars primò: Opus Satisfactorium debet esse opus morale; sed omne opus morale postulat rationem liberi; cùm libertas totius moralitatis fundamentum sit: ergo debet esse voluntarium.

Probatur secundò eadem pars: Homo voluntariè peccavit: ergo etiam voluntariè debet satisfacere. Et ideò dicit Tridentinum Sess: 14. cap: 9. *quod pœnis spontè*, id est, voluntariè, *a nobis susceptis, satisfacere possimus*.

7. *Et moraliter bona debet esse Satisfactio.*

Probatur secunda pars: Opera moraliter mala, sunt potiùs pœnâ, quàm veniâ digna: ergo sola opera moraliter honesta, bona, & debitè circumstantionata, sunt satisfactoria pro pœna temporali.

8. *Per Jejunium, Orationem, & Eleemosynam, solet plerumq; Satisfactio exhiberi.*

Nota: Triplex ordinariè opus assignari, tanquam aptum medium, pro Satisfactione præstanda: *Orationem* scilicet; *Jejunium*; & *Eleemosynam*; quæ omnia in se sunt opera supererogatoria. *Sub Oratione* comprehenduntur omnes actus Religionis, qui ad DEUM referuntur; ùt actus fidei, spei, & Charitatis, actus laudis, gratiarum actionis, &c. Sub *Jejunio*, omnes austeritates corporales: cilicia; disciplinæ; &c. Sub *Eleemosyna*, omnia opera misericordiæ, corporalia, & spiritualia. Et Ratio hujus triplicis assignati operis Satisfactorii est; quia peccata in genere in tria discriminantur membra; in peccatum videlicet carnis; peccatum concupiscentiæ oculorum; & superbiam vitæ: congruit ergo his correspondere Satisfactionem triplicem: Unde peccato carnis correspondet jejunium, & quæcunque maceratio corporalis; peccato oculorum, quod est avaritia, correspondet Eleemosyna; peccato superbiæ oratio, DEUM summum Ens laudans. De his tribus generibus operum consentiunt Doctores; quòd possint à Confessario injungi pro Pœnitentia; & quòd Pœnitens per ea satisfaciat: Fundaturquè passim in sacra scriptura, quæ hujusmodi opera commendat, & requirit à peccatoribus. Sed est difficultas de operibus præceptis; num possint esse Satisfactoria?

9. *Sicut & per opera præcepta, expressè injuncta.*

DICO quartò: Etiam opera præcepta possunt injungi à Confessario pro Satisfactione Sacramentali. Ita deducitur ex Scoto 4. d. 15. q. 1. & est Ponc: Branc: Mast: Aretin: & Recentiorum.

Probatur: Præceptum non tollit rationem liberi, & voluntarii, nec rationem meriti: ergo nec rationem Satisfactorii. Confirmatur ex Trid: Sess: 14. cap: 9. docente: per patientem flagellorum tolerantiam posse hominem DEO satisfacere; sed talis flagellorum tolerantia est aliàs præcepta; ùt constat ex pluribus S. Scripturæ locis: ergo &c.

Itaquè possunt opera, aliàs præcepta, virtute Clavium elevari ad effectum Satisfactionis ex opere operato; imò aliquando expedit illa sic elevare, & imponere; ut diligentiùs, ac cum majori devotione impleantur; & ut imbecillitati, ac gravibus inevitabilibus Pœnitentium occupationibus consulatur.

10. *Si Confessarius non exprimat, se injungere opus præceptum, non satisfit præstando tale opus.*

Nota autem: Si Confessarius non exprimat, se injungere opus, aliàs præceptum; v. g. injungit auditionem 3. Missarum, non determinando dies, quibus Missæ debent audiri; non satisfacit Pœnitens, audiendo tres Missas tribus diebus Festis, quibus Missis aliàs implet præceptum Ecclesiæ de audienda Missa die Festo: Ratio est: quia non supponitur suisse hanc intentionem Confessarii; nisi de ea Pœnitenti constet expressè.

11. *Satisfactio potest exhiberi etiam per opera interna.*

DICO quintò: Actus merè interni interdum imponi possunt pro Satisfactione pœnitentiali. Ita Scotus 4. dist. 15. q. 1. Hiribarnes, Branc: Ponc: Mast: & RR: plures.

Probatur: aliquando sunt utiliores actus interni pro Satisfactione Pœnitentis, quàm externi v. g. ut Pœnitens recidivans renovet aliquoties actum Contritionis, & boni propositi: item si gravi morbo laboret, & opus externum non possit perficere, potest autem internum: ergo &c.

12. *Quomodo actus internus reddatur sensibilis.*

Objicies: Actus Satisfactionis debet esse sensibilis; cùm sit pars Sacramenti, quod est sensibile; sed actus interni non sunt sensibiles: ergo &c. Respondeo: actus internus sufficienter fieri sensibiles per accidens ab externis, videlicet ab impositione Sacerdotis, & acceptatione Pœnitentis.

13. *Opera virtuosa rectè etiam imponuntur pro Satisfactione.*

DICO sextò: Non tantùm Pœnales; sed etiam actus virtuosi non pœnales, sunt idonei pro injungenda Pœnitentia. Ita Scotus cit: Hiqn: Ponc: Branc: & plurimi Recentiores; contra D. Thom: Suarez, &c.

Probatur: Opus non pœnale, v. g. Actus charitatis, potest esse magis meritorius; quàm opus pœnale; adeoquè DEO magis acceptum pro Satisfactione: ergo &c. Confir: ex Trident: Sess: 14. Can: 13. docente; hominem satisfacere posse pro peccatis

peccatis commissis, nnn tantùm per assumptionem, vel tolerantiam, & injunctionem pœnarum, per nrationes, eleemosynas & jejunia; sed etiam per alia pietatis opera: Cùm ergo dentur opera pietatis, non pœnalia; hæc injnngi poterunt à Confessarin pro Satisfactinne.

14. *Regula communis circa opera imponenda pro Satisfactione.*

Nota tamen: regnlariter esse imponenda opera pœnalia pro Satisfactinne, & Pœnitentia: Ratinest: qnia hnjusmodi magìs frænnm injiciunt peccatoribns: Unda dicit S. Aug: lib: *de vera, & falsa Pænit: Pænitentia graviores fructus postulat, ut dolore, & gemitibus mortuus impetret veniam*: & hns deinde ait in genere reduci, ad jejnnium; nrationem; & eleemnsynam.

QUÆSTIO II.

An Confessarius necessariò debeat injungere Satisfactionem; & eam Pœnitens acceptare?

1. *Vehementer Contritis potest dari absolutio, sinè ulla Pænitentiâ.*

SUpponn hìc: posse qnandoqne impertiri absolutionem Sacramentalem qnibusdam Pœnitentibus, sinè nlla injnncta Satisfactinne; ntl patet in agonizantibns; & adeò vehementer contritis; nt videantur pœnia debitis satisfecisse: sicut docet communis Theologorum. Cœterùm

2. *Regulariter debet imponi aliqua Pænitentia.*

DICO primò: Confessariua regnlariter, & per se loquendo, debet Pœnitenti injungere Satisfactinnem seu Pœnitentiam salntarem, consideratâ ajus qnalitate. Ita commnnis Theologorum.

Probatur primò varbis Tridentini Sess: 14. cap: 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini* (inquit Concilium) *quantùm Spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pænitentium facultate, salutares, & convenientes Satisfactiones injungere.* Idem statuit Concilium Carthaginense 4. Can: 24. Cabilon: 1. & 2. Mngunt: &c. ergn &c.

3. *Ratio pro eadem doctrina.*

Probatur secundò ratinne: Satisfactin est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ: argo absqne injnria Sacramenti à Sacerdote neqnit nmitti. Accedit; quòd Pœnitentiæ Saeramentnm habeat se per modum Jndieii; ideoqúe Sacerdos Judex in eo debet vindictam seu pœnam peccatorum decernere, per injnnctionem Satisfactionum; ut justitiæ satisfiat. Habet se insuper per modnm medicinæ; curat enim vnlnera moralia animæ: ad hanc autem curatinnem pœnalia npera sunt aptissima, v. g. tepidis nratinnes; intemperantibus jejunia, &c. ergo aliqna Satisfactin debet à Confessarin regulariter injnngi.

4. *Confessarii debent proportionatas, & debitas Pænitentias injungere.*

Ex conclnsione seqnitur: quòd Cnnfessarii debeant injungere Satisfactiones proportionatas; tam quoad castigationem peccatnrum; quàm quoad eornm medelam: quantitas verò relinquitur arbitrio eorumdem Cnnfessarinrum, consideratâ qualitate peccatorum; Indulgentiis lucrandis, &c. & aliis circumstantiis. *Sed videant Sacerdotes* (ntar verbis eitati Tridentini) *ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum Pænitentibus agant levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo; alienorum peccatorum participes efficiantur*:

5. *Instructio particularis pro Confessariis circa impositionem Pænitentia.*

Nota tamen primò: juxta DD: sæpè præstare, prudenter dissimulare cum certis personis, minores injungendn Pœnitentias; quàm nimiâ austeritate hnmines à Sacramento deterrere; jnxta illud, quod dicitur cap: *Alligant.* 26. quæst: 7. ex Auctore Operis Imperfecti: *etsi erramus modicam Pænitentiam imponentes; nonne meliùs est propter misericordiam rationem reddere; quam propter crudelitatem.* Item, minor potest imponi Satisfactin, quàm peccata requirunt; si Cnnfessiò fiat tempore Jnbilæi, vel alteriùs plenariæ Indulgentiæ. Item, si adsit magnus dnlor; vel gravis infirmitas; ùt habet, Henriq: Nav: S. Thnm: &c.

6. *Ante, vel post absolutionem potest injungi Pænitentia.*

Nota secundò: Pœnitentiam, seu Satisfactinnem posse injungi ante, vel post absnlutionem Sacramentalem. *Nam qua in continenti fiunt, inesse videntur* ex cap: *praterea*, de *Testibus cogendis.* Rectiùs tamen decernitnr Pœnitentia ante absnlntionem: Tnm, nt partes nmnes materiales Sacramenti snbjiciantur formæ absolutionis. Tum, nt Ordo Judicii, & justitiæ vindicativæ meliùs servetur.

Circa alteram partem Quæstionis: distingnitnr duplex Pœnitentia; Præservativa, seu Medicinalis; & Vindicativa, seu Satisfactnria. *Præservativa*, & *Medicinalis*, v. g. esset, injuncta restitutio rei alienæ; depositio odii mortalis; evitatio conversatinnis, ex qna creditur Pœnitens relapsurus; expulsio concubinæ, &c. *Vindicativa* esset Pœnitentia, trium dierum jejnnium; castigatio carnis per flagella; vel peregrinatin, pro uno actu fornicationis.

7. *Pænitens est obliga-*

DICO secundò: Pœnitens tenetur regulariter acceptare medieinalem, congruam, & discretam Pœnitentiam; Unde nequit

Bbb

tus regulariter acceptare medicinalem Pœnitentiam,

neqnit Satisfactionem differre usqne ad Purgatorinm ; & si nolit eam acceptare, non est absolvendus. Ita probabiliter Scotus 4. dist: 15. q. 1. & alibi Magister Sent: S. Bonav: Richar: Suar: Bonac: & RR: contra Gabriel: Rub: Sylv: Navarr: Hostiens: &c.

Probatnr : Datur à Christo Confessariis potestas ligandi ; quæ etiam ad injunctinnem Satisfactionis extenditur ; sed si Pœnitens nnn teneatur Pœnitentiam discretam acceptare, nnn ligat : correlativa enim snnt potestas in superiore, & obligatio in subdito ; ita ut una sine altera subsistere nequeat ; ergn &c.

8. *Alia Probationes ejusdem Conclusi,*

Confirmatur : Cùm Satisfactio sit pars integralis Sacramenti, à Sacerdote debet injnngi : ergo etiam debet à Pœnitente acceptari, ut integrum perficiatur Sacramentum.

Accedit : quòd Tridentinnm Sess: 14. cap: 8. admnneat Cnnfessarins ; ut condignas imponant Pœnitentiss, etiam vindicativas præteritorum peccatorum ; ne fiant participes alieni delicti : ergo videtur snpponere, quòd Pœnitens Pœnitentiam teneatur acceptare. Tandem in foro externn tenetur delinquens acceptare pœnam ; & ad hanc potest cogi : ergn & in foro hoc interno Sacramentali. Scotus noster, qui à nonnullis Scotistis citatur in contrarium ; intelligendus est in sensu Cnnclusionis quintæ.

9. *Pœnitens obligatur acceptatã Pœnitentiam persolvere.*

DICO tertiò : A fortinri tenetnr Pœnitens acceptatam Pœnitentiam, etiam vindicativam, adimplere in vita ; & quidem sub mortali ; nisi impotentia impediat. Est Scoti 4. d. 19. & sequitur communis DD: contra Cajet: &c.

Probatnr primò : ex cap: *Omnis utriusq; sexûs*, ubi pœnitentibus præcipitnr, ut injnnctas Pœnitentiss debitè adimpleant. Et ratin accedit ; nisi enim esset gravis nbligatin adimplendi Pœnitentiam, frustrà imponeretur ; & nullius esset virtutis potestas ligandi in Sacerdotibus : ergo &c. Deinde, si licitè nnn adimpleretur Pœnitentia, gravis irreverentia irrogaretur Sacramento, non complendn illud, per snbtractinnem ejns integralis partis, qnalis est Satisfactio ; ergn tenetur Pœnitens adimplere acceptatam Pœnitentiam.

10. *Pœnitens ex causã rationabili potest rejectã primã Pœnitentiã, petere aliam à Confessario.*

DICO quartò : Potest Pœnitens aliquando ex aliqua valdè ratinnabili causa nnn acceptare injunctam Pœnitentism, sed petere aliam. Ita Scotns cit: & communis TT:

Probatnr : qnia adhnc salvatur, quidquid ad rationem Sacramenti requiritur ; pnta, potestas Clavium, quæ exigit, ut Confessarius possit ligare ad aliquod opus Satisfactorium ; & Pœnitentis dispositio, parati ad aliquam Pœnitentiam acceptandam ; & licèt hanc rejiciat ; nnn facit hoc ex irreverentia erga Sacramentum ; sed ex impotentia completè : etiam ponitur tertia pars integralis Sacramenti, scilicet aliqua Satisfactio : Et tandem nulla committitur irrevarentia Sacramento Pœnitentiæ : ergo &c. Et ideò dicit Trident: cit: Satisfactiones debere esse *convenientes* : id est, statui Pœnitentis accommodatas. Et Scotus 4. d. 15. q. 1. ait : Satisfactiones debere proportionari peccatis ; ita videlicet, ut carnalibus injungantur jejunia, & carnis macerationes ; Superbis Orationes, aliique humilitatis actus ; Avaris eleemosynæ, juxta illnd Sap: 11. *Per quæ quis peccavit, per hæc & punitur* ; Snbdit antem, talem modum, nnn semper esse servandum ; sed personæ conditinnem considerandam ; ideoqnè discretum debere esse Confessarium ; ut Pauperi v. g. nnn imponat Pœnitentiam diviti competentem ; tunc enim ratinnabiliter posset ille Pœnitens non acceptare talem Pœnitentiam, sed aliam petere. Et ex hoc principio excusat Lugo Disp: 25. Sect: 4. Confessarios Modernos, mites, & leves pro gravissimis criminibus injungentes Pœnitentias, ob infirmitatem videlicet spiritnalem Pœnitentinm ; & nè Pœnitentiam impositam penitùs omittant ; vel Confessionem fngiant.

11. *Imò in singulari casu, à Scoto assignato, non acceptare ullam.*

DICO qnintò : Pœnitens potest licitè non acceptare ullam Pœnitentiam, in casu, qun nimis difficile esset Pœnitenti eam adimplere ; & adhuc potest absolvi misericorditer ; modò habeat displicentiam de peccatis ; propositum non recidivandi ; & satisfaciendi per acceptatinnem afflictionum temporalinm, à DEO in hac, vel altera vita infligendarum ; vel per Indulgentias. Hæc est genuina Doctoris Mens 4. d. 15. q. 1. & d. 17. q. 1.

Casus autem, qun nimis difficile esset Pœnitenti Pœnitentiam adimplere supponitnr à Scoto esse iste ; si Pœnitens sentiret in se maximas turbatinnes conscientiæ, & anxietates excitari, in quibuscunque nperibns obligatoriis persolvendis, quibus sæpiùs repetitis nnn quiescit ; neqne existimat satisfecisse ; nti in Melanchnliei s contingit : in hoc casn particulari, ne in desperationem abeat Pœnitens, servatis conditionibus in Cnnelusione expressis, absnlvendns est Pœnitens ; etsi non acceptet Pœnitentiam.

Pro-

Probatur Conclusio: In hoc Sacramento debet procurari salus Pœnitentis; & reconciliatio ejus cum DEO; ad hanc autem non est medium proportionatum acceptare ullam Pœnitentiam, in casu Conclusionis, vel eam injungere; cùm habeat annexum periculum proximum peccandi: ergo non tenetur Pœnitens talis ullam Pœnitentiam acceptare in casu Conclusionis.

12. Solidatur eadem doctrina.

Probatur secundò: Jam jam moriens non tenetur acceptare Pœnitentiam difficilem nimis, ob moralem impotentiam adimplendi; sed potest velle satisfacere in Purgatorio; & Confessarius in hoc potest consentire: sed Pœnitens in casu Scoti, & Conclusionis censetur habere moralem impotentiam adimplendi: ergo pariter non tenetur acceptare Pœnitentiam; & in hoc potest Confessarius consentire licitè.

QUÆSTIO III.

In quo statu debeat absolvi Pœnitentia: ubi & de ejus commutatione?

1. Potest sufficienter persolvi Pœnitentia in statu peccati mortalis.

DICO primò: Potest Pœnitens in statu peccati mortalis existens satisfacere Pœnitentiæ, à Confessario sibi injunctæ. Ita Scotus 4. dist. 15. q. 1. quem, præter suos, sequuntur, Gabr: Marsil: Med: Nav: Vasq: Diana, & alii. Quâ igitur fronte audet dicere Soto, quòd solus Gabriel Scotum sequatur? Conclusio est contra S. Thomam, Richard: Capreol: Valent: Hurt: &c.

Probatur: quicunque solvit quantum debet, satisfacit; sive sit inimicus, sive amicus creditoris: ergo etiamsi in mortali existens sit DEI inimicus, persolvendo Pœnitentiam satisfacit Pœnitentiæ. Ant: patet de inimico Petri, debitore 100. florenorum, qui satisfacit Petro, tradens 100. florenos in inimicitia: ergo &c.

2. Accedit ratio Scoti ad idem.

Probatur ratione Scoti: Satisfactio operatur suum effectum etiam in statu disgratiæ: ergo &c. probatur Ant: Effectus Satisfactionis Sacramentalis ex opere operato est remissio pœnæ temporalis, cum auxiliis, ad præcavenda peccata imposterum facilitantibus: Sed Satisfactio adimpleta in mortali hunc effectum operatur: ergo &c. probatur Min: Satisfactio operatur hunc effectum ex virtute meritorum Christi, vi Clavium elevata; & non vi status gratiæ: ergo &c. Confirmatur: licèt opera facta in statu disgratiæ non sint DEO accepta, in ordine ad præmium vitæ æternæ; sunt tamen accepta in ordine ad præmium aliquod temporale; ùt suprà docui de meritis mortuis Dist: 18. q. 6. sed remittere pœnam temporalem intuitu Pœnitentiæ persolutæ, est præmium quoddam temporale: ergo potest remitti pœna temporalis per persolutionem Pœnitentiæ in mortali: & Consequenter Pœnitens satisfacit Pœnitentiæ, eam persolvendo in mortali.

3. Quædam Scriptura objecta reconciliantur pro Conclusione.

Objicies Scripturam: quæ 1. *ad Cor:* 1. dicit: *Si charitatem* (id est gratiam) *non habuero, nihil mihi prodest:* Et *Ecclesiastici* 34. *Dona impiorum non probat Altissimus:* & *Proverb:* 14. *Victima impiorum abominabiles:* ergo Pœnitentia in impietate facta, erit pariter abominabilis: & consequenter non satisfit ei, persolvendo ipsam in mortali. Respondeo: has & similes Scripturas tantùm probare, opera, quatenùs meritoria vitæ æternæ, sinè gratia sanctificante non posse elici; & sinè gratia omnia opera esse abominabilia; id est, non acceptari à DEO ad vitam æternam: non verò probant, quatenùs opera satisfactoria, pro pœna temporali absolvenda non valere; quæ, etsi opera placentia non sint, inquit Scotus hìc; sunt tamen debito satisfacientia.

4. Pœnitens debet per se Pœnitentiam peragere.

Nota primò: Pœnitentem [illegible] nequaquam posse per alium suam Pœnitentiam peragere, ùt habet Lugo, Bonac: &c. Ratio est; quia in Judicio forensi ipse reus debet absolvi, & puniri; ergo & hic. Item qui infirmus est, debet curari: ergo idem dicendum de Pœnitente. Confirmatur: nemo potest per alium Missam audire die Festo: ergo nec pœnam persolvere.

5. Confessarius potest impositam à se Pœnitentiam commutare.

DICO secundò: Idem Confessarius potest tollere, vel commutare Satisfactionem à se injunctam, tam ex vi ejusdem Confessionis; si tempus non sit adeò distans, ut Confessarius sit oblitus causæ; quàm ex vi alterius Confessionis, iterando eadem peccata: non potest tamen id facere extra Confessionem. Est communis Moralist:

Probatur prima pars: Quia Sacramentum Pœnitentiæ est institutum ad bonum animarum; expedit autem bono animarum, aliquando Pœnitentiam tollere, vel commutare mitigando: ergo &c.

6. Intra Confessionem tamen.

Probatur secunda pars: Quia, sicut extra Confessionem, & Sacramentum non potest imponi Pœnitentia; ita nec commutari;

mutari; ùt habet Coninck, Sylv: Bonac: ergo &c.

7. *Æqualis Confess: potest immutare Pœnitentias impositas ab alio Confessario.*

DICO tertiò: Æqualis Confessarius potest Pœnitentiam commutare, impositam ab alio Confessario æqualis Jurisdictionis. Ita Bonacinna, Sylvester &c.

Probatur: quia, licèt prior Sacerdos sententiam tulerit; potest tamen Pœnitens eandem causam iterum afferre in judicium, & postulare novam sententiam; adeoquè superveniens Confessarius æqualis poterit priorem sententiam commutare, & mitigare: ergo &c. Necesse tamen videtur, Confessionem repetere; Ratio est; quia, ut quis sententiet, debet cognoscere causam rei: & habet Laym: Sylv: Nav: Aliqui tamen Doctores cum Henriq: sentiunt; non esse necessariam Confessionem peccatorum in particulari; sed in specie tantùm.

8. *Quod procedit de solis Satisfactoriis Pœnitentiis.*

Nota secundò: datam doctrinam hanc esse intelligendam de Pœnitentiis impositis, ùt sunt Satisfactoriæ; non ùt sunt medicinales, ac præservativæ. Nam cùm medicinales sint impositæ, non ùt in destructionem; sed ædificationem; & per modum medicinæ, ut Pœnitens retrahatur, & præservetur; Medicina autem non prosit, nisi suscipiatur; sequitur non posse Confessarium alterum supervenientem, etiamsi superior esset, Pœnitentiam præservativam commutare. Ita S. Greg: Hostien: Zerola, Suar: &c.

9. *Confessarius inferior nil potest circa Pœnitentiam datam pro reservatis.*

DICO quartò: Confessarius inferior, licèt possit commutare Pœnitentiam impositam pro peccatis, quæ ipse potest absolvere; non tamen impositam pro sibi reservatis. Est communis.

Probatur: quia super reservata nullam habet Jurisdictionem: ergo neque in Pœnitentiam reservatis impositam.

10. *Præterquã in necessitate; vel gravi de causa.*

Excipe Necessitatem: in qua non esset facilis recursus ad reservantem: ùt habet Gon: Reginal: Sylv: Henriq: Nugnus &c. Item si alia justa causa interveniat spiritualis, v. g. utilitas Pœnitentis; vel magna difficultas in priori Pœnitentia perficienda: debet tamen Confessarius Inferior in simili Pœnitentia commutanda difficilem se præbere; ne Pœnitens occasionem arripiat, non adimplendi Pœnitentias: Ita Vasq: Zerola, Valentia, &c.

11. *Pœnitentia cum errore Clavis injuncta non obligat.*

Nota tertiò: Quando constat Clavem ab initio errasse; seu Pœnitentiam fuisse injustè impositam: certum est, Pœnitentem ad eam non obligari; ita ut eam sinè ulla commutatione possit omittere: & eadem est ratio, si Pœnitens fiat impotens implendæ Pœnitentiæ; non enim tenetur tunc aliud opus pium loco illius facere. Ita Laym: Filliucius, &c.

12. *In casu oblivionis Pœnitentia, Pœnitens tenetur iterum reconfiteri*

DICO quintò: Quando Pœnitens oblitus est totius Pœnitentiæ; nesciens, an fuerit jejunium; vel oratio magna, vel parva, tenetur saltèm præcipua peccata iterum confiteri; ut eadem Pœnitentia injungatur. Ita communis Moralist:

Probatur: Quia Pœnitens curare debet, quantùm potest; ut Pœnitentiæ Sacramentum sit integrum: non esset autem integrum; nisi aliqua Pœnitentia adimpleretur: ergo &c. Si tamen Pœnitens accederet ad eundem Confessarium, qui esset memor Pœnitentiæ injunctæ; non esset necessarium iterum eadem peccata confiteri; sed tantùm de Pœnitentia sibi imposita interrogare. Ita S. Antoninus, Cajet: Bonac: &c.

13. *Nemo propriâ authoritate commutare potest sibi injunctam Pœnitentiã.*

DICO sexto: Pœnitens propriâ Authoritate Pœnitentiam in æquale, aut melius commutare non potest. Ita Henriq: Conink, Regin: &c.

Probatur: Quia commutatio est actio Sacramentalis, & actus Jurisdictionis procedens ex virtute Clavium: sed talem Pœnitens exercere nequit: ergo Pœnitens propriâ Authoritate non potest Pœnitentiam commutare. Factâ tamen commutatione Pœnitentiæ, liberum est Pœnitenti eligere, quam Pœnitentiam voluerit, primam, vel secundam. Ratio est: quia commutatio Pœnitentiæ fit in favorem Pœnitentis; Pœnitens autem cedere potest juri, & favori suo: ergo &c. Ita Suar: Lessius, Sanchez, Bonacinna, &c.

DIS-

DISTINCTIO XIII.

DE INDULGENTIIS.

QUÆSTIO I.

Quid; & quotuplex sit Indulgentia?

1. *Definitio Indulgentiæ.*

PRopter Affinitatem cum Sacramentali Satisfactione, quam etiam suo modo supplere potest, agi hic solet de Satisfactione, quæ applicatur per Indulgentias: quas primi omnium impugnârunt Waldenses: Deinde Wicleph; Hussitæ; & tandem Calvinus, ac Lutherus; à quarum etiam impugnatione hic suam auspicatus est hæresim.

DICO primò: Indulgentia benè describitur: *Quod sit pœna temporalis, DEO debita, remissio extra Sacramentum, per applicationem Satisfactionis Christi, & sanctorum.* Ita Clemens VI. in Extravag: *Unigenitus, de Pœnit: & Remiss:*

2. *In Ecclesia manet potestas dispensativa Indulg:*

DICO secundò: Est in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias. Ita Theologi omnes, contra Hæret: cit:

Probatur primò: ex Tridentino Sess: 25. hoc ipsum definiente. *Secundò*: Eandem assertionem apertè supponit Lateranense, sub Innocentio, cap: 62. & referuntur cap: *cùm ex eo, de Pœnit: & Remiss:* Item; Concilium Lugdunense; & Viennense concedens Indulgentias iis, qui intersunt Divinis officiis, per Octavam Corporis Christi.

3. *Praxis Pontificû confirmat Conclusionem.*

Probatur secundò: ex summis Pontificibus, qui jam olim extra Conciliorum celebrationem, usurpârunt Authoritatem concedendi Indulgentias; Ita fecit Innocentius III. Eugenius III. Urbanus II. Gregorius Magnus, teste Altisiodorensi, & S. Thom:

4. *Et comprobant vetusta CC; generalia.*

Et ne Indulgentiarum vestigia in statutis antiquissimorum Conciliorum & scriptis veterum PP: deesse conquerantur Hæretici (è quibus Kemnitius impudenter mentitur, eas incepisse circa Annû 1200.) inspiciant Decreta Concilii Nicæni, Can: 12. & antiquissimum Conc: Ancyranum, Can: 4. Item; vetustum Patrem S. Cyprianum Martyrem, *Epistola 46.* Et *Epistola 11.* aliàs lib: 3. *Epist: 5.* Imò putant Interpretes, Apostolum 2. ad Cor: 2. dedisse jam pœnitenti Indulgentias, dum ait, versu 10. *Nam & ego quid donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Eadem veritas fuit confirmata maximis miraculis, quæ S. Bernardus, ùt habetur lib: 3. *vitæ* cap: 4. patravit, prædicans variis in locis Indulgentias, ab Eugenio III. concessas. Quibus accedit portentosa Indulgentia Portiuncula, à Christo concessa S. Francisco, toti mundo nota. Eandem suadent sufficienter illa verba Christi Matth: 16. *Tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in Cælis*: ex quibus sic arguo; per præfata verba data est Ecclesiæ potestas in culpas: ergo & in pœnas consequentes, relaxandas per Indulgentias.

5. *Accedit tandem ratio suadens.*

Ratione etiam probatur Conclusio: In Ecclesia est thesaurus ingens ex meritis, seu Satisfactionibus Christi, B. Virginis, & Sanctorum superabundanter exhibitis collectus, ùt docet Clemens VI. Extravag: *Unigenitus, de Pœnit: & Remiss:* qui, ne sit otiosus, & frustraneus, per Ecclesiam, & summos Pontifices potest dispensari per Indulgentiarum elargitionem: ergo &c.

6. *Occurritur Instantia Hæreticorum.*

DICES cum Hæreticis: ex his sequitur Sanctos esse nostros Redemptores; quia eorum meritis, & passionibus expiantur nostra delicta quòad pœnas temporales: sed hoc dici nequit: ergo &c. Respondeo: Negando Maj: sicut enim nos non dicimus nostri Redemptores simpliciter, quando per proprias Satisfactiones, fundatas in meritis Christi; redimimus pœnas temporales; ita nec sancti erunt nostri Redemptores. Deinde: etiam sancti possunt dici hic Redemptores nostri secundum quid, & minùs principaliter; quàm Christus; sine ullo inconvenienti.

7. *Divisiones quædam Indulg:*

Circa diversitatem Indulgentiarum: Nota primò: Indulgentiam aliam esse totalem, seu plenariam; aliam partialem. *Plenaria* dicitur illa, quæ omnem pœnam, in Purgatorio pro peccatis luendam, remittit. *Partialis* est, quæ partem tantùm remittit, sive in Purgatorio, sive in hoc sæculo etiam luendam; v. g. Indulgentia pœnæ unius anni, vel plurium; qualis pœna erat olim *Carena*, id est, carentia, sive jejunium, in pane, & Aqua per dies quadragin-

dragiota: & *quadragena*, quæ est remissio Pœnitentiæ, quæ per quadragesimam subeunda erat; de quibus habetur mentio in Niceno Concilio; & cap: *in capite*, dist: 50. Quando autem dicitur in Bullis Pontificum, quòd detur Indulgentia septennis, vel Carena; Sensus est, remitti tantam pœnam, quanta deleretur per Pœnitentiam septem annorum, vel quadragiota dierum jejunium.

8. *Aliæ item Divisiones Indulgent:* Nota secundò: Indulgentiam ulteriùs dividi in Personalem; & Realem. *Personalis* dicitur; quæ per se directè personis conceditur, sinè determinatione ad certam rem materialem. *Realis* verò dicitur; quæ alicui rei materiali, v. g. Metallo, vel Rosario est affixa; vel loco, ut Altari; vel Ecclesiæ. Item alia est Perpetua; alia Temporalis. *Perpetua* est; quæ semper durat, durante persona, vel re materiali, cui est affixa; *Temporalis* est; quæ certo tempore expirat.

9. *Quid operetur indeterminata, & determinata Indulgentia?* Nota tertiò: Quando Indulgentia sinè ulla temporis determinatione est concessa alicui Ecclesiæ; sæpius in die eam visitans, toties quoties lucratur Indulgentiam: si verò sit concessa cum determinatione, ut tali die, vel tempore, v. g. Paschali, aut Anniversario Dedicationis visitetur, censetur mens esse concedentis, quòd semel tantùm lucretur. Ita Laym: Brognoli, &c.

10. *Quandoq; ad lucrãdas Indulgentias sufficit, ante Ecclesiã orare.* Nota quartò: Quando ob hominum multitudinem non potest ingredi Ecclesiam, sufficit visitanti foris stare, & orationem injunctam peragere: Ratio est; quia moraliter visitat Ecclesiam tunc, Ita Rodriq: Soar: &c.

11. *Quando Ecclesia collabescēs privetur Indulgentia?* Nota quintò; Ecclesiâ dirutâ, si iterum non ædificetur, locus privatur Indulgentiâ; secùs si iterum ædificetur: quia censetur eadem moraliter Ecclesia. Ita Suar: &c. Est etiam in praxi probabile; si Ecclesia authoritate Superioris destruatur, & sub eodem titulo, & Patrono in alium locum transferatur; quòd etiam Indulgentiæ, & alia privilegia simul transferantur. Ita Glossa, S. Antoninus, Bononios, Suar: &c.

QUÆSTIO II.

De Effectu Indulgentiarum: quomodo prosint Defunctis; & de causa Concessionis earumdem.

1. *Indulgentiæ possunt tollere pœnas Purgatorii,* DICO primò: Indulgentiæ habent efficaciam tollendi pœnas Purgatorii; imò prout de facto conceduntur, eas tollunt. Ita Catholici contra Hæreticos.

Probatur prima pars: Ex Decretis Sixti IV. Oppositum damnantis. Deinde Indulgentiæ habent vim tollendi pœnas Purgatorii in Defunctis, ut dicetur infrà: ergo & in vivis. Tandem si per Indulgentias non possent tolli pœnæ Purgatorii; sed tantùm Pœnitentiæ injunctæ in foro Sacramentali; ad quid esset necessarius thesaurus Satisfactionum Christi, & Sanctorum? ergo &c.

2. *Imò de facto eas tollunt,* Secunda pars patet: ex sensu Ecclesiæ, summorum Pontificum, SS: Patrum, & Fidelium, firmiter tenentium ab antiquo, quòd per applicationem Indulgentiarum, eò ipsò tollantur pœnæ.

3. *Amplus Effectus Indulgentiarum.* DICO secundò: Per Indulgentias absolutè concessas non tantùm tollitur pœna Purgatorii, correspondens Pœnitentiæ Sacramentali; sed etiam alia, quæ esset exsolvenda pro peccatis, in aliis Confessionibus explicatis. Est communis, contra Cajet:

Probatur: Potest Papa alias quoque pœnas tollere; nec est ratio, cur restringat suam intentionem ad pœnas tantùm, correspondentes injunctis Pœnitentiis: imò contrarium constat, eò ipsò, quòd absolutè Indulgentias plenarias concedat: ergo &c. Deindè; sæpè conceduntur Indulgentiæ multorum millium annorum; & tamen nulli tot annorum Pœnitentia imponitur. Tandem; in multis, sola venialia confitentibus, pro lucranda Indulgentia, plenariæ Indulgentiæ forent inutiles; quòd dici nequit: ergo &c.

4. *Indulgentia dantur vivis per modum absolutionis.* DICO tertiò: Vivis conceduntur Indulgentiæ per modum absolutionis; defunctis verò per modum solutionis tantùm, & suffragii. Ita Doctores communiter.

Probatur prima pars: ex cap: *nostro, de Pænit: & Remiss:* ubi Indulgentiæ vocantur *Remissiones*, quod sonat authenticam condonationem, seu absolutionem. Idem sonant formulæ, quibus Pontifices conferunt Indulgentias: ergo &c.

Quando verò Papa sibi dat Indulgentias, dat sibi per modum solutionis puræ; cùm Jurisdictio absolutoria cum potestate ligandi non sit ad seipsum; sed alium.

5. *Defunctis verò per modum suffragii.* Probatur secunda pars *primò*: ex formis, quibus utuntur Pontifices, & dicunt se concedere Defunctis Indulgentias per modum suffragii: ergo &c. *Secundò* ratione: Absolutio est actus Jurisdictionis; adeoquè tantùm in subditum exerceri potest: sed Defuncti non sunt subditi Papæ; qui præest

præest tantùm Ecclesiæ Militanti: ergo per modum absolutionis eis concedi nequeunt Indulgentiæ: ergo tantùm per modum suffragii.

6. *Effectus Indulg: est infallibilis.*

Sed difficultas est: an Indulgentiæ pro Defunctis habeant certum, & infallibilem Effectum; an verò tantùm prosint secundùm liberalem, & congruam DEI acceptantis voluntatem. Hunc Effectum in Defunctis non esse infallibilem, docet Cajet: Petrus, Soto, Canus, &c. Contraria tamen opinio melior est Dominici Soto Nav: Suar: & RR: communiter. Ratio pro hac sententia deducitur ex Bulla Leonis X. *ad Cajetanum*, in qua æqualiter, & absolutè, tum vivis, tum Defunctis promitti videtur liberatio à pœnis.

7. *Pro Concessione Indulg: requiritur causa rationabilis.*

DICO quartò: Ut Indulgentia licitè, & validè concedatur; requiritur pia, & rationabilis causa. Ita Theologi communiter. Colligitur ex modo loquendi Pontificum, qui semper dicunt, Indulgentias ex causa pia, & justa posse concedi; ita loquitur Clemens IV. Extravag: *Unigenitus* Martinus V. Leo X. in *Epistola informatoria* ad suum Legatum Cajetanum.

Probatur etiam ratione: Papa non est Dominus, sed dispensator Thesauri Indulgentiarum: dispensator autem non potest sine causa disponere de rebus Domini; aliàs esset dissipator: ergo &c. Confirmatur: quia alioquin Papa posset uno verbo liberare omnes animas ex Purgatorio quotidiè; quod est incredibile: ergo &c. Ita etiam S. Bonaventura, &c. DD:

8. *Causa Indulg: debet esse proportionata.*

Nota autem primò: Quòd Causa requisita, non tantùm debeat esse pia; sed etiam proportionata; ita ut, quantò major est Indulgentia, tantò major Causa requiratur; alioquin non valet Indulgentia; nisi secundùm proportionem Causæ. Proportio autem Causæ in eo consistit; ut prudenter, & rationabiliter secundùm omnes circumstantias existimetur, ad majorem DEI gloriam fore, ut pœnarum debitum, imposito pio aliquo opere, condonetur; quàm ut secundùm rigorem justitiæ exsolvenda pœna relinquatur. Ita Soto Cajet: Suar: Con: Sylv: &c.

9. *Recensentur causæ concessionis Indulg:*

Nota præterea secundò: Causæ, quæ proportionatæ censentur ad concedendas Indulgentias, sunt sequentes: Utilitas Ecclesiæ; promotio cultûs DEI, vel sanctorum; Extirpatio vitiorum; Constructio templi; propugnatio; vel propagatio fidei; & similes. Solet etiam plerumque certum opus præscribi; quanquam non sit semper necessarium; cùm præcedentia merita, ac incitamentum ad imitandum, subinde sufficiant ad concedendas alicui Indulgentias. Quando præscribitur opus, tunc, ùt loquitur Extravagans, *Antiquorum &c.* Clem: VII. *Unusquisque plus merebitur, & Indulgentiam efficaciùs, consequetur, qui Basilicas ipsas ampliùs, & devotiùs frequentaverit*: vel aliud præscriptum opus cum majori devotione persolverit. Ita etiam S. Bonaventura.

10. *Etsi infirmetur quandoq; Indulgentia: annexi tamen favores manent.*

Nota tandem: Quando cum Indulgentia Plenaria jungitur facultas eligendi Confessarium pro absolutione à Reservatis, & dispensatione à votis; tametsi Indulgentia ob defectum causæ infirmetur; annexi tamen favores manent; pendent enim tantùm à Jure humano.

QUÆSTIO III.

De Dispositionibus ad lucrandas Indulgentias: de Valore earum; & Personis concedentibus.

1. *Lucraturus Indulgent: debet esse baptizatus.*

NOta primò: Primum requisitum esse ad lucrandas Indulgentias; ut lucrans sit baptizatus. Ratio est: quia communis thesaurus Satisfactionum est in Ecclesia, ut à Pastoribus fideliter dispensetur iis, qui sunt membra Ecclesiæ. Catechumenis tamen etiam censent multi posse concedi Indulgentias, non per modum absolutionis; sed per modum suffragii.

2. *Item subditum concedentis.*

Secundum requisitum est; ut lucrans Indulgentias sit subditus concedentis. Constat ex cap: *Quod autem, de Pænit: & Remiss:* Privilegiati tamen, & Exempti etiam possunt frui Episcopalibus Indulgentiis; quia in hoc se subjicere possunt Jurisdictioni Episcopi. Ita Laym: Soto &c.

3. *Non debet esse Excommunicatus.*

Tertium requisitum est; ut lucrans Indulgentias non sit Excommunicatione majori ligatus. Ratio est: quia hæc privat hominem partipatione spiritualium bonorum Ecclesiæ; de quorum numero est participatio Indulgentiarum.

4. *In statu gratiæ etiam debet esse.*

Quartum est; ut lucrans sit in statu gratiæ. Ratio est; quia reatus pœnæ nunquam aufertur; nisi ablatâ culpâ: unde, licèt absolutè necessarium non sit ad lucrandam Indulgentiam, ut aliquis opera præscripta omnia in gratia impleat; ùt habet Sotus, S. Antoninus, &c. in statu tamen gratiæ debet esse, quando Indulgentiam consequitur.

5. *Debet per-*

Quintum requisitum est; ut impleatur totum opus; unde, licèt per oblivionem etiam,

ficere omnia opera requisita.

etiam, vel justum impedimentum, aliquid operis omitteretur; non lucraretur Indulgentia; nisi omissa pars operis esset moraliter parva. Hinc infertur: quòd ille non lucretur Indulgentias, qui famulo mandavit dare talem eleemosynam; famulus verò eam non dedit. Ita Bonacin: Suar: & Sanch:

6. *Et quidē per se.*

Sextum requisitum est; ut lucrans Indulgentias per se ipsum impleat præscripta opera; v.g. jejunium: Unde si per alium impleat, non lucratur Indulgentias: excipe: nisi ille alius esset nudum instrumentum, materialiter tantùm concurrens; sicut concurrit famulus, qui ex manu Domini eleemosynam accipit, & transfert ad vicinum pauperem.

7. *Potest quis Indulg: lucrari, præstando omnia opera cum sola habituali intentione.*

Quæres primò: An ad obtinendum Indulgentias sit necessarium illas scire, & expressè seu actualiter intendere? Affirmant multi DD: Ego cum Portél, Salas, Laym: &c. dico, hoc ex natura rei non esse necessarium: unde satis erit facere omnia opera præscripta in Bulla, cum sola habituali intentione, vel interpretativa Ratio est: quia nec natura Indulgentiæ id necessariò exigit; nec verba Bullæ hoc significant; sed solùm habent, quòd Indulgentia lucretur à Fidelibus, qui tali die Ecclesiam visitaverint; totum autem hoc fieri potest, sinè scientia, & intentione actuali: ergo &c. Deinde nostris operibus aliàs satisfacimus, & obtinemus remissionem pœnæ; & tamen eorum vim ignoramus: ergo à pari.

8. *Plures Indulg: lucrari possunt per exhibitionem unius operis.*

Nota secundò: Uno opere exhibito, aliquem posse plures Indulgentias lucrari, quæ pluribus rebus concessæ fuêre; si tale opus sit, quod eodem die repeti non possit, vel non soleat; ut, si tali die jejunantibus, aut Ecclesiam visitantibus plures Indulgentiæ, ob diversas occasiones, cōcessæ sint, semel in die jejunans, vel Ecclesiam visitans lucratur omnes Ita Corduba, Con: &c. Si verò opus facilè repeti possit; debet illud repetere: Ratio est: quia hæc censetur esse mens Papæ.

9. *Quomodò sit intelligenda illa clausula Indulg: verè contritis, & cōfessis?*

Nota tertiò: Quando Indulgentia conceditur cum clausula *verè contritis, & confessis*; si quis conscientiam peccati mortalis non habeat, ad lucrandas Indulgentias non requiritur, ut venialia confiteatur. Ratio est: quia Confessio requiritur, ut obex consequendæ Indulgentiæ tollatur; sed venialia non sunt talis obex: ergo &c. Ita habet Con: Bonac: S. Antoninus, &c.

10. *Omissâ Cōfessione præscriptâ potest quis consequi Indulg: nō autē omissâ Eucharistiâ præscriptâ.*

Nota quartò: Quando in Bulla ponitur Communio, & Confessio; qui habet sola venialia, consequitur Indulgentiam, si confessione omissâ, Eucharistiam sumat; non verò si omissâ Eucharistiâ confiteatur tantùm. Ratio est; quia sumptio Eucharistiæ est tanquam conditio, non sic Confessio; nisi aliter Papa declaret. Ita Henriq: Suar: Bonacina, &c.

11. *Perpetua Indulg: sæpiùs lucrari potest per repetitionem operum; non autē temporanea.*

Nota quintò: Certum esse; quòd sæpiùs repetito opere injuncto, sæpiùs obtineri possit eadem Indulgentia; quando Indulgentia est perpetua, v.g. pro visitantibus certam Ecclesiam. Quando verò Indulgentia conceditur pro tali die; affirmant aliqui: aliqui negant: Negativa sententia videtur esse probabilior: Et fundatur in Responsione Clementis VIII. de Jubilæo Anni Sancti dicentis; idem Jubilæum semel tantùm posse lucrari; ùt referunt plures AA:

12. *Indulgentia tantùm valet, quantùm sonat.*

Circa valorem Indulgentiæ; Nota Indulgentiam tantum valere, quantum sonat; ùt habet Grassius, Con: & Corduba. Unde qui moreretur statim obtentâ Indulgentiâ plenariâ, mox in cœlum evolaret, sinè dilatione: Ratio est: quia gratia, qualis est Indulgentia, dependet à voluntate concedentis: Papa autem concedens vult, ut tantum valeat, ergo.

Nota sextò: Cessante causâ, propter quam concessa fuit Indulgentia, non cessat Indulgentia. Ratio est; quia, sicut dispensatio voti semper durat, quàmvis cesset causa; ùt habet Bonacin: &c. ita dicendum, de Indulgentia.

13. *Qualiter Indulgentia pro articulo mortis, dependens, vel independens à Confessario, lucrari possit.*

Nota septimò: Indulgentiam concessam pro mortis articulo, & dependentem à Ministerio Confessarii, consequi posse, non solùm in vero; sed etiam in probabili mortis articulo; ùt, quando infirmus Medicorum judicio confiteri debet ad suscipiendum viaticum. Ita Navarrus, Nugnus, &c. Independens à Ministerio Confessarii, in solo vero mortis articulo consequi solet. Ratio est: quia tantum valet, quantum sonat. Pro concessione autem Indulgentiæ in articulo mortis, nulla extat certa forma: Unde potest tantùm dici sic; *concedo tibi plenariam Indulgentiam, &c.*

14. *Quæ Personæ possint elargiri Indulgentias?*

Quæres secundò: Quis possit concedere Indulgentias? Respondeo *primò*: eas posse concedere summum Pontificem, ex Jure Divino. Constat ex Extravag: Clementis IV. suprà relata. Et Trid: Sess: 25. docente, potestatem dispensandi Indulgentias divinitùs datam esse Ecclesiæ; utique primò, & principaliter exercendam per caput Ecclesiæ. *Secundò*: potest eas concedere Archi- Episcopus; sed pro sua tantùm Provincia: Colligitur ex cap: *Nostro, de Pænit. & Remissione*; Et quidem tantùm

ex

ex Concessione Papæ. *Tertiò*: possunt Episcopi pro suis Diœcesibus: habetur cap: *cum eo, eodem tit*: ubi etiam refertur ordinatio Conc: Lataran: cap: 62. decernentis, ut Episcopi tantum possint concedere Indulgentias unius Anni in Dedicatione Basilicæ; & in anniversario 50. dierum. Alii Prælati inferiores jure ordinario non possunt concedere Indulgentias; Imò nec capitulum sede vacante, nec Cardinales; nec Generales; nec Provinciales Ordinum eas concedere possunt; nisi specialem ad hoc obtineant gratiam; sicut jam obtinuerunt Visitatores Generales nostrarum Provinciarum in suis Visitationibus. De Facultate Papæ, & gratia particulari, quiscunque poterit concedere Indulgentias, etiam Laicus; concessio enim Indulgentiæ non est actus Ordinis; sed Jurisdictionis.

QUÆSTIO IV.

De Jubilæo.

1. Quid sit Annus Jubilæi?

JUbilæum erat Annus Quinquagesimus remissionis apud Judæos, in quo jubebantur ab agricultura vacare; debita remittere; possessiones antiquis Dominis, absque pretio restituere; servos libertate donare; uti constat ex cap: 25. & 27. *Levitici*. Et dicitur à *Jobel* Hebraico, quòd latinè sonat *initium*. Ad hujus similitudinem in Ecclesia institutus est annus Jubilæus, seu remissio omnium peccatorum plenissima. Bonifacius VIII. cum statuit centesimo quoque anno celebrandum. Clemens IV. ad quinquagesimum revocavit; cùm paucorum hominum vita ad centesimum pertingat Paulus tàndem II. Jubilæum ad vigesimum quintum reduxit. Circa quod

2. Omnes communiter Indulgentiæ, & facultates suspenduntur durante Jubilæo.

Nota primò: Quod Anno Jubilæi, secundùm Bullas Gregorii XIII. Clementis VIII. & Urbani VIII. Omnes Indulgentiæ plenariæ suspendantur, quibuscunque Ecclesiis, Personis, vel Congregationibus, extra Urbem concessæ. Hæc tamen suspensio intelligitur tantùm quòad vivos; non quòad Defunctos. Unà cum Indulgentiis etiam suspenduntur aliæ facultates locales & indulta, v. g. absolvendi à peccatis determinatis, &c.

3. Exceptâ Indulg: Portiunculæ, & Compostellanâ.

Nota secundò: Sub suspensione, solita fieri in Jubilæo, non comprehenditur Indulgentia plenaria Compostellana (ùt ostendit CastroPalao: Item; nec Indulgentia Portiunculæ nostræ prope Assisium; ùt declaravit Urbanus VIII. Anno 1625.

4. Et demptâ facultate super reservata, data ob alios fines, quam propter Indulg:

Nota tertiò: Similiter non comprehenduntur sub generali tali suspensione facultatum, facultates absolvendi à casibus Episcopalibus, imò & Papalibus; quando non sunt concessæ occasione Indulgentiarum eas consequendi, sed ob alios fines, v. g. quæ sunt concessæ Regularibus in ipsorum Privilegiis.

5. In Jubilæo ad instar, possunt a Confessario opera præscripta mutari in alia.

Nota quartò: Quòd post annum Jubilæi; item post incoronationem Papæ; & quando Ecclesia gravi aliquâ difficultate premitur; soleat Pontifex Indulgentiam plenarissimam etiam concedere, sicut in Anno Jubilæi Romani: circa quod observandum; quòd si quis ob infirmitatem, vel professionem, aliamve causam, non potuerit opera in Bulla præscripta exequi; conceditur facultas Confessori omnia, & singula in opus bonum, & pium, pròut sibi visum fuerit, commutandi.

6. Ampla potestas Confess: tempore Jubilæi super Censuras; non tamen super Irregularitates.

Observandum secundò: quòd Confessariis tempore ejusdem Jubilæi detur potestas absolvendi in foro conscientiæ ab omnibus censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine latis; & à quibuscunque criminibus, etiam contentis in Bulla Cœnæ: & ex hoc capite distinguitur Jubilæum ab Indulgentia plenaria; penes nimirùm Jurisdictionem. Nulla tamen datur facultas dispensandi super irregularitate; etiam occulta; ex defectu, aut, inhabilitate, quomodolibet contracta. Tandem datur facultas commutandi quælibet vota; exceptò Castitatis, & Religionis. Et hæc est secunda differentia Jubilæi, ab Indulgentia plenaria.

7. Jubilæum semel tantùm lucrari potest.

Nota quintò: Veriorem esse illam opinionem D. Thom: Angl: Card: Nav: & RR: (licèt plurimi DD: contrarium probabiliter sentiant) quæ dicit, Jubilæum tale per duas septimanas communiter extensum, non nisi semel posse obtineri; ac consequenter non nisi semel à casibus reservatis absolvi. Colligitur ex ipsis formulis disjunctivis, non copulativis, sub quibus dictum Jubilæum publicatur; quæ proinde diligenter sunt inspiciendæ: tantùm enim valet Bulla, quantùm sonat; ùt habet communis Canonistarum. Accedit declaratio Clem: 8. d. 13. q. 3. Notab: 5. cit:

8. Opera Jubilæi possunt in diversis locis perfici.

Nota sexto: Opera præscripta in Bulla posse impleri in diversis locis, v. g. in uno domicilio potes visitare Ecclesias; & in alio reliqua opera facere. Ita CastroPalao. Ratio est: quia favor Jubilæi non localis; sed personalis est.

9. Ex ignorantia prætermissa opera possunt

Nota septimò: Qui Jubilæo ferè transacto, ex mera ignorantia, opera facienda omisisset; is posset confiteri ultimo die, & communicare; reliqua verò opera posset Confessarius prorogare in sequentem septimanam,

Transacto Jubilæo perfici; dummodo die ultimo Jubilæi fiat Communio.

ptimanam. Similiter si quis opera omnia explesset, exceptâ Communione; & ultimo die inadvertenter aliquid sibi assumeret; posset Communio commutari in aliud opus pium, vel differri in proximum diem: & lucrari Indulgentia.

10. *Elapso Jubilæo potest à Reservatis absolvi is, qui tempore Jubilæi confessus, ea fuit oblitus.*

Nota octavò: Completo Jubilæo posse pœnitentem absolvi à Reservatis oblitis; modò saltèm eô animô fit Confessus tempore Jubilæi. Similiter, & is, qui animô Jubilæum lucrandi Confessus erat Reservata; etsi postea ipsum non lucretur mutata intentione. Ita Herincx, cum aliis Doctoribus.

Nota nonò: Etsi securiùs, & conformiùs praxi sit, unâ hebdomadâ omnia opera absolvere; probabilis tamen etiam est sententia DD: Rodriq: Laym: docentium; quòd possint opera dividi ex rationabili causa; ita, ut unâ septimana visitet Ecclesias; alterâ communicet, vel jejunet.

11. *Opera Jubilæi possunt dividi per 2. septimanas.*

12. *Jejunium potest commutari in alia opera.*

Nota decimò: iis, qui jejunium per 3. dies præscriptum, sinè notabili difficultate, perferre non possunt; cujusmodi sunt Adolescentulæ, Infirmi, Pauperes, aliqui Mechanici, & similes; potest Confessarius loco jejunii alia opera æquivalentia injungere; similiter pauperibus, qui Eleemosynam dare nequeunt, v. g. recitationem Coronæ, auditionem Missæ: &c. ita Candidus, Henriq: &c.

QUÆSTIO V.

Cathalogus validarum Indulgentiarum, quas Regulares de factò possunt lucrari.

1. *Revocatio Indulgentiarũ Regularium à Paulo V. & novarũ Concessio.*

Nota primò: Olim plurimas, etiam Plenarias Indulgentias Religiosis Personis fuisse concessas, à Diversis Pontificibus; ùt videre est apud utrumq; Rodriq: Sed propter earum incertitudinem, & Confusionem Paulus V. Anno 1606. die 23. Maij, per Bullam *Romanus Pontifex*, omnes omnium personarum Regularium, Monachorum, & Mendicantium, directè ipsis concessas revocavit, cassavit, & annullavit Indulgentias; & novas sequentes eis concessit; quæ in hodiernum usque diem vigent; & eas possunt securè consequi Religiosi omnes, & Religiosæ.

Primò: Habitum Regularem legitimè suscipiens, eodem susceptionis die lucratur Indulg: plenariam.

Secundo: Professionem emittens die Professionis pariter lucratur Indulgentiam plenariam.

Tertiò: Quivis Religiosus in festo principali sui Ordinis celebrans, vel communicans lucratur plenariam.

Quartò: In mortis articulo confessus, ac communicans; vel saltèm contritè invocans nomen JESU, lucratur plenariam.

Quintò: Missam Novellam celebrantes, & intercessentes; aut eodem die celebrantes; lucrantur plenariam.

Sextò: Facientes Exercitia spiritualia per dies decem, (nunc Alexander VII. pro Minoribus Observ: & Refor: reduxit ad octo) lucrantur plenariam.

Septimò: Claustraliter viventes, si visitent suas Ecclesias diebus stationum; lucrantur Indulgentias easdem, quas visitantes Ecclesias Romanas diebus stationum lucrantur.

Octavò: Iidem Claustrales aliis diebus ante Altare suæ Ecclesiæ recitantes quinq; Pater, & Ave, pro qualibet die lucrantur quinque Annos, & totidem quadragenas.

Nonò: Prædicatores, & Lectores itinerantes cum licentia Prælati, dicentes quinque Pater, & Ave ante quodlibet Altare; lucrantur pariter quinque Annos, & totidem quadragenas.

Decimò: Mentalem Orationem facientes mediâ horâ quolibet die per integrum Mensem; lucrantur 6. annos, & totidem quadragenas.

Undecimò: Accusantes culpas in propriis Capitulis; lucrantur tres annos, & totidem quadragenas.

Duodecimò: Missiones ad terras Infidelium acceptantes, in accessu, & recessu, lucrantur Indulgentiam plenariam.

Decimo tertio: Orationibus 40. Horarum, à superioribus Ordinum ordinatis in Visitationibus generalibus, interessentes duabus horis, lucrantur plenariam.

2. *Non sunt revalidatæ Indulgentiæ Regularium, revocatæ à Paulo V.*

Has solas Indulgentias Paulus V. in cit: Bulla revocatoria concessit Regularibus, & pristinas omnes abolevit; quæ usq; modò nequaquam sunt revalidatæ per Successores Pontifices; ùt contendit P. Hieronymus Rodriq: in suo Reductorio qq: *Regul: Emanuelis Rodriq*: Resolut: 77. contra P. Portel, verbo *Indulgentia*, pluribus solidis rationibus benè ostendentem; nunquam esse revalidatas Indulgentias Regularium à Paulo V. revocatas. Pro quo accedit novissima Alexandri VII. prohibitio, in editis propositionibus prohibitis. Anno 1666. vetantis graviter hanc propositionem: *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.*

3. *Paulus V. dono concessit Indulg: Rosarii & Frat-*

Nota tamen: eundem Pontificem, post editam eit: constitutionem, ad instantiam Oratoris Hispaniæ, apud Romanam Curiam residentis, & Commissarii Generalis Ord: Min: Vltramontani de Observantia, etiam concessisse Plenariam Indulgentiam Frat-

ſtationis ſanctiſſimi Sacramenti.

Fratribus minoribua recitantibus coronã B.V. MARIÆ ex ſeptem (non ex ſex) poſtis congeſtam; quæ uſq; modò viget; ùt teſtatur Portel., verbo *Indulgentia*, Hieronymus Rudriquez, & alii Doctores. Idem etiam poſteà conceſſit, ùt fecerat ante Leo X. Minoribus magnam illam Indulgentiam, ſeu potiùs innumerabiliom multitudinẽ Indulgentiarum, *ſtationis* (ùt vocamus nos Minores) *Sanctiſſimi Sacramenti*, quæ & eſt in uſu Ordinis, & in valore defactò, ùt habet noſter Lantuſca, *in theatro Regul*: Romæ in Typographia Apoſtolica impreſſo, Anno 1664. virtute cujus poſſunt Fratres Minores lucrari quovis die; imò toties, quoties, omnes Indulgentias Portiunculæ; Urbis intus, & extra, Jeruſalemitanas; & S. Jacobi de Compoſtella: & hoc in ſua Eccleſia; Clauſtro, & quovis loco, recitantes 6. Pater noſter, & Ave Maris, cum Gloria Patri &c. pro hæreſum extirpatione, concordia Principum, exaltatione Eccleſiæ, & ſua ſanctitate. Et poteſt hæc ſtatio, gratiis ſpiritualibus refertiſſima, etiam applicari pro defunctis; ùt habet idem Lantuſca cit:

4. *Summarium Indulgentiarum omnium Urbis, & Jeruſalem.*

Nota antem ſecundò: Quòd occurrant quotidie in Urbe, & extra eam tredecim vicibus plenariæ Indulgentiæ pro vivis, & bis ad minna pro defunctis. Item 132. millia annorum, & 550. anni, cum pluribus quarantenis; & liberatur una anima quotidie ex Purgatorio. In Eccleſiæ verò Jeruſalem, quotidie 21. vice plenaria Indulgentia, com pluribus aliis non plenariis, & quarantenis: quæ omnia atteſtatur noſter Lantuſca in ſua *Regula tertii Ordinis*, Romæ in Typographia Apoſtolica Impreſſa, & admiſſa, Anno 1665.

5. *Indulgentia communes omnibus Chriſti fidelibus lucrari poſſunt defactò à Regularibus.*

Nota deinde tertiò: Religioſos, etiam poſt prohibitionem cit: Paulinam, præter dictas Pauli V. Indulgentias, poſſe conſequi Indulgentias òmnes, quæ aliàs indifferentes omnibus Chriſti Fidelibus, in quacunq; Eccleſia Mundi conceduntur, Eccleſias haa viſitando: cùm in hoc Regulares non ſint deterioris conditionis, quàm alii Chriſti fideles: & nulla appareat ratio, Regulares eximendi à Communi Eccleſiæ beneficio. Et eſt communis Doctorum ſenſus. Unde

6. *Syllabus Indulgentiarum communium, quas Regulares lucrari poſſunt.*

Primò: Fratres Minores lucrari poſſunt Indulgentias plenarias in ſuis Eccleſiis, in feſtis S. Franciſci, Portiunculæ, S. Antonii Paduani, Bonaventuræ, Ludovici, Bernardini & S. Claræ, ex Bulla Sixti V. & ex Bullis Recentiorum Pontificum, in Feſto S. Didaci, & S. Petri Alcantaren: cùm ſæculares his feſtis viſitantes Eccleſias Fratrum Minorum, & more ſolito ibidem orantes, conſequantur plenariam Indulgentiam. Idem dic de feſtis aliorum Ordinum. Et eſt ratio: quia Regularibus à Paulo V. non ſunt ablatæ Indulgentiæ; niſi directè ipſis ſolis perſonis Regularium conceſſæ; ùt habent Doctores Regulares paſſim: & non eorum Eccleſiis; cùm non eſſet ratio eadem revocandi earum Indulgentias, & Regularium. Et extat pro hac particularis Declaratio S. Congregationis ab eodem Paulo V. deputata, facta Romæ 7. Septembris Anno 1607. quam in terminis adducit Lantuſca noſter Minorita .. Refor: in ſuo *Theatro Regul*: Romanæ editionis primæ, folio 161.

Secundò: Regulares recitantes verſus, *Angelus Domini* &c. cum 3. Ave Maria, ex Paulo III. & Alexandro VI. lucrari poſſunt Indulgentias plenarias, ad tria ſigna campanæ, ſalutationem Angelicam rememorantia. Ratio eſt; quia hujusmodi Indulgentia conceſſa eſt omnibus Chriſti fidelibus: ergo & Regularibus.

Tertiò: Regulares audientes Miſſas in ſuis Eccleſiis lucrantur 100. dierum Indulgentias, ex Alexandro IV. Ratio eſt: quia hoc indefinitè conceditur omnibus Chriſti Fidelibus.

Quartò: Regulares viſitantes ſuas Eccleſias in feſto ſanctiſſimi Nominis JESU, & Immaculatæ Conceptionis; lucrantur Indulgentias conceſſas Feſto Corporis Chriſti. Item in Feſtis Chriſti, & B. Virginis, ſemper 548. annorum Indulgentias, & 200. dierum. Imò quovis die 49. annos, & 300. dies. In Quadrageſima verò 3857. annos, & 207. dies; ùt habet Rodriq: in qq: *Regul*: quæſt: 94. Ratio eſt: quia easdem lucrantur omnes Chriſti fideles ſæculares viſitantes Regularium Eccleſias; quibus Regulares non debent eſſe deteriores.

Quintò: Regulares lucrantur 50. dierum Indulgentias ſalutando ſe, his verbis: *Laudetur JESUS Chriſtus*; cui debet reſpondere alter: *ſemper laudetur*. Ratio eſt: quia & ſæculares has lucrantur: ergo &c.

Sextò: Regulares lucrantur 26. dies Indulgentiarum, inclinantes caput, vel reverenter detegentes ad prolationem ſanctiſſimi Nominis JESU, vel MARIÆ. Ratio eſt: quia etiam eſt Indulgentia communis Chriſti fidelibus ſæcularibus.

Septimò: Regulares recitantes Antiphonam *Hæc eſt Virga* &c. cum verſu *In Conceptione tua*, &c. & Oratione, *Deus qui per Immaculatam* &c. lucrantur 100. dierum Indulgentias. Ratio eſt eadem, quæ priùs.

Octavò: Regulares ad ſonum Horologii, vel Campanæ, dantis ſignum pro Divino officio, recitantes unicum Ave Maria; lucrantur 100. annorum Indulgentias. Ratio eadem, quæ antè.

In ſumma: generaliter cenſeo concludendum;

7. *Generalis conclusio pro Regularibus in hac materia.*

dendum; quòd Religiosi, & Religiosæ consequi possint omnes Indulgentias, quas quilibet Christi fideles, in quovis loco, juxta præscriptum Apostolicum, possunt lucrari, certis exercitis operibus: cùm Religiosi & Religiosæ pariter sint Christi fideles, potentes de Ecclesiæ Thesauro participare.

8. *Quænam Indulgentiæ non sint revocatæ per constitutionem Pauli V?*

Nota quartò: Per cit: Pauli revocationem, non esse revocatas Indulgentias, intuitu quidem Regularium concessas; pro beneficio tamen alieno, v. g. animarum in Purgatorio, vel aliorum; ùt patet inspicienti Constitutionem cit: *Romanus Pontifex*, sed solas olim concessas directè, & principaliter ipsis Regularibus, & pro ipsis Regularibus; ùt habet Hieronymus Rodriq: & alii plurimi DD: Quapropter puto adhuc vigere, & valere sequentes Indulgentias.

Primò: quod Prædicatores Concionantes in nostris Ecclesiis, quolibet anni tempore possint dare Indulgentias suis Auditoribus 40. annorum: ex Alexandro IV. ùt habet Hieronymus Rodriq: Resol: 77. tempore verò Quadragesimæ, Feriâ secundâ, quartâ, & sextâ, possunt concedere 156. annos, & 524. dies, per concessionem 9. Pontificum, ùt habet Emanuel Rodriq: quæst: 95. art: 1. Ratio est: quia est Indulgentia non pro ipsis Regularibus; sed alienis Personis concessa.

Secundo: Sæculares facientes celebrare missas in Ecclesiis Regularium, & alia Divina officia; lucrantur 1000. dies Indulg: ùt habet cit: Rodriq: Ratio est; quia hæc Indulgentia respicit bonum alienum.

Tertiò: In die S. Joannis Evang: & ejusdem festo ante Portam latinam; ac Sabbatho Palmarum; Fratres Minores de observantia, liberant animam ex Purgatorio, dicendo ante Venerabile Sacramentum 7. Psalmos Pœnit: aut 5. Pater & Ave. Ex Leo: X. sed vult cit: Papa, ut eadem die Fratres recitent pro sua sanctitate Coronam B. Virginis. Ita Emanuel Rodriq: quæst: 96. art: 1. Ratio est eadem, quæ antè.

Quartò: Adhuc Patres, & Matres Regularium in articulo mortis possunt sibi eligere Confessarium; & ab eo plenariè absolvi; ac plenariam Indulgentiam recipere, ex Callisto III. Ratio est eadem. Item si dicatur in Conventu Regularium una Missa, ubi filius Minor Defuncti Parentis moratur, liberatur anima ejus ex Purgatorio. Idem dicendum de anima defuncti hujus, vel illius benefactoris Conventûs; ex Callisto III. & Clemente VIII. Ratio assignatur eadem, quæ priùs.

Sextò: Regularis Minor legens Missam die Dominico; vel Festo Domini; aut B. V. Mariæ: Item communicans, lucratur plenariam Indulgentiam pro defunctis ex Innocentio VIII. Ratio ponitur similis, quæ antè.

Septimò: Syndici Patrum Minorum, eorumquè substituti, liberi, parentes, & Sorores, possunt promereri Indulgentias stationum Urbis, & aliàs fratribus concessas, dicendo in eorum Ecclesiis quinq; Pater, & Ave; pro felici statu Ecclesiæ; ex Eugenio IV. Ratio est: quia & hæc Indulgentia non ipsis directè fratribus concessa est; sed intuitu tantùm Fratrum; adeoquè non est revocata: cùm tales per Paulum non revocentur, utì patet lustranti terminos Bullæ revocatoriæ.

9. *Infirmi Regulares etiam Indulgentias stationũ, & alias lucrantur, dicendo 5. Pater & Ave, vel facientes pium opus.*

Nota tandem: Quòd Regulares, valde infirmi, lucrentur Indulgentias stationum, & alias Regularibus concessas, in suis Ecclesiis; si dicant 5. Pater, & Ave ad communem Ecclesiæ intentionem; ùt concedit Innocentius VIII. Imô Leo X. concedit; ut iidem lucrentur Indulgentias Coronæ Salvatoris, & B. V. Mariæ, dicendo unicum psalmũ, aut hymnum Domini Nostri, vel DEIparæ; Quod etiam Eugenius IV. extendit ad Fratres occupatos; & Pius II. addit; ut faciant aliud bonum, & æquivalens opus. Innoc: verò VIII. vult, ut dicant orationes aliquas, impositas per Prælatos illis diebus, quibus tales Indulgentiæ conceduntur: ùt habet uterque Rodriq: & Compendium Mend: tit: *Indulgentia.*

DISTINCTIO XIV.

DE EXTREMA UNCTIONE.

PROOEMIUM.

RECto Ordine Sacra Concilia Florent: & Trident: ac Theologi paſſim, poſt traditam doctrinam de Sacramento Pœnitentiæ, Tractatum inſtituunt de Sacramento Extremæ Unctionis; cùm ſit Sacramenti Pœnitentiæ completivum, & abſterſivum reſiduarum reliquiarum peccatorum; ut loquuntur Patres, & Tridentinum Seſſ: 14. cum quibus proinde & ego hanc ſubjicio diſtinctionem.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Extrema Unctio? An ſit verum Sacramentum? A quo & quando inſtitutum?

1. *Definitio Sacramenti Extremæ Unctionis.*

DICO primò: Benè definitur Sacramentum Extremæ Unctionis: *Eſt unctio hominis infirmi Pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis cum Oleo conſecrato ab Epiſcopo, miniſtrata à Sacerdote, ſimul certa verba cum intentione debita proferente; ex inſtitutione Divina efficaciter ſignificans curationem finalem venialium.* Ita in terminis Scotus; & eſt communis Scotiſtarum.

Probatur: Quia conſtat ſolitis conditionibus bonæ definitionis: ergo, &c. Explicatur breviter: ly *Unctio* eſt genus: reliqua ponuntur pro differentia: Dicitur, *hominis infirmi pœnitentis*; ad deſignandum ſubjectum capax hujus Sacramenti. Dicitur, *facta in determinatis partibus corporis*; videlicet in organis quinque ſenſuum. Additur, *cum Oleo conſecrato ab Epiſcopo*, ut oſtendatur materia remota Extremæ Unctionis. Ly *Miniſtrata à Sacerdote*, indigitat Miniſtrum ejus. Ly *certa verba proferente*, innuit formam ipſius: reliqua verba definitionis monſtrant effectum.

2. *Extrema Unctio eſt Sacramentum.*

DICO ſecundò: Extrema Unctio eſt verum Sacramentum, à Chriſto inſtitutum. Ita Catholici, contra Waldenſes, Albigenſes, Lutheranos, Calviniſtas, & reliquas fœces Novatorum.

Probatur prima pars primò: Ex Scriptura Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini; & Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit remittentur ei:* Ex quo textu Concilia Oecumenica, Florentinum, & Tridentinum, Innocentius I. & III. ac plerique Patres, probant dari Sacramentum verum Extremæ Unctionis. Et meritò: quia citatò textu aſſignantur omnia requiſita ad rationem veri Sacramenti; nam pro ſigno ſenſibili, ſeu materia, & forma, aſſignatur *Unctio, & Oratio*; pro Miniſtro *Presbyter*; pro effectu *remiſſio peccatorum*. ergo, &c.

3. *Quod probant CG.*

Probatur ſecundò: Ex pluribus Conciliis, hoc definientibus: ſic determinat Concilium vetuſtum Cabilonenſe, tempore Caroli Magni celebratum, *cap. 48.* Concilium Senonenſe, *cap. de Extrema Unctione*; Concilium Moguntinum, *cap. 34.* Florentinum, & Trident: ergo, &c.

4. *Sancti PP. confirmant.*

Probatur tertiò: Ex antiquis PP. Dionyſi Areopagita *cap. de Eccleſiaſtica Hierarchia*, in fine; qui tempore Chriſti, & Apoſtolorum vixit. Ex Origine Hom: *2. in Levit.* qui vixit anno 230. Ephrem: *lib. de vita ſpirituali, cap. 75.* qui vixit anno 390. Chryſoſt: *lib. 3. de Sacerdotio.* Auguſt: *Sermone 215. de tempore*: & clariſſimè ex Innocentio *lib. ad Decentium Eugub. cap. 8* ſedente in Sede D. Petri tempore Auguſtini: qui omnes Extremam Unctionem perpetuò in Eccleſia practicatam agnoſcunt; eique

què peccatorum remissionem, alleviationem, ac rationem veri Sacramenti adscribunt: ergo, &c. Ex his concluditur vanam esse Hæreticorum calumniam, dicentium nullam apud Veteres reperiri hujus Sacramenti mentionem.

5. *Et congruentia Scoti suadet.*

Probatur quartò congruentiâ Scoti: DEUS non minùs providit Fidelibus suis in minori, quàm maxima necessitate: maxima autem est necessitas Sacramenti alicujus in articulo mortis, ob Dœmonis tentationes, Divini Judicij timorem, futuri statùs incertitudinem: ergo sicut in initio vitæ providit de Baptismo; in medio vitæ de Pœnitentia; sic in fine vitæ de Sacramento Extremæ Unctionis.

6. *Extrema Unctio est à Christo instituta.*

Probatur secunda pars: Quòd *à Christo sit instituta Extrema Unctio:* Christus aliorum Sacramentorum est Author; ùt alibi ostensum est: ergo & Extremæ Unctionis. Confirmatur per Doctrinam Tridentini *Sess. 7. Can. 1. & Sess. 14. cap. 1.* & aliorum Conciliorum: ergo, &c.

7. *S. Iacobus in Epistola sua tantùm promulgavit Extremam Unctionem.*

DICES cum Hæreticis: Jacobus Apostolus hoc Sacramentum instituit, in Epistola sua cap. 5. ergo non Christus. Respondeo cum Catholicis: Negando Ant: Sed S. Jacobus in sua Epistola illud tantùm promulgavit, quoad ejus cæremoniam & ritum.

8. *Post resurrectionē instituit Christus Extremam Unctionem.*

DICO tertiò: Extrema Unctio probabilius est instituta à Christo primò post Resurrectionem, quando instituit Pœnitentiæ Sacramentum, Joannis 20. Deducitur ex Scoto 4. dist: 24. q. un. & tenet eam Aretinus, Hiribarnes, &c. & plures RR. contra Branc: & alios.

Probatur: Hoc Sacramentum supponit in Ministro Potestatem peccata remittendi; & in ipsius materia consecranda Episcopalem benedictionem: sed hanc potestatem primò contulit Christus Apostolis post resurrectionem, Joannis 20. ergo tunc primò etiam hoc Sacramentum fuit institutum; cùm sit Sacramenti Pœnitentiæ consummativum, & quasi complementum; ùt loquitur Tridentinum Sess: 14.

QVÆSTIO II.

De Materia; Forma; & Ministro Extremæ Unctionis.

1. *Materia Extrema Unctionis est oleum olivæ benedictum ab Episcopo.*

DICO primò: Materia remota hujus Sacramenti est oleum olivæ, ab Episcopo benedictum. Est communis Catholicorum.

Probatur: Ex Concilijs Florent: & Tridentino Sess: 14. hoc definientibus. Et Apostolus Jacobus ipse indicavit in sua Canonica, illis verbis: *ungentes eum Oleo.* Et licèt non addat *Olivarum:* ex communi tamen modo loquendi, & Ecclesiæ sensu, intelligitur de oleo olivarum; utpotè usuali: quemadmodum dum dicitur, materiam baptismi esse aquam; intelligitur de aqua elementari usuali.

DIXI: *Ab Episcopo benedictum:* quia Ecclesiæ praxis, & Conciliorum ordinatio est, ut à solo Episcopo hujusmodi oleum benedicatur; quamvis Cajet: Zambrang: Henriqu: Victoria, & cæteri DD. probabiliter putent, simplicem Sacerdotem ex commissione Papæ hoc oleum etiam posse benedicere.

2. *Distinctum ab unguento Confirmationis.*

DICO secundò: Defactò unguentum Extremæ Unctionis, & Confirmationis sunt omninò materiæ, & unguenta distincta. Ita Valentia, Zambranus, Sotus, &c.

Probatur: quia oleo, quod est materia Confirmationis, admiscetur balsamum; oleo autem Unctionis non: quia nimirum balsamum significat odorem bonæ famæ, quam baptizati, dum vivunt, & confirmati, debent per bona opera servare: oleum autem simplex, quò bonæ conscientiæ tranquillitas designatur, mox morituris sufficit: ergo, &c.

3. *Immixtio balsami non obesset Materia Extremæ unctionis.*

DICO tertiò: Si tamen casu cum oleo unctionis, aliquid balsami misceretur; adhuc esset materia valida Sacramenti Extremæ Unctionis; nisi corrumperet totam naturam olei. Ita Hiq: Aret. Pont: &c. cum RR.

Probatur: Mixtio alicujus liquoris cum vino consecrationis, si vini naturam non corrumpat, relinquit Materiam Consecrationis validam: ergo idem dicendum de balsamo. Unde

4. *Si infirmus casu ungatur oleo Confirmationis nil debet repeti.*

DICO quartò: Si casu, & per errorem Sacerdos unxerit infirmum Sacrô Chrismate baptismali, probabiliter nil est repetendum; sed res est DEO commendanda. Probatur: quia satis probabile est, Sacramentum Extremæ Unctionis validè conferri in materia Chrismatis: & dicit Henriqu: & Suar: consuetum olim fuisse, talem Materiam adhibere: Et quia mixtio balsami tam exigua esse solet; ùt oleum nec physicè, nec moraliter censeatur suam naturam perdidisse: ergo, &c. Quòd verò hâc, vel illâ benedictione consecratum sit; non videtur pertinere ad substantiam Sacramenti; ùt post Scotum, & D. Thomam, habet Pitigianus noster.

5. *Proxima Materia Extrema Unctionis est ipsa unctio.*

DICO quintò: Materia proxima hujus Sacramenti est unctio saltèm quinque sensuum, facta à Sacerdote. Est communis.

nis. Probator congruentiſ: quia quinque ſenſus ſunt quaſi origines, ſeu receptacula peccatorum, per Extremam Unctiooem abſtergenda: Omne enim peccatum ex cogitatione naſcitur; & cogitatio ortum habet à ſenſibus, dicente Philoſopho; *Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuit in ſenſu.* Dixi *ſaltèm quinque ſenſuum*: quia reliquæ duæ unctiones pedum, ac renum non ſunt de eſſentiâ hojus Sacramenti: & in viris Religioſis, ac fœminis, illa in renibus congruentiùs omittitur; ùt habet Scotus, Tolet: Valentia, &c.

Nota autem: Sufficere ad valorem Sacramenti, unum oculum, unam aurem, vel unam manum innngere; ùt notat Henriq: Suar:, &c. hujuſmodi tamen modus nngendi non eſt practieandus; niſi in caſu neceſſitatis. Quòd ſi ægrotus manibus careat, ungenda eſt caro propinqua; ſi oculis careat, loca oculorum: quia licèt à nativitate cœcus non potuerit hoc ſenſu peccare ſecundùm effectum; potuit tamen ſecundùm concupiſcentiam videndi.

6. *Forma Extrema Unctionis.*

DICO ſextò: Forma hujus Sacramenti ſunt hæc verba: *Per iſtam S. unctionem, & ſuam piiſſimam Miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum, amen*; & ſimiliter dicitur de alijs membris. Ita Florentin: & Ritualia Romana communiter.

7. *Validum eſt hoc Sacramentum unicâ unctione perfectum.*

Nota ſecundò: Tempore neceſſitatis ſufficere ad valorem Sacramenti, ut unica fiat unctio, in aliquo ſenſo, cum forma exprimeote omnes ſenſus, qui aliàs diverſis unctionibus onguntur. Ita S. Thnmas, Henricx, &c.

8. *Miniſter Extrema Unct: eſt ſolus Sacerdos.*

DICO ſeptimò: Solus Sacerdos poteſt eſſe Miniſter hujus Sacramenti. Ita S. Bonavent: Richardus, Palud: &c. Theologi.

Probatur: Ex Florent: & Trident: Seſſ: 14. cap. 3. hoc determinantibus. Et ſomitur etiam ex Traditione Eccleſiæ, fundatâ in illo S. Jacobi, *Inducat Presbyteros Eccleſiæ*: ergo, &c.

9. *Solùm in neceſſitate plures Sacerdotes ſimul poſſunt inungere agonizantem.*

DICO octavò: Urgente neceſſitate Sacramentum Extremæ Unctionis licitè poteſt à ploribos Sacerdotibus conferri; modò unusquisque ungat independenter ab alio; & formam pronuociet. Ita communis apud Suarez, Henriq: &c.

Probatur: Quia hoc Sacramentum habet plures partiales Materias, & Formas: ergo, &c. Extra tamen neceſſitatem hòc non eſt licitum; cùm ſit contra praxim Eccleſiæ.

10. *Explanatur dictum D. Jacobi.*

Nec obſtat locus S. Jacobi dicentis: *Presbyteros inducat*; ſenſus enim eſt, inducat aliquem ex Presbyteris; ùt uſus Eccleſiæ indicat; & patet à ſimili, ex illo Matth: 27. ubi dicitur; *Latrones improperâſſe*; cùm tamen unos tantùm improperaverit.

11. *Moriente Sacerdote ungente unum tantum locum, ab altero debent alia ungi*

Nota tertiò: Si Parochus morte, vel morbò præventus unum tantùm unxerit locum, reliqui ſenſus ſont ungendi ab alio Presbytero, ut perficiatur Sacrameotum. Ita S. Thomas, Poſſevinus, &c.

12. *Sinè licentia Parochi adminiſtrantes Extremã Unctionem excommunicantur.*

DICO nonò: Religioſi Clericis, vel Laicis Extremam Unctionem mioiſtrantes ſinè proprij Sacerdotis licentia, ipſo facto incurrunt Excommunicationem, Papæ reſervatam. Ita habetur in Clementioa prima, *de Privilegys*,

13. *Exceptio à priori doctrina.*

Excipiuntur hic: Servitores, & dnmeſtici Conventûs Regularis. Item Panperes in ſuis hoſpitalibus degentes; ùt habet Bulla 33. Sixti IV. Item non incurritur dicta Excomunicatio ab eo, qui in manifeſta neceſſitate, abſente Parocho, de licentia ejus præſumpta, vel ex ſimplicitate miniſtrat dictnm Sacramentum. Ratio eſt: quia dicta Bulla præſumentes tantùm comprehendit. Item poteſt quilibet Sacerdos Unctionem Extremam adminiſtrare; ſi proprius per injuriam manifeſtam eam nolit miniſtrare: tunc enim cenſetur Supremus Parochus Pontiſex dare liceotiam; cùm hoc Sacramentom animæ ſit valdè otile: Ita Henriqu: Laym: &c. Pro nobis Fratribus Minoribns extat expreſſa Bulla Sixti IV. concedens facultatem Extremam Unctionem adminiſtrandi ſibi Confeſſis; quando negant; vel injuſtè detinent eam Parochi.

QVÆSTIO III.

De Subjecto; & Effectu Extremæ Unctionis.

1. *Ungendus debet eſſe viator.*

DICO primò: Solus viator baptizatus adultos graviter, & periculosè infirmus, & lapſus in aliquod peccatum, eſt capax ſobjectum recipiendi Extremam Unctiooem. Ita commonis Doctorum.

Probatur prima pars: Quòd debeat eſſe *Viator*. Solus Viator eſt medicinæ capax: ergo cùm Sacramenta omnia, & conſequenter Extremæ Unctionis ſint medicinæ, ſolos viator ejus erit capax ſubjectum.

2. *Baptizatus, & adultus.*

Probatur ſecunda pars: Quòd debeat eſſe *baptizatus*; quia baptiſmus eſt janua ad hoc, & qnodcunqne aliud Evangelicum Sacramentum: ergo, &c.

Probatur tertia pars: Quòd debeat eſſe

Adul-

Adultus. Præcipui Effectus Extremæ Unctionis sunt remissio peccati, & robur adversùs tentatinnes in martis articulo; sed soli adulti, non verò infantes, sunt capaces hurum Effectuum: ergo, &c.

3. *Sufficit, ut ungendus habuerit usum rationis aliquando.*

Nota autem hic: hujusmodi adultum non debere tempore receptionis necessariò habere usum rationis: sed sufficere, quòd aliquando habuerit; ùt tenet Faber noster, Brane: Hiribar: &c. Ratio est; quia ex *cap. His qui.* Et *cap. agnovimus*, si infirmus petat baptizari, & illicò obmutescat; adhuc potest baptizari: ergo & qui amittit rationem, poterit ungi oleo Extremæ Unctionis. Insuper Effectus hujus Sacramenti, qui est remissio venialium commissorum ante amentiam, potest causari in amentia, ab hoc Sacramento: ergo, &c.

4. *Ungendus debet esse graviter infirmus.*

Probatur quarta pars: Quòd debeat esse *periculosè infirmus*: quia dicit S. Jacobus: *Infirmatur quis*: & declarat Florentinum, & Tridentinum. Unde dicit Scotus, quòd hoc Sacramentum non possit conferri constitutis in articulo mortis sinè infirmitate, v. g. illi, qui mox ad patibulum rapietur; vel in naufragio jactatur. Et est ratio; quia finis hujus Sacramenti est, roborare hominis deficientis animam ob ægritudinem, ut tentationibus non succumbat.

5. *Et aliquando debet habuisse peccatū actuale.*

Probatur quinta pars: Quòd debeat ungendus *commisisse aliquod peccatum*; quia Tridentinum dicit, hoc Sacramentum esse consummativum Pœnitentiæ; ubi autem nulla potest esse Pœnitentia super mortalia, vel venialia, nulla potest esse ejus consummatio: ergo, &c. Confirmatur: ex eodem Tridentino docente: Hoc Sacramentum *abstergere reliquias peccatorum*; ergo supponit recipientem commisisse aliquod peccatum.

6. *Hoc Sacramentū dari potest morienti sinè ejus postulatione.*

Quæres: An hoc Sacramentum ministrari debeat homini morienti, qui nullum actuale signum Pœnitentiæ, & desideratæ absolutionis dedit? Respondeo Affirmativè; si saltèm Christianè vixit: ita Sylv: Henriq: &c. Idem dicendum, de concessione Indulgentiarum. Nota: si notorium sit, hominem, antequam in agonem veniret, mortaliter peccâsse; vel excommunicatione ligatum fuisse; tunc Extrema Unctio ei negari debet. Cæterùm, si notorium esset, quòd quidem ante unam septimanam in mortale incidisset; aliqui tamen posteà ipsum orantem domi, vel in Ecclesia vidissent; posset tali dari Extrema Unctio. Ratio est; quia in dubio inclinandum est in favorem animæ. Si soli Sacerdoti constet, agonizantem peccâsse mortaliter; vel irretitum esse excommunicatione; nescit tamen an jam pœnituerit; debet ei dare Extremam Unctionem. Ratio est; quia Sacerdos ministrans hoc Sacramentum, publicam personam gerit; adeoque juxta privatam notitiam procedere non potest. Ita Sotus, Zambranus, &c.

7. *Durante eodem morbo non debet iterari.*

Nota secundò: Quando salus infirmi desperata est; licèt diuturnior videatur morbus; statim in principio morbi dari potest hoc Sacramentum; v. g. tempore pestis. In eodem tamen morbo non potest iterari: secùs si aliud novum periculum supervenit; quia videlicet Infirmus, postquam semel inunctus fuerat meliùs haberi cœpit, ita ut Medicorum Judicio extra probabile mortis periculum constitutus esset; posteà tamen iterum reincidit: dummodo prudente practicâ consideratione censeantur esse diversa pericula. Ita S. Thom: Sylv: Rich: &c.

8. *Tres speciales Effectus Extremæ Unctionis.*

DICO secundò: Tres partiales habet Effectus Sacramentum Extremæ Unctionis: *primus* est, deletio peccatorum in articulo mortis tantùm: *secundus* est alleviatio animæ ægroti: *tertius*, sanatio corporis ab ægritudine, quam DEUS, si expediat saluti animæ, confert infirmo. Ita communis Doctorum.

Probatur: Ex cit: S. Jacobo: qui hos tres Effectus recenset. Idem facit Tridentinum Sess: 14. cap. 2. dicens: *Unctio delicta si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ Misericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus sublevatur, & morbi incommoda, & labores leviùs fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidianti faciliùs resistit.* Et tandem concludit: *& sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur*, scilicet infirmus.

9. *Quid intelligi debeat per Reliquias peccati?*

Nota tertiò: Ex D. Thoma 4. dist. 23. q. 1. Per *peccati reliquias*, quas dicitur Extrema Unctio abstergere, intelligi, animi languorem, torporem, mœrorem, tristitiam, fastidium, anxietatem, & alias similes pravas affectiones, quæ ex peccatis, eorumque recordatione oriri solent; & peccatorem in desperationem inducere: quibus abstersis sequitur notabilis illuminatio animæ, per excitationem fiduciæ in DEUM, & vigoratur infirmus per specialia auxilia gratiæ ad resistendum tentationibus Dæmonis.

10. *Extrema Unctio confert etiam gratiam sanctificantem.*

Nota quartò: Hoc Sacramentum etiam conferre per modum Effectûs augmentum gratiæ sanctificantis; ùt habet Trid: Sess: 14. can: 2. hic enim Effectus est communis omnibus Sacramentis; & consequenter Extremæ Unctioni.

11. *Primarius*

DICO tertiò: Primarius ex his tribus partialibus Effectibus Extremæ Unctionis est,

ejus Effectus est remissio peccati venialis.

est, finalis remissio peccatorum venialium; non verò mortalium per se. Ita Scotus hic S. Bonaventura, Alensis, Hiqu: Branc: Hiribarnes, Aretinus, & Scotistæ omnes, contra Thomistas.

Probatur prima pars: Ex Tridentino: quòd Sess: 14. cap: 2. primum statuit hujus Sacramenti Effectum, *remissionem delictorum*; Secundum verò, & quasi ex primo provenientem, *alleviationem animæ*: ergo, &c. Confirmatur ex forma tam Græca, quàm Latina hujus Sacramenti, quæ remissionem venialium, tanquam primarium Effectum exprimit: ergo, &c.

12. *Non autem mortalia.*

Probatur secunda pars: Ex Catechismo Romano, sic instruente: *Docebunt igitur Pastores hôc Sacramentô gratiam tribui, quæ peccata & inprimis leviora quidem, & ùt communi nomine appellantur, venialia remittit: exitiales enim culpa Pœnitentia Sacramento tolluntur*: ergo, &c.

Probatur secundò: Ex opposita Opinione, quæ est Lugonis, Amici, Aversæ, &c. sequeretur; posse infirmo, habenti mortalia, dari Extremam Unctionem; & post hanc immediatè ipsum viaticum, sinè prævia Pœnitentia, ad fructum enim, & dignam susceptionem viatici non requiritur, nisi status gratiæ; qui hic inducitur per Extremam Unctionem applicatam infirmo: sed sequela est contra determinationem Ecclesiæ, & Tridentini Sess: 13. cap. 7. ergo, &c. Tandem non rectè diceretur Pœnitentia per se *secunda post naufragium Tabula*, ùt loquitur August: si tertia adhuc adsit tabula, in qua enatare potest peccator è naufragio mortalium. Dixi in Conclusione, *per se*: quia non nego per accidens etiam mortalia posse remitti per Extremam Unctionem; si tempore receptionis quis ignoret se habere mortalia, quæ reverà habet.

13. *Omittens suscipere Extremam Unctionem, non peccat per se mortaliter.*

DICO quartò: Per se loquendo, omittens recipere Extremam Unctionem, non peccat mortaliter; etiamsi adsit commoditas illam recipiendi. Ita communis Doctorum.

Probatur: Nullum extat Divinum, vel Ecclesiasticum præceptum, sub gravi obligatione, ordinans receptionem hujus Sacramenti: Imò Ecclesia prohibet hoc Sacramentum conferri tempore Interdicti per *cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiss.* quo tamen tempore Pœnitentiam, & Viaticum permittit administrare; eò quòd eorum susceptio sit in præcepto: ergo, &c.

DIXI notanter, *per se*: quia per accidens, ratione videlicet scandali, vel contemptûs, omittens Extremam Unctionem peccare posset mortaliter. Unde de contemptu dicit Trident: Sess: 14. c. 3. *Nec verò tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritûs S. injuria esse posset.*

DISTINCTIO XV.

DE ORDINE.

PRÆNOTATIO.

SAcramentum Ordinis à Christo institutum, omnium primi negârunt Massaliani circa annum Dom: 138. Hos deinde imitatus est Lutherus, qui libro *de Captivitate Babyl:* dicit: *Sacramentum Ordinis Ecclesia Christi ignorat, inventum est ab Ecclesiæ Papa, &c.* Sed contra hos dogmatizat Trid: Sess: 23. cap. 1. *Sacrificium, & Sacerdotium ita DEI ordinatione conjuncta esse, ut utrumque in omni lege extiterit:* cum qua veritate propono hanc distinctionem: & quæ de hoc S. Sacramento ter sanctè tradita sunt ab Ecclesia, & TT. compendiosè adduco.

QVÆSTIO I.
Quid sit Ordo, seu Ordinatio? An sit verùm Sacramentum; & quotuplex sit?

1. Definitio Ordinis ex Scoto.

SCotus in 4. dist: 14. qu: un: definit Ordinem Sacramentalem; quòd *sit Gradus eminens in Ecclesia, disponens de congruo ad actum aliquem ad consecrationem, vel dispensationem, Eucharistia pertinentem.* Clarius sic definitur: *Ordo est potestas per Ordinationem collata ad functiones aliquas ritè obeundas, qua in Ecclesia sunt in usu.* Hæc patet ex se.

2. Ipsa ordinatio est propriè Sacramentum.

NOTA autem: Ordinem sic definitum non esse propriè Sacramentum; sed effectum Sacramenti, collatum per Ordinationem externam Episcopi: unde ipsa Ordinatio externa sensibilis est propriè dictum Sacramentum, de quo hic: Ratio est; quia Ordo, seu potestas collata non est signum sensibile; quale debet esse omne Sacramentum Evangelicum: Passim tamen à Theologis usurpatur ly Ordo pro ipsa Ordinatione Sacramentali: quo sensu

3. Ordinationis Definitio.

DICO primò: Ordo seu Ordinatio rectè definitur dicendo: *Est institutio alicujus in gradu Ecclesiæ præeminente, cui convenit aliquod Ministerium circa Eucharistiam exhibendam, facta à Ministro idoneo certa verba proferente, & simul cum intentione debita ministerium gradûs illius aliquo signo visibili repræsentante, ex intentione Divina efficaciter significans gratiam præeminentem, quo ordinatus dignè aliquod Ministerium exequatur.* Ita Scotus in terminis 4. d. 24. q. un.

Probatur: Quia convenit omni & soli; habetquè cætera requisita ad bonam definitionem: ergo, &c. Explicatur definitio: Ly *Institutio* est genus: Reliquæ particulæ formant differentiam. Dicitur *alicujus in gradu Ecclesiæ præeminente*, ad ostendendum Ordinatos distingvi à Laicis, tali gradu carentibus. Dicitur *cui convenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendam*, ut exprimatur finis remotus Ordinationis. Additur *facta à Ministro idoneo*: Quæ verba insinuant ordinantem Episcopum, vel Abbatem. Per ly *Certa verba proferente*, ostenditur forma hujus Sacramenti. Per ly *& simul cum debita intentione ministerium gradus illius, aliquo signo visibili repræsentante*, insinoatur materia hujus Sacramenti, quæ est aliquod instrumentum sensibile v. g. calix, liber Evangelicorum, &c. Per ly *Ex institutione Divina*, monstratur Author hujus Sacramenti Christus. Reliqua verba manifestant finem ad quem proximum Ordinationis.

4. Alia ejusdē Definitio.

NOTA secundò: Si quis compendiosiùs vellet definire Ordinationem Sacramentalem; sic benè diceret: *Ordinatio est actio Consecratoria, quâ gradus alicujus potestatis ad Altaris ministerium alicui confertur.* Hæc liquet ex terminis.

5. Datur Ordinationis Sacramentum.

DICO secundò: Datur Ordo, seu Ordinatio, quæ est propriè dictum Sacramentum, à Christo institutum. Est communis Theologorum.

Probatur primò: Ex definitione Florent: & Trident: Sess: 7. can: 1. contrarium damnantis: ergo, &c.

6. Scriptura & pro Ordinatione Sacramento.

Probatur secundò: Ex Scriptura, in qua Actor: 6. legitur Diaconos fuisse ordinatos per manuum impositionem. Et Actor: 10. Paulus, & Barnabas ordinantur Episcopi per manuum impositionem ab Apostolis factam: ergo datur Sacramentum Ordinationis. Accedunt plurimi Patres, veritatem hanc attestantes, S. Clemens Roman: S. Ignatius Martyr, S. Dionysius Areopag: Basilius, 3. Gregorij Nazian: Nissenus, & Magnus, quorum ultimus lib: 4. in cap. 10. lib. 1. *Regum*, dicit: *Sacrorum Ordinum Sacramenta ab Ecclesiæ Doctoribus foris accipimus; sed Sacramentorum virtute ab Omnipotente DEO interiùs roboramur; virtus verò Sacramenti gratia est Spiritus septiformis.* Et D. Augustinus lib. 2. *Contra Epistolam Parmeniani* cap. comparans baptismum cum Ordine, ait: *Utrumque Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur: illud cùm baptizatur; istud cùm ordinatur.* Unde concludit Tridentinum Sess: 23. cap. 3. dicens: *Cùm scriptura testimonio, Apostolicâ traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per Sacram Ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis*: ergo, &c.

7. Septem numerantur communiter Ordines.

DICO tertiò: Septem communiter recensentur Ordines; Sacerdotium, Diaconatus; Sub-Diaconatus; Acolythatus; Exorcistatus; Lectoratus; & Ostiariatus. Ita Theologi omnes.

Probatur: Quia tot enumerat Tridentinum Sess: 23. cap. 2. Item Concilium Carthaginense IV. Cornelius Papa circa annum 255. Epistolâ *ad Fabium Antioch:* Cajus Pontifex circa annum 284. in Epistola, *ad Felicem*: quæ & plurimæ aliæ SS. Patrum, & Conciliorum Authoritates docent, nomina præfata septem Ordinum, & uniuscujusque proprium ministerium statim ab ipso Ecclesiæ exordio fuisse in usu: ergo, &c.

DICO

8. *Episcopatus etiam est Ordo.*

DICO quartò: Episcopatus est etiam propriè dictus Ordo, aliquo modò à Sacerdotio simplici distinctus. Ita Caoonistæ in *cap. Cùm contingat*; & Theologi communiter, cum Scoto, contra Durandum, Vasq: & Palud: &c.

Probatur prima pars Sacrâ Scripturâ, in qua legitur 1. ad Tim: 4. Timotheus ordinatus in Episcopum. Et ordinatio D. Pauli & Barnab: in Episcopos: Act: 13. ergo Episcopatus est verus Ordo.

Probatur secundò ratione: In Ordinatione Episcopi intervenit signum sensibile, collativum gratiæ in Ordine ad speciales functiones: ergo est verus Ordo.

Probatur tertiò: Ex Anacleto quarto Pontifice post D. Petrum dicente: *Sacerdotum Ordo bipartitus est*: Idem indicat Tertoll: in lib. *de Baptismo*: S. Ambrosius lib. 3. *de Sacramentis* cap. 1. Ergo Episcopatus est Ordo, à Sacerdotio simplici distinctus aliqualiter.

9. *Aliqualiter à Presbyteratu distinctus.*

Probatur secunda pars primò: Ex Tridentino, quòd Sess: 23. cap. 4. habet sequentia: *Proinde Sacra Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus* (id est septem Ordines, quos ibidem enumerat ut verum Sacramentum) *Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere, eosq; Presbyteris Superiores esse*: Et addit deinde: *Docet insuper Sacrosancta Synodus in Ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, &c.* quæ omnia indicant, quòd Episcopatus sit Ordo, distinctus à simplici Sacerdotio.

Probatur secundò ratione: Illud est Sacramentum distinctum à simplici Sacerdotio, quòd habet materiam, formam, potestatem, & functionem distinctam in Ecclesiastica Hierarchia, à materia, forma, potestate, & functione Sacerdotij: sed Episcopatus habet hæc distincta: ergo, &c. Probatur Min: Materia Episcopatûs est manuum impositio per tres Episcopos super caput ordinandi; forma verò sunt verba, quæ tunc proferuntur; potestas est facultas Ordinaria conficiendi chrisma, & alios ordinandi in Presbyteros; quæ omnia non habet simplex Sacerdotium: ergo, &c.

10. *Reconciliatur Tridentinum.*

Objicies: Tridentinum numerat tantùm septem Ordines: ergo videtur Episcopatus non esse Ordo, distinctus à simplici Sacerdotio; aliàs essent octo Ordines. Respondeo: Negando consequentiam: & dico; quando Tridentinum assignat septem tantùm Ordines; loquitur solùm de Ordinibus requisitis ad simplex Sacerdotium. Vel si loquatur de omnibus omninò Ecclesiæ Ordinibus; dico Episcopatum comprehendi in Sacerdotio enumerato à Tridentino, cùm ex Anacleto Papa, *Ordo Sacerdotum bipartitus sit.*

11. *Explicantur Scripturæ, & PP. pro eodem usurpantes Episcopum, & Sacerdotem.*

NOTA tertiò: Quando scripturæ, & Patres, præsertim D. Hieronymus in *cap. 1. ad Titum*, confundunt nomen Presbyteri, & Episcopi; quasi idem sint: intelligendi sunt; quòd quoad potestatem consecrativam Corporis Christi idem sint Episcopus, & Presbyter; habent enim ejusdem rationis potestatem consecrandi Corpus Christi: non verò quoad omnem potestatem, & Ordinem; cùm Episcopus præterea possit conficere Chrisma, & ordinare Sacerdotes.

12. *Prima Tonsura non est Ordo.*

Ex hactenùs conclusis, & resolutis sequitur primò: Tonsuram primam non esse Ordinem verum; sed solùm dispositionem quandam ad Ordinem; cùm nulla specialis potestas per eam conferatur Tonsurato; sed solùm privilegium Canonis, & Immunitatis Ecclesiasticæ.

13. *Nec Cardinalatus, vel Patriarchatus.*

Sequitur secundò: Neque Cardinalatum esse distinctum Ordinem, licèt statim ab exordio Ecclesiæ fuerint assumpti à Summ: Pontif: pro Coadjutoribus Ecclesiæ; ùt dicit Eugenius IV. in Epistola *ad Archiepisc: Cantuar:* & postmodùm primò à S. Sylvestro Papa Cardinales nominati. Neque gradum Metropolitarum, Archi-Episcoporum, & Patriarcharum, esse verum Ordinem, cùm hi gradus sinè ulla forma Sacramentali conferantur.

14. *Omnes Ordines sunt vera Sacramenta partialia.*

DICO quintò: Omnes septem Ordines, etiam Episcopatus, sunt vera Sacramenta partialia, constituentia unum Ordinis Sacramentum totale. Ita Scotus, D. Thomas, D. Bonaventura, & communior DD.

Probatur prima pars: Ex Florentino in *Decreto Eug:* dicente: *Sextum Sacramentum est Ordinis; cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo; sicut Presbyteratus traditur, &c.* quâ generali doctrinâ exemplificatâ in materia Ordinis Presbyteratûs, Diaconatûs, & Subdiaconatûs, qui vera Sacramenta sunt; addit: *Et similiter de alijs per rerum, ad sua ministeria pertinentium, assignationem*: ubi ea, quæ de Sacramento Ordinis erant dicta, ad omnes Ordines extenduntur: ergo omnes Ordines sunt vera Sacramenta.

15. *Omnes Ordines constituunt unum totale Sacramentum Ordinis.*

Probatur secunda pars: Duo partialia Sacramenta Corporis, & Sangvinis Christi, distincta inter se, constituunt unum Sacramentum Eucharistiæ: ergo pariter omnia Sacramenta partialia Ordinis constituunt unum Sacramentum Ordinis unitate genericâ.

16. *Quilibet Or-*

NOTA quartò: Quemlibet Ordinem im-

do distinctũ Characterẽ imprimit. imprimere suum characterem; & quidem in secteotia Scoti specie distinctum. Ratio primi est; quia iterari non possunt Ordines. Et quia Tridentinum Sess. 23. generaliter dicit: per S. Ordioationem imprimi characterem. Ratio secundi est; quia Ordines omnes diversas specie conserunt potestates, ad diversas functiones Ecclesiasticas peragendas: ergo, &c.

17. *Cur aliqui Ordines dicantur Sacri, & Majores & alii qui non Sacri, & Minores.* NOTA quintò: Ex Ordinibus quosdam vocari Majores, & Sacros; quosdam Minores, & non Sacros. Majores, & Sacri Ordines sont Episcopatus, Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus: *Sacri* dicuntur; quia votum cootioentiæ perpetuæ habent annexum, & propiùs ad Confectionem Corporis Christi accedunt. Minores, & non Sacri sunt Accolythatus, Lectoratus, Exorcistatus, Ostiariatus; qui non habent annexum votum castitatis perpetuæ.

QVÆSTIO II.

Definitiones singulorum Ordinum; Munera eorum; Materiæ, & Formæ, producuntur.

1. *Definitiones singulorum Ordinum.* DICO primò: Ordo *Episcopatus* rectè definitur: Est potestas consecrandi Corpus Christi, remittendi peccata, conficiendi Chrisma, & Sacerdotes aliosquè Ministros ordinandi, confirmandi, ac Ecclesias consecrandi, &c. *Presbyteratus*; est potestas, per quam ordinatus potest consecrare corpus, & sanguinem Christi, remittere, ac retinere peccata. *Diaconatus*; est potestas per qoam ordinatus potest solemniter cantare in Missa Evangelium, & dispensare Corpus Christi. *Subdiaconatus*; est potestas, per qoam ordinatus potest portare Calicem cum vino, & pane ad altare, præparare necessaria Sacrificio Missæ, & solemniter cantare Epistolam. *Accolythatus*; est potestas portandi candelabrum cum cereo, & orceolos cum vino, & aqua ad Sacrificium Missæ. *Exorcistatus*; est potestas coojurandi Dœmones, eósqoe expellendi ab hominibus, & rebus eorum. *Lectoratus*; est potestas legendi publicè Prophetas, & alias Sacras Lectiones. *Ostiariatus* tandem; est potestas recipiendi dignos, & expellendi indignos ex Ecclesia DEI, volentes Sacram sumere Eucharistiam, Divinisqoè adesse. Hæc Doctrina est in re communis: &

Probatur: Quia omnes assertæ Definitiooes sunt secuodùm ordinarias Dialecticas Leges exactæ Definitionis traditæ: ergo, &c.

2. *Specialia Munera omnium Ordinum.* DICO secundò: *Munus speciale, Ordinus Episcopalis*; est consecrare Chrisma baptismale, oleum infirmorum, & materiam confirmationis; Ordines minores, & majores cooferre; consecrare Ecclesias, & Altaria, & Sacra vasa, ubi Chrisma intervenit; confirmare; & alias nonnullas subliniores functiones in Ecclesia DEI exercere. *Munus Sacerdotis*, est conficere, offerre, & administrare S. Eucharistiam: deinde debet esse mediator inter DEUM, & hominem pro homine, & Ecclesia orando; infirmos visitando, ac benedicendo; debet populum docere legem DEI; colere castitatem; & horas Canonicas recitare quotidie. *Munus Diaconi*; est Episcopum perpetuò sequi; concionantem custodire; eique & Sacerdoti celebranti, vel Sacramenta administranti assistere; in Missa solemni Evangelium cantare: olim ex commissione Sacerdotis debebat etiam Sanguinem Christi ex calice dispensare; imò & Eucharistiam; quæ tamen consuetudo jam est abrogata; item debet baptizare in absentia Sacerdotis; & alia Officia subire; ùt videre est in *cap. Perlectis, dist. 25.* hic sicut & Subdiaconus, obligatur ad servandam castitatem; & recitandum Officium Divinum sub mortali; ùt habetur *cap. Quando, dist. 28.* & *cap. 1. de Celebratione Missæ. Munus Subdiaconi*, est Diacono ad altare inservire; Sacra linteamina, vasa, panem, & vinum ad sacrificij usum necessaria præparare in altari; Episcopo, & Sacerdoti aqnam præbere; Epistolam in Missa solemni cantare; & ad eumquè spectat in processionibus crucem præferre. *Munus Accolythi*, est parare materiam necessariam ad Eucharistiam io vasis non sacris: deinde Subdiaconis & Diaconis ministerio adesse; deferre lumina, cùm Missa celebratur. *Munus Exorcistæ*, est conjurare, & ejicere Dœmonia ex hominibus, & eorum rebus. *Munus Lectoris*, est lectiones Prophetiarum pronunciare populo clarà voce. *Munus Ostiarij*, est claves templi, & januam custodire; pulsare campanas, ot populus conveniat; aditu templi arcere eos, quibus ingredi interdictum est; v. g. Hæreticis, &c. Hæc omnia tradunt diversæ dispositiones Caoonum, & Ordinationes Conciliorum; maximè Carthaginensis IV. Florentini, & Tridentini.

3. *Materia, & Forma Ordinationis in Episcopũ.* DICO tertiò: Sola manuum impositio super caput ordinandi est Materia Ordinationis Episcopalis. Forma sunt verba tunc

tunc prolata; *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Ita communior DD. Armilla, Soto, Henriqu: Bellarm: contra Arriagam, & alios.

Probatur: Timotheus legitur 1. ad Timoth: 4. solâ manuum impositione ordinatus in Episcopum: Et SS. PP. Episcopalem consecrationem appellant manuum impositionem. Insuper Ecclesia utraque Latina, & Græca, in sola manuum impositione conveniunt; non in alijs actionibus intervenientibus in Ordinatione Episcopi: ergo sola manuum impositio est, Materia Ordinationis Episcopalis.

4. Arriaga manet refutatus.

Ex quo sequitur, contra Arriagam: Unctionem chrismatis in capite; item unctionem manuum; uti & impositionem libri Evangeliorum inter scapulas ordinandi, esse tantùm cæremonias, de præcepto humano nunc observandas. Et ideò horum non meminit vetustum Concilium IV. Carthaginense: ubi ritus ordinandi Episcopi describitur.

Circa Materias Ordinum Nota: eas esse duplices; proximas, & remotas; quæ omnes sequentibus Conclusionibus exprimentur. Remota est aliqua res vel instrumentum, quod traditur ab ordinante. Proxima est ipsa traditio.

5. Materia, & Forma Ordinationis in Sacerdotem.

DICO quartò: Ordinationis Presbyteralis duplex est Materia, & Forma: Prima, & quidem remota, est calix cum vino, & patena cum pane triticeo: proxima est traditio utriusque; Forma verò sunt verba Episcopi; *Accipe potestatem offerendi Sacrificium DEO, &c.* Secunda Materia ejus est impositio manuum facta ab Episcopo, Forma verò sunt verba Episcopi: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, &c.* Ita Scotus 4. dist: 24. Con: Valent: Rich: Laym: &c.

Probatur prima pars: Ex Conccilio Florentino, in *Decreto Eug:* & ex Pontificali. Secundò patet ex Tridentino Sess: 23. Et Concilio Carthaginensi IV. cap. 3. dicente: *Presbyter, cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum supra caput ejus tenente:* ergo, &c.

6. In Ordinatione Presbyteri 2. imprimitur Character.

Ex Conclusione infert Scotus: meritò duplicem imprimi characterem in Sacerdotis anima; quorum unus designat potestatem in corpus mysticum Christi, alter in corpus verum Christi: & idem sentit Arcudius, Reginaldus, &c.

7. Una Materia & Forma Ordinationis in Diacono.

DICO quintò: Ordinationis Diaconi Materia, & Forma probabiliter etiã duplex est: Prima remota est liber Evangeliorum; proxima est traditio ejusdem; Forma est: *Accipe potestatem legendi Evangelium, &c.* Secunda est impositio manuum; Forma; *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus.* Prima pars est communis. Secunda est Bellarmini, Conink, Herincx, &c.

Probatur prima pars: Ex Concilio Florentino, assignante pro Materia Diaconatûs librum Evangeliorum, ejusquè traditionem: ergo, &c.

8. Altera Materia, & Forma ejusdẽ

Probatur secunda pars; Act: 6. leguntur Diaconi ordinati per manuum impositionem, & Tridentinum generaliter dicit, esse anathema dicere, quòd *per Ordinationem non detur Spiritus Sanctus, & proinde frustra Episcopum dicere Accipe Spiritum S.* hoc autem dicunt Episcopi in Ordinatione Diaconi; ùt patet in Ordine Romano: ergo, &c. Stat pro hac parte etiam Carthaginense IV. cap. 4.

9. Materia, & Forma Subdiaconatûs.

DICO sextò: Materia Ordinationis Subdiaconi remota, est calix vacuus cum patena superposita; proxima traditio ejus; Forma sunt verba Episcopi tunc prolata: *Videte cujus Ministerium vobis traditur.* Ita communis Canonistarum.

Probatur ex Concilio Carthaginensi IV. cap. 5. ex Ordine; & Florentino, in *Decreto Eugenij:* ergo, &c.

10. Materia, & Forma 4. Minorum.

DICO septimò: Materia remota Ordinationis in Accolythum, est candelabrum cum cereo extincto, & urceolus vacuus: proxima traditio eorumdem: Ordinationis in Exorcistam Materia remota, est liber Exorcismorum; proxima ejus traditio: Ordinationis in Lectorem Materia remota est liber Lectionum; proxima est traditio ipsius: Ordinationis in Ostiarium Materia remota sunt claves Ecclesiæ; proxima traditio eorum: Formæ autem horum quatuor Ordinum minorum, sunt verba quæ enunciantur ab Episcopo, in traditione instrumentorum. Est communis Theologorum.

Probatur: Quia ita docent Concilium Carthaginense; Florentinum; & Ordo Romanus: ergo, &c.

11. Etsi physicus tactus instrumentorum ab Ecclesia desideretur in Ordinibus suscipiendis.

DICO octavò: De communi Ecclesiæ ritu requiritur in omnibus Ordinibus recipiendis contactus physicus instrumentorum materialium: probabiliter tamen sufficit etiam moralis ad Valorem Sacramenti. Ita Herincx, Vict: Albertus, Zambran, &c. contra S. Thomam, Sylv: &c.

Probatur prima pars: Ex praxi Latinorum Episcoporum, qui petunt semper physicum instrumentorum contactum in Ordinandis; & consonat tenor Formarum: *Accipe, &c.* ac si vellet dicere, physicè tange hæc, vel illa instrumenta: ergo, &c.

12. Tamen etiã Moralis sufficit.

Probatur secunda pars: Contactus physicus tanquam necessarius, non potest ostendi ex Christi institutione; neque ex natura hu-

Ggg

hujus Sacramenti; quod cùm consistat in traditione cujusdam potestatis, seu deputatione ad certa ministeria Ecclesiastica, potiùs exigit contactum moralem; quemadmodum contactus moralis sufficit in traditione Civilium & aliorum Ecclesiasticorum Officiorum: ergo, &c.

Confirmatur primò: Quia usus Ecclesiæ Græcæ, toleratus Romæ apud unitos Græcos, habet solùm exhibere, & ostendere calicem cum vino, & patenam cum hostia in Ordinatione Sacerdotis, sinè ullo physico contactu: ergo. &c.

Confirmatur secundò: Dum Sacerdos ordinatur, nunquam tangit physicè materiam, seu vinum; sed tantùm contineos: ergo sufficit instrumenta Ordinationum moraliter tantùm tangere.

QVÆSTIO III.

Quis sit capax Ordinum recipiendorum? De ætate, & qualitate Ordinandorum.

1. Masculus solus est capax subjectum Ordinationis.

DICO primò: Solus mas, non verò fœmina est capax recipiendi Ordines. Ita communis Theologorum post D. Thomam, S. Bonaventuram, &c.

Probatur: Statim ab Ecclesia nascente leguntur semper soli mares ordinati: unde nec ipsa Sanctissima Mater Christi fuit aliquo Ordine insignita; ùt notant hìc Theologi plerumque: quod signum manifestum est, solos mares esse capaces Ordinationum. Confirmatur: ex D. Paulo 1. ad Cor. 14. prohibentur fœminæ loqui, etiam ad interrogandum in Ecclesia: ergo à fortiori ad sacrificandum prohibentur.

2. Quid sentiendum de Diaconissis?

Unde, quando in Actibus Apostolorum 16. legitur Phœbe fœmina esse in ministerio Ecclesiæ Cenchris: & alibi dicuntur fuisse *Diaconissæ* ministrantes; non est hoc intelligendum de ministerio altaris, vi alicujus Ordinis Diaconatûs, vel alterius; sed de servitijs communibus, quæ ministris Ecclesiæ, & advenis fidelibus præstabant devotæ quædam mulieres, in castitate viventes; quæ & assistebant baptismatibus, propter decorem, & honestatem: unde dicit Concilium Nicænum ex Arabico can: 74. *Diaconissa adhuc etiam parata sint, ut fœminas in baptismo suscipiant.*

3. Ante usum rationis nemo licitè, validè tamen suscipit 4. minores.

NOTA: Quòd etiam masculus, ante rationem assecutam, validè, licèt illicitè ordinetur in minoribus; ùt habet S. Thomas 4. dist: 25. qu: 1. art: 1. S. Bonaventura, Sylv: &c: Ratio est primi: quia nullo jure invalidatur hujusmodi Ordinatio: ergo, &c. Ratio secundi: quia agitur contra taxatam, à Sacris Canonibus ætatem, pro recipiendis Ordinibus.

4. Tridentinum determinat ætatem canonicam pro susceptione cujusvis Ordinis.

DICO secundò: *Nullus imposterum ad Subdiaconatûs Ordinem ante 22. ad Diaconatum ante 23. ad Presbyteratum ante 25. ætatis suæ annum promoveri potest licitè.* Ita in terminis Tridentinum Sess: 23. cap. 12. de Reform: cujus authoritate etiam maneat probata Conclusio.

5. Quæ determinatio verificatur in sola etiam inchoatione annorum.

Notat autem Glossa communis, & Doctores omnes: sufficere enumeratos annos esse solùm inchoatos; quia nullo modo de jure requiruntur completi.

6. Ætas pro minoribus determinanda relinquitur Ordinario.

Notant præterea Doctores: pro Minoribus nullam esse taxatam ætatem; sed relinquitur judicio Ordinarij: infans tamen ex Bonifaciana Constit: quæ habetur in 6. *de Temp. Ordinand.* non debet ordinari. Præterea Tridentinum cit: cap. 4. decernit: *Vt primâ tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non receperunt, & fidei, rudimenta edocti non fuerunt; quiq, legere, & scribere nesciant*; & cap. 11. *Minores Ordines ijs, qui saltèm Latinam linguam intelligant, &c. conferantur.*

7. Quædam qualitates ordinandorum adducuntur.

Quoad alias Ordinandorum qualitates sciendum est; quòd ordinandus regulariter debeat habere bonæ vitæ testimonium; item scientiã; & ut in inferiori aliquo Ordine aliquando ministraverit; nisi Episcopo aliud visum fuerit; item, ut non sit aliquâ Censurâ ligatus; vel irregularitate impeditus; aut mortali peccato obstrictos: item, si debeat ordinari ab alieno Episcopo, debet habere litteras dimissorias proprij Episcopi; ùt habet Trid: cit: cap. 8.

8. Quis sit proprius Episcopus?

Proprius autem Episcopus est, sive Episcopus originis; sive domicilij; sive beneficij; ùt habetur *cap. Cum nullus; de Temporibus Ordinand. in 6* Episcopus *Originis* est ille, in cujus Diœcesi quis nascitur. Episcopus loci, in quo quis habitat animô perpetuò manendi. Episcopus *beneficij* est, in cujus Diœcesi obtinet quis beneficium Ecclesiasticum etiam tenue. A quolibet itaquè horum Episcoporum ordinari quis potest.

9. Quid Capitulum Sede vacante possit disponere circa ordinandos.

Quod attinet dimissoriales Nota secundò: Sede vacante eas dari non posse à Capitulo, aut ejus Vicario; nisi post annum à die Vacationis; vel occasione beneficij accepti: Capitulum tamen potest dare licentiam etiam intra annum vacationis alicui Episcopo, ut in Diœcesi vidua Capituli ordinet illos, qui Dimissorialibus non indigent; sed eas habent à proprijs Prælatis.

NOTA

10. *Ordinandum debet habere titulum congruæ sustentationis.*

Nota ulteriùs tertiò: Ordinandum debere habere titulum congruæ sustentationis; id est, ut pacificè obtineat beneficium Ecclesiasticum, quod ei ad victum honestè sufficit. Ita Tridentinum Sess: 21. c. 2. *de Reform.* Patrimonium verò, vel pensionem obtinentes ordinari non possunt; nisi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum. Ita Tridentinum cit: Excipiuntur à præfatis Decretis Religiosi professi, quibus locô beneficij, vel patrimonij succedit voluntaria paupertas; quæ Regum opibus præstat.

11. *Per Patrimonium suppleri potest sustentatio insufficiens.*

Nota quartò: Insufficientem sustentationem posse suppleri per patrimonium; ùt habet Zerola, Quaranta, Barbosa, &c. Quantitas porro & sufficientia ejus taxatur judiciò Episcopi, ùt notat Sanch: Diana, &c.

12. *Titulus debet supponere beneficiũ perpetuum.*

Nota quintò: Beneficium debere esse perpetuum; unde non sufficit Vicaria, vel Capellania temporalis, ad nutum amovibilis. Ita Doctores.

13. *Ordinatus cum titulo Patrimonij, quando possit illud vendere.*

Nota sextò: Ordinatum titulò patrimonij posse illud alienare, etiam sinè licentia Episcopi; quando sufficiens beneficium obtinet. Ita contra Barbosam, habet Garcias, Azorius, &c.

14. *Fictò titulò ordinatus, non incurrit suspensionẽ.*

Nota septimò: Sat probabile esse, promotum cum titulo fictò, quem tamen Episcopo sufficienter probavit, non incurrere suspensionem expressam, *cap. Neminem*, & *cap. Sanctorum*, dist: 20. Ita Toletus, Sayrus, Henriqu: Diana, &c.

15. *Quæ sint tempora Ordinationũ?*

Circa tempora Ordinationum Nota octavò: Episcopum debere ordinari die Dominicâ, vel Natali Apostolorum, secundùm Pontificale Romanum. Sacri autem Ordines sunt conferendi regulariter Sabbathis quatuor temporum, Sabbathô Sanctô, vel Sabbathô ante Dominicam Passionis, habetur *cap. finali. dist. 75.* & *cap. de eo*: Ordinati extra dicta tempora sunt suspensi, si præsumpserint sic ordinari, ex Bulla Pij II. *cùm ex Sacrorum, &c.* Minores verò Ordines possunt conferri singulis Dominicis, & Festis duplicibus, idque ubique. Prima tonsura quandocunque, & quâlibet horâ dari potest.

16. *Sunt servanda certa interstitia cum Ordinandis.*

Sunt etiam observanda certa temporum interstitia; sic ut nullus eodem die possit suscipere duos Ordines Sacros, etjam Regularis, ùt habet Tridentinum Sess: 23. Imò secundùm idem Tridentinum requiritur interstitium unius anni post unum Ordinem Sacrum susceptum, usque ad susceptionem alterius: quod tamen hisce in regionibus non est receptum; & Episcopi passim in hoc dispensare possunt; quæ facultas etiam transit ad Capitulum, sede vacante.

QVÆSTIO IV.

De Privilegijs Regularium, circa Ordines suscipiendos; & de Ministro eorum, & alijs huc pertinentibus.

1. *Prælati Reg: possunt dare dimissoriales suis subditis ad susceptionem Ordinum, ubi voluerint.*

NOTA primò: Prælatos Regulares posse concedere suis subditis Regularibus litteras dimissoriales, ad suscipiendus Ordines à quovis Episcopo sinè dimissorijs Episcopi Loci. Ita concessit Benedictus IX. Innocentius III. Eugenius IV. & nobis Minoritis Alexander IV. omnibus deinde Regularibus Leo X. & Paulus III. quæ privilegia non sunt revocata per generales clausulas Tridentini, ùt clarè habetur ex Bulla Pij V. *Etsi Mendicantium* dicentis Tridentini Decretum Sess: 23. *In regularibus locum non habere; ita quod Fratres hujusmodi præfatos etiam Sacros Ordines a quolibet Antistite Catholico, Ordinarij licentiâ minimè requisitâ, recipere possint.* Ita tenor Bullæ. Totum hoc iterum renovavit Clem: VIII. Anno 1596.

2. *Possunt etiã dispensare cum eis super interstitia.*

Nota secundò: Prælatos eosdem Regulares posse dispensare cum suis subditis in interstitijs, quæ sunt intervalla temporis unius videlicet anni, inter assumptum Ordinem, & assumendum. Ita concessêre Alexander IV. Eugenius IV. & alij. Quæ privilegia similiter non esse revocata à Tridentino cit: ostendit Rodriqu: March: Præpositus, Diana; esseque tutum in praxi hoc practicare docet Aversa, & Romæ esse sæpius practicatum: & concessit totum hoc de novo Clemens VIII. post Trident: Ex quibus liquet; Regulares, maximè Mendicantes, posse ordinari tribus Dominicis, vel Festis duplicibus consequenter.

3. *Episcopus est Minister Ordinarius Ordinationis.*

DICO primò: Ordinarius, & proprius Minister Ordinationis est Episcopus. Est communis Canonistarum.

Probatur ex definitione Tridtntini Sess: 23, Et Florentini, in *Decreto Eug.*

4. *Episcopus excommunicatus, &c. validè ordinat.*

Nota autem tertiò: Episcopum etiam excommunicatum, & degradatum vel Hæreticum adhuc validè posse ordinare; ùt docet Scotus, S. Bonavent: &c. Ratio est; quia retinet characterem, & potestatem semel collatam; quam Ecclesia auferre nequit per excommunicationem.

5. *4. Minores conferre possunt etiam*

Nota quartò: Ex delegata potestate Papæ, Minores Ordines posse conferri à non Episcopo; sicut de factô conferuntur ab Ab-

Abbates; imò simplex Sacerdos de voluntate Papæ.

Abbatibus: & conferri possunt etiam à simplici Sacerdote, ùt docet Vict: Henriq: Reginaldus, &c. subiutellige de licentia Papæ.

6. Aliqui Abbates possunt etiam alienis 4. Minores conferre.

Nota quintò: Non esse improbabilem Opinionem asserentium, Abbates habentes jam jus mitræ, & benedictionem ab Episcopo, non tantùm suis Monachis; sed etiam non subditis suis posse conferre Minores; dummodò Episcopus det Dimissoriales; ùt habet Pasius, Alciatus, Ostiensis, Armilla, &c.

7. Duo effectus Ordinationis.

Quæres: Quinam sint effectus Ordinationis? Respondeo: primum esse gratiam sanctificantem, & suò tempore, gratias quasdam actuales. Secundum impressionem characteris cum certa potestate. Ita Florent: & Tridentinum sæpè cit:

8. Continentia Sacris Ordinibus solo Iure Ecclesiæ est annexa.

Quæres secundò: Quo Jure sit annexa continentia Sacris Ordinibus? Respondeo: quòd tantùm Jure Ecclesiasticô; ùt habet Scotus, S. Bonav: &c. Ratio est; quia nullibi extat Jus Divinum: & Græci Sacerdotes etiam uniti non reprehenduntur ab Ecclesia Latina, habentes uxores; quod tamen fieri deberet; si extaret Jus Divinum. De Ecclesiastico autem constat. quòd statim ab initio nascentis Ecclesiæ Sacerdotibus, & Diaconis saltèm prohibitum fuit contrahere Matrimonium: sic enim ordinatur in Canone 27. Apostol: item in Concilio Ancyrano, Canone 10. Carthaginensi II. Canon: 2. Eliberitano Can: 33. Concilio Romano, sub Sylvestro Papa: ut proinde impudenter mentiantur Melanchthon, & Kemnitius dicentes, hanc legem continentiæ à Romanis Papis, contra antiqua Concilia introductam. Dixi notanter *saltèm Diaconis*; quia fortè Subdiaconatui non statim fuit annexa continentia; eò quòd ab initio non putetur fuisse sacer Ordo; ùt colligitur ex *cap. a multis, de ætate, & qualitate ordinum.*

9. In infantia suscipiens Ordines non obligatur ad castitatem.

Nota sextò: Si quis ordinaretur in infantia, non tenetur ad castitatem. Ita Sanchez, &c. Ratio est; quia non tenetur ex voto; cùm ad hoc emittendum non habuerit sufficientem libertatem, vel judicium; nec ex Ecclesiæ præcepto, quæ non obligat, nisi volenter, & scienter Sacros Ordines assumentes. Similiter discurrit Herincx, de Ordinatis ante pubertatem, in Subdiaconum, & Diaconum: Et ordinatis per metum injustum, & gravem; ùt etiam docet Vasquez, & alij, estquè stylus Curiæ Romanæ, ùt testatur Rota, in decisionibus novissimis, decisione 561. referente Aversâ.

10. Causa cur Ecclesia Majoribus Ordinibus apposuerit castitatem.

Nota septimò: Contra Wicleph, & alios Hæreticos, Ecclesiam justissimis de causis potuisse Sacris Ordinibus annectere continentiam: nam, ùt inquit Scotus hic, dist. 37. Clericus deputatus ministerio Sacro debet habere munditiam mentis, & carnis, perspicacitatem intellectûs, & fervorem affectûs; ad quæ omnia disponit continentia; & ad eorum opposita frequentia actûs carnalis. Deinde si Abimelech 1. Reg. 21. noloit dare panem sanctificatum, nisi mundis à mulieribus; quantò ampliùs munditia ab ijs Ministris requiritur, quorum in dies est sumere, & offerre Agnum Immaculatum.

Objecta Hæreticorum, contra continentiam nostrorum Presbyterorum ex Apostolo ducta; vide soluta passim apud Controversias, & nostrum Herincx hic disp. 10. qu. 10.

(n)

DISTINCTIO XVI.

DE SPONSALIBUS.

PRÆNOTATIO.

Quoniam Sponsalia sunt quædam Matrimonij inchoatio, vel præcedens dispositio proxima ipsius vinculi Matrimonialis; ideò eorum considerationem hìc præmitto. Sponsalium nomen si spectes, teste Vulpiano, derivatum est à spondendo

L. 2.

L. 2. ff. de Sponſalibus, eò quòd in more poſitum eſſet apud Veteres, ut Parentes, vel Tutores, vel Amici puellam viro ſponderent, ſeu promitterent; unde & puella ſponſa, & Vir Sponſus dicebatur. De hujuſmodi ergo Sponſalibus ſit

QUÆSTIO I.

De Natura Sponſaliorum; eorum Conſtitutione; Valore; & Obligatione.

1. *Definiuntur Sponſalia.*

DICO primò: Sponſalia benè definiuntur dicendo: quòd *ſint futurarum nuptiarum mutua promiſſio.* Ita *L. 1. ff. de Sponſalibus*; & communis Juriſtarum, ac Canoniſt:

Probatur: Quia in ea relucent omnes conditiones Dialecticæ probæ definitionis: ergo, &c. Ly *promiſſio*, eſt genus: reliqua differentiam efformant.

2. *Sponſalia pariunt reſpectivam obligationẽ.*

DICO ſecundò: Sponſalia ſunt contractus reſpectivus; id eſt, ultro citroquè pariens obligationem. Ita Brugnoli Tract: 17. c. 1. Laym: Tract: 10. parte 1. cap. 1. & communis.

Probatur: Ex definitione Sponſaliorum, data mox ex Jure, in qua dicitur Sponſalia eſſe *promiſſionem mutuam.* Et quia Sponſalia ſunt quædam inchoatio Matrimonij; Matrimonium autem eſt contractus mutuus, ſeu ultro citroquè pariens obligationem: ergo, &c. Confirmatur ex communi dicto DD. dicentium: *Sponſalia non poſſe claudicare*, id eſt, non poſſe ex nna parte cootrahente eſſe rigoroſam obligationem; & non ex altera.

3. *Corollariũ prioris doctrinæ.*

Ex his ſequitur: Nullam eſſe obligationem ad faciendas nuptias; ſi Petrus animô ſeriò contrahat Sponſalia cum Paula; Paula verò, etſi ſponſionem externam acceptet, non tamen ſerium habet conſenſum repromittendi; ùt habet Brugnoli citat: Laym: Navarr: cap: 22. n. 25. & alij. Et ratio eſt; quia inprimis Petrus non obligatur; quia *verba contrahentium accipienda ſunt ſecundùm naturam contractûs. L. ex conducto. §. Papinianus ff. Locati*: Contractus autem Sponſaliorum, ùt dixi debet eſſe reſpectivns; qualis non eſt contractus Petri cum Paula: ergo, &c. Nec etiam Paula obligatur; quia *actus agentium non operantur ultra intentionem eorum*, arg: *cap. ult. de Præbendis*; Paula autem nullam habuit intentionem ſe obligandi: ergo, &c.

4. *Sponſalia debent eſſe libera.*

DICO tertiò: Ut ſubſiſtant Sponſalia debent eſſe liberè facta, & cum voluntario conſenſu utriusqne. Ita communis Canon: Theologorum, & Juriſt:

Probatur prima pars: Sponſalia ordinantur ad Matrimonium: ergo ſicut Matrimonium, ut valorem debitum ſortiatur, debet eſſe liberom, ita & Sponſalia. Accedit, quòd alias Sponſalia inſelices ſortirentur exitus; ùt dicit *cap. requiſivit, de Sponſalibus.*

5. *Et conſenſu utriusque inita.*

Probatur ſecunda pars: Quia Jura in pactis verum, & mutuum requirunt conſenſnm; unde *L. 1. ff. de pactis*, pactum deſcribitur, duorum vel plurium conſenſus: ergo, &c.

6. *Filij, & Filiæ non poſſunt cogi à Parentibus ad Sponſalia facienda.*

Ex his ſequitur: Filios, aut Filias non poſſe a Parentibus, curatoribus, vel amicis cogi ad Sponſalia: & ſi cogantur, ſunt eô ipsô invalida: Neque poſſunt a Sponſalibus contrahendis ſinè gravi cauſa impediri; ùt habet communis Doctorum poſt D. Thomam *22. qu. 140. art. 5.* Et deducitur ex *cap. Sufficiat, 27. qu. 1.* Et *cap. veniens, 1. de Sponſalibus.*

7. *Poſſunt tamen impediri quandoq; à contrahendis.*

NOTA primò: Si tamen gravis cauſa adeſſet, poſſent licitè liberi à Parentibus impediri à contrahendis Sponſalibus; etiam imploratâ Judicis authoritate; v.g. ſi Filius cogitet contrahere cum ſponſa multùm diſpari in conditione, ex quo Familiæ dedecus, ſcandalum, diſcordiæ, capitales inimicitiæ, & ſimilia incommoda reſultarent. Imò ſi Sponſalia jam eſſent contracta, poſſunt abſolutè impediri, ne ſequatur Matrimonium. Ratio eſt; quia verſantur circa rem illicitam; puta Matrimonium contrahendum cum peccato; quod eſt læſivum Charitatis, & pietatis; quare locum habet Regula Juris 69. *In malis promiſſis fidem non expedit ſervare.* Ita docent etiam Gutier: Nav: Sanchez, Brugnoli, &c.

8. *Sponſalia debent ſigno externo ſolidari.*

DICO quartò: Sponſalia, ut valeant, debent eſſe expreſſa aliquò externô ſignô, traditione v.g. annuli, ſcripturâ, voce, &c. Ita communis Doctorum.

Probatur: Sponſalia ſunt verus contractus reciprocus humanus; ſed talis utrique parti innoteſcere nequit, ſinè aliquo ſigno externo interioris conſenſûs voluntarij indice; ſicut patet in omnibus alijs humanis contractibus: ergo &c.

9. *Quid Sponſalia de præſenti & de futuro?*

NOTA ſecundò: Sponſalia alia eſſe *de præſenti*; alia *de futuro.* Priora coincidunt cum ipſo Matrimonio rato, & nondum con-

consummato: hôc sensu dicitur Matth: 1. *Cùm esset de Sponsata Maria Ioseph, antequam convenirent*; cùm tamen eodem cap: Maria appelletur *Coniunx Iosephi*. Sponsalia *de futuro* sunt, quæ suprà definivi.

10. *Sponsalia de præsenti evacuant alia de futuro.*

DICO quintò: Sponsalia de præsenti derogant Sponsalibus prioribus de futuro. Ita communis Canonistarum.

Probatur ex *cap. Sicut*. Et quia contractus Matrimonij fortioris vinculi est; eò quòd contineat traditionem corporis. Unde illud axioma: *Qui prior tempore potior est jure*; favet tantùm priori, qui simili jure, & titulo nititur cum posteriore.

11. *Sponsalia secunda de futuro non subsistunt, si facta sint contra fidē priorum.*

DICO sextò: Si Sponsus, vel Sponsa contra fidem priorum, secunda Sponsalia contrahant, nullò modò subsistunt; quamvis jurata sint. Est communis apud Canonistas, & Theologos.

Probatur prima pars: Quia prior Sponsus, vel Sponsa vi contractûs Sponsalitij requisivit jus ad futuras nuptias; & consequenter contractus secundorum Sponsaliorum est iniquus: ergo non subsistit.

12. *Etsi secunda essent jurata.*

Probatur secunda pars: Ex *cap. Quemadmodùm, de Iurejurando*, ubi dicitur: *Iuramentum non esse vinculum iniquitatis*, ergo cùm secundus contractus sit iniquus; etiamsi jurata sint Sponsalia, non subsistunt.

13. *Est obligatio gravis Sponsalia adimplendi.*

DICO septimò: Sponsalia obligant sub mortali ad contrahendum deinde Matrimonium. Ita Sanch: lib. 1. disp. 13. S. Thomas, Laym: & communis.

Probatur primò: Obligatio Sponsaliorū est in materia gravi; & descendit ex reciproco contractu justitiæ: ergo obligant sub mortali ad solemnizandum Matrimonium.

14. *Ecclesiasticus Iudex potest partē resilientem censuris compellere ad Matrimonium.*

DICO octavò: Potest Judex Ecclesiasticus resilire volentem à Sponsalibus sinè justa causa, & invito altero Sponso, post canonicam admonitionem censuris compellere, ad servandam promissam fidem: imò plerumque debet. Ita Con: disp: 22. dub: 2. Henriq: Laym. Covarovias, &c.

Probatur: Per *cap. Ex litteris 2. de Sponsalibus*, ubi dicitur: *Si monitis non acquieverint, Ecclesiasticâ Censurâ compellas; ut ipsam; nisi rationabilis causa obstiterit, in Vxorem accipiat.* Et *cap. 1. de Pactis*: generaliter ordinatur, *ut pacta inita suam retineant firmitatem, aut conventus, si se non cohibuerit* (id est correxerit) *Ecclesiasticam sentiat disciplinam.* Et est ratio: quia resiliendo infertur præjudicium alteri parti: ergo, &c.

15. *Duci debet puella spe Matrimonij inducta ad copulam carnalem.*

DICO nonò: Qui puellam nuptiarum induxit ad copulam carnalem, tenetur ipsam ducere; quamvis fictè spoponderit, Ita Rudriq: Con: Armilla Sylv: &c. contra Ledesm: Gabr: &c.

Probatur: Mulier tradendo copiam, & usum sui corporis, constituit contractum innominatum hunc; do tibi corpus meum, eà lege, ut tu posteà me ducas in uxorem; In similibus autem contractibus, si una pars adimplevit; etiam altera ex Justitia adimplere obligatur; cùm alias altera pars sinè ratione damnificetur: ergo, &c.

16. *Circa hoc assertum tamen sunt aliquæ modificationes.*

NOTA tamen sequentes exceptiones ab hac generali doctrina. *Primò*; casu quo puella decepta esset malæ famæ; non tenetur eam fornicarius ducere. Ratio est; quia non ratione promissionis; quæ cùm ficta fuerit, non inducit obligationem. Nec ratione damni; quia talis fœmina nullum est passa damnum singulare: quare satisfacit solvendo pretium copulæ; si illa fœmina consveverat corpus suum locare pro mercede: ergo, &c. *Secundò*; non tenetur eam ducere; si fornicarium decipiat promittendo, se esse Virginem; cùm reverà non sit: vel esse divitem; & tamen non est; ùt habet Regin: Ledesm: Vasqu: Ratio est; quia utrobique intercessit dolus. *Tertiò*; si puella post deceptionem cum alio copulam carnalem habuerit, pariter non tenetur eam ducere. Ratio est; quia *frangenti fidem, fides frangatur eidem*; inquit Regula Juris: sed hic fuit fracta fides: ergo, &c. *Quartò*; si puella sit notabiliter impar fornicario, in nobilitate, divitijs, aut potentia; & hoc sciebat puella decepta; etiam non tenetur eam habere uxorem. Ita Vasq: Molin: Sanch: &c. Ratio est; quia copula non censetur digna tantò pretiò; & puella debebat supponere, eum deceptoriè agere: tenetur tamen fornicatorem eam competenter dotare. *Quintò*; non tenetur si fornicarius timeat ex futuro Matrimonio com tali puella rixas gravissimas; scandala; vel alia gravia damna oritura. Ratio est; quia hæc longè præponderant fidei servandæ illius contractûs Sponsalitij.

QVÆSTIO II.

De Ætate; & solemnitate Sponsaliorum: & ex quibus causis dissolvantur?

1. *Ante septennium nequeunt fieri Sponsalia.*

DICO primò: Jure Canonicò, tam mas, quàm fœmina ante expletum septennium ad Sponsalia inhabiles censentur. Est communis DD.

Probatur: Per *cap. Litteras 1. & cap. Accessit*: & alibi. Et ratio est; quia eà fermè ætate rationis usum consequuntur, Si tamen

men certis indicijs conſtaret, defectum Ætatis per malitiam, & præcox ingenium ſuppleri, valida erunt Sponſalia ante ſeptennium. Argum: *cap. Iuvenis, de Sponſalibus.* & habet Sanch: cum alijs, ſicut vice versâ etiam poſt ſeptennium contracta erunt invalida, defectu usûs rationis. Circa ſolemnitatem.

2. Sponſalia validè celebrantur ſine teſtibus.

DICO ſecundò: Ad valorem Sponſaliorum non requiritur præſentia Parochi, aut ullius teſtis; ſed valent etiam clandeſtinè contracta. Ita Doctores paſſim.

Probatur: Quia ita declaravit ſæpiùs S. Congregatio. Et Tridentinum præſentiam Parochi tantùm requirit ad Matrimonium; circa verò Sponſalia nil ordinat; & meritò: quia ex clandeſtinis Sponſalibus non ſequuntur illæ inconvenientiæ, ob quas Tridentinum annullat Matrimonium clandeſtinum; ſcilicet ad evitandum concubinatum ſpretô primô matrimoniô clandeſtinè contractô, &c. Circa diſſolutionem Sponſaliorum.

3. Mutuô conſenſu diſſolvuntur Sponſalia.

DICO tertiò: Sponſalia primò diſſolvi mutuô contrahentium conſenſu. Ita communiter Canoniſtæ.

Probatur: Per *cap. Præterea hi, de Sponſalibus.* Et ratio eſt; quia alij contractus naturâ ſuâ ſolubiles, mutuô conſenſu diſſolvuntur: ergo & hic.

4. Niſi eſſent inter impuberes.

Excipiuntur impuberes (id eſt qui necdum poſſunt generare) qui Sponſalia, ſive jurata, ſive non jurata, nequeunt ante annos pubertatis mutuô conſenſu diſſolvere, Jure ita diſponente; ut eorum levitati occurratur; ùt habetur *cap. de Illis 1.* & alibi. Poſtquàm autem ad annos pubertatis venerint, poſſunt pro libitu reſilire; etiam alterâ parte invitâ; modò id faciant ſtatim; id eſt inter triduum *L. finali, C. de Iudicis.* Si tempore contractûs unus erat pubes, alter impubes, poteſt pro libitu reſilire ſolus ille, qui erat impubes *cap. de illis.*

5. Etiam diſſolvuntur quando oritur impedimentū Matrimonij.

DICO quartò: Diſſolvuntur Sponſalia, ſi inter Sponſos aliquod impedimentum oriatur, v. g. ſi Sponſus carnaliter cognoverit ſororem Sponſæ, aut illius conſanguineam in ſecundo gradu. Ita communis Summiſt:

Probatur: Per *cap. Cùm in tua; de Sponſal:* hôc aſſerente.

6. Etiam per Profeſſionē Religioſam unius partis.

DICO quintò: Solvuntur Sponſalia per Profeſſionem Religioſam approbatæ. Ita Doctores omnes.

Probatur: Ex *cap. 2. de Converſ. Conjugat.* Matrimonium ratum ſolvitur per Profeſſionem: ergo & Sponſalia.

7. Et quidem ex parte utrimque.

An verò ſolvantur ipsô factô per ingreſſum, ſive ſuſceptionem habitûs? Controverſia eſt; ſaltèm ex parte ingredientis: communior autem opinio, cum Sanch: Regin: Bonacin: Gutier: dicit, ſolvi Sponſalia, tam ex parte ingredientis; quàm in ſæculo remanentis: De remanente eſt res certa; quia ingrediens cenſetur ſuo Juri cedere tacitè; adeoque altera pars poterit reſilire. De ingrediente etiam oſtenditur; quia obligatio Sponſaliorum cenſetur facta fuiſſe cum hac tacita conditione: *Niſi melior ſtatus eligatur:* per ingreſſum autem Religionis eligitur melior: ergo. Unde Novitius ſemel veſtitus, ſi poſteà ſine ſua culpa egrediatur, ſecundùm cit: Doctores non tenetur ſtare contractis prius Sponſalibus. Ratio eſt; quia obligatio ſemel extincta, non reviviſcit.

8. Solvuntur etiam per ſuſceptionē Ordinum S.

DICO ſextò: Solvuntur Sponſalia per ſuſceptionem Ordinis Sacri. Ita Doctores communiter.

Probatur: Quia Ordo eſt impedimentum dirimens Matrimonium: ergo & Sponſalia. Votum tamen ſuſcipiendi Ordinem Sacrum; uti & votum ſimplex caſtitatis ſuperveniens, non diſſolvunt Sponſalia, ante contractu juxta communiorem opinionem, quæ eſt Navarri, Sylv. Paludani, &c. quamvis multi oppoſitum probabiliter etiam doceant. Ratio eſt; quia in contractu Sponſaliorum, nec ex natura rei; nec ex diſpoſitione juris; nec aliunde ſubintelligi videtur conditio iſta: *Niſi voluero ducere vitam cœlibem; aut ſuſcipere Sacrum Ordinem,* ſicut ex diſpoſitione Juris ſubintelligitur; *Niſi voluero ingredi Religionem:* ergo, &c. Prob: Antec: quia aliàs conſimili ferme ratione contendi poſſet, ſubintelligi poſſe hanc conditionem; *Niſi poſt modùm voluere à matrimonio abſtinere, & DEO liberiùs vacare,* etiam præſcindendo à voto caſtitatis; quod eſt falſum.

9. Sponſalia facta votō jam emiſſō nulla ſunt.

NOTA: Si Sponſalia fiant poſt emiſſum votum ſimplex caſtitatis, ſunt invalida. Ratio eſt; quia ſunt promiſſiones de re illicita; quæ proinde non obligant.

10. Matrimonium ſubſequens tollit Sponſalia priora.

DICO ſeptimò: Solvuntur Sponſalia per Matrimonium cum alia validè contractum; etſi ſint jurata. Ita Canoniſt:

Probatur: Quia ita habetur clarè in *cap. Scienter, de Sponſalibus.* Et *cap. de Sponſa duorum.* Et *cap. Sicut ex Litteris.* Si tamen aliud Matrimonium ſit invalidum, videtur manere obligatio ad priora Sponſalia. Ratio eſt: *Quia ex ſua iniquitate non videtur quis reportare commodum.* Pars tamen innocens tunc liberabitur. Ratio eſt; quia alter tentando aliud Matrimonium, fregit fidem, & tacitè juri ſuo ceſſiſſe videtur.

11. Nō ſolvuntur autem Sponſalia

An autem priora Sponſalia ſolvantur per poſteria, cum alia contracta, cum qua habuit

priora per posteriora, quibus necessit copula carnalis.

buit copulam carnalem; variant Doctores. Ego judico cum Doctoribus aliquibus non dissolvi priora ex parte fornicantis; nisi prima Sponsa renunciaverit suo juri; non enim videtur copula cum altera Sponsa habere vim evacuandi jus primæ Sponsæ, & obligationem Sponsi: *Cum nemo ex iniquitate sua commodum debeat reportare*: quare pars fornicans compelli potest ad nuptias.

12. *Fornicatio unius partis solvere potest Sponsalia.*

DICO octavò: Si Sponsa fornicetur post Sponsalia etiam jurata potest Sponsus resilire. Ita omnes Canon:

Probatur: Ex *cap. Quemadmodùm, de Iurejurando*. Et quia Sponsus ideò promisit Matrimonium, ut Sponsa fidem servet. Idem dic de Sponsa, quando fornicatur Sponsus. Similiter si Sponsa vi opprimatur, & defloretur, Sponsus resilire potest à Sponsalibus. Ita Covar: Henriq: Con: &c. Probatur ex *cap. Raptor, 27. qu. 2.* junctâ Glossâ, verbo *Poterit*. Et est ratio; quia etsi non peccet Sponsa; in æstimatione tamen humana fit notabiliter vilior: Propter quod etiam secundùm Sanch: Gutier: &c. non datur compensatio delictorum; si sponsus, & sponsa post sponsalia fornicentur: etsi enim quoad fractionem fidei facta sit quædam compensatio; non tamen quoad vilitatem notabilem; quæ specialiter oritur in sponsa; ex cujus parte proinde supervenit notabilis mutatio, ratione cujus solus sponsus potest resilire. Imò putant Authores, Sponsum posse resilire, si sponsa permittat se turpiter tangi tantùm ab alio frequenter; si autem id permittat sponsus, non ideò potest resilire sponsa; cùm in sponso non censeatur esse notabilior vilitas.

13. *Sponsus sciens Sponsā ante Sponsalia fornicatam fuisse, nequit rescindere Sponsalia.*

DICO nonò: Si fornicata sit sponsa ante contracta Sponsalia, & hoc scivit sponsus, non potest resilire; potest tamen, si non scivit; & noluisset contrahere, si scivisset ante. Ita Sanch: cum alijs DD.

Probatur prima pars: Quia scienti, & acceptanti vilem sponsam, non fit injuria: ergo, &c.

14. *Potest autē si ignoraverit.*

Probatur secunda pars: Quia corrupta sponsa censetur notabiliter vilior; & consequenter non ducibilis, si sciretur à sponso: ergo, &c.

Secùs est de sponso, qui, etsi subinde priùs fornicatus fuerit; non ideò poterit sponsa resilire. Ratio est; quia fornicatio reddit sponsam tantùm viliorem; non autem sponsum. Deinde Sponsus ducens fornicariam, fit bigamus, & ineptus ad Sacros Ordines suscipiendos; quod est magnum præjudicium. Quod si tamen sponsus fuisset scortator, & frequens nimis in fornicando ante sponsalia; item si habuisset prolem ex fornicatione, potest Sponsa post Sponsalia resilire. Ita Herincx, &c.

15. *Ob Apostasiam vel Hæresim solvi possunt Sponsalia.*

DICO decimò: Etiam propter fornicationem spiritualem dissolvi possunt Sponsalia; puta propter Apostasiam, vel Hæresim. Ita Sanch: Regin: &c.

Probatur: Quia fornicatio spiritualis etiam censetur notabilis fœditas, & mutatio, dans causam resiliendi sufficientem: ergo, &c.

16. *Et ob abitū Sponsi insciā Sponsā; & non consentiente.*

DICO undecimò: Dissolvi possunt Sponsalia, quando sponsus (idem dic de sponsa) inscia sponsâ, vel non consentiente, dimissâ patriâ se transfert ad aliam Regionem sine animo redeundi. Ita passim Canonistæ.

Probatur: Quia ita habetur *cap. de illis, de Sponsalibus*. Et est ratio; quia censetur cedere juri suo: ergo, &c.

17. *Elapsō terminō Matrimonio apposito, potest resilire una pars, si altera Matrimoniū contrahere nolit.*

DICO duodecimò: Si tam Sponsus, quàm Sponsa præsentes sint; sed unus est in mora, ne matrimonium contrahatur; tunc si matrimonio sit præfixus certus dies, eò elapsò innocens pars sit libera à Sponsalibus. Ita Navar: Abbas, Con: Sanch: &c.

Probatur: Per *cap. Sicut, de Sponsalibus*. Et quia Sponsalia fuerunt conditionata.

18. *Quævis gravis mutatio, vel vitium superveniēs contractui spon. sal: dissol.*

DICO decimotertiò: Quando supervenit quæcunque gravis mutatio; vel vitium, contractui sponsalitio, v. g. lepra; paralysis; notabilis corporis deformitas; morum asperitas; notabilis infamia; paupertas, &c. Item si Parentes Sponsæ recusent dare dotem; potest pars altera meritò resilire. Ita Sylv: Abbas, Angelus, Henriqu: &c.

Probatur: Ex *cap. Quemadmodùm, de Iurejurando*. Et est ratio: quia intentio spondentis non censetur se extendisse ad causam tam difficilem, deterrentem à Matrimonio.

19. *Ob gravia eventura mala dissolvi possunt Sponsalia.*

DICO decimoquartò: Dissolvi possunt Sponsalia, quando ex futuro Matrimonio gravia scandala; vel mala meritò timentur, v. g. graves inimicitiæ inter Sponsos, vel consanguineos.

Probatur: Quia non tenetur quis cum magno suo damno, aut proximi scandalo, stare promissis: ergo, &c.

20. *Regula Generalis pro dissolutione Sponsaliorū.*

Denique, est Regula generalis, & recepta apud Doctores; posse solvi Sponsalia, etiam jurata, quandocunque emergit nova causa; vel accidit mutatio; aut occurrit inconvenientia hujusmodi, quæ si ab initio fuisset, meritò & rationabiliter homines talis statûs, & conditionis à promittendo recessissent. Ita Navar: Abbas, Sylv: Sanch: &c. Ratio est, quia promissio intelligitur

ligitur facta rebus in eodem ſtatu permanentibus.

21. *Quando quis poſſit ſuâ, & Iudicis authoritate reſilire?*

Nota pro complemento quæſtionis: Si manifeſtè conſtet, ſufficientem adeſſe cauſam diſſolvendi Sponſalia, poteſt pars altera reſilire propriâ authoritate non expectatâ ſententiâ Iudicis: ſi verò dubitetur de ſufficientia; requiritur ſententia Judicis, ob probabile periculum injuſtitiæ; dum ſpoliatur alter in dubio jure ſibi acquiſito. Plura de Sponſalibus vide apud Sanchez, Coninch, Henriqu: Paludanum, Ledeſmam, Sylveſtrum, Navarrum, Covar: &c.

DISTINCTIO XVII.

DE MATRIMONIO SECUNDUM SE.

PRÆFATIO.

Septimum, ac ultimum Evangelicæ Legis Sacramentum, in SS. Concilijs recenſetur Matrimonium; ſic dictum ſecundùm Gloſſ: *Inſtitut: de Patr: Poteſt:* lit: O. *à Matre;* quia idcircò concluduntur Matrimonia, ut mulier Mater efficiatur per prolis procreationem. Vel ût alij volunt, Matrimonium dicitur, quaſi *Matrem muniens*: quia fœmina per Matrimonium ſociatur viro, qui eam debet munire ac defendere. Hoc Sacramentum etiam rectè à Patribus, & Theologis vocatur Connubium, Conjugium, Nuptiæ. Ejus itaque Tractatum ſequentibus abſolvam quæſtionibus.

QVÆSTIO I.

De Eſſentia, Inſtitutione, Materia, Forma, & Miniſtro Matrimonij.

1. *Matrimonium habet rationem Contractûs Vinculi, & Sacramenti.*

Nota primò: Ex Scoto 4. d. 26. q. un: quòd in matrimonio tria diſtingui debeant: Contractus Matrimonialis in fieri; Vinculum ipſum inter conjuges permanens; & ratio Sacramenti.

DICO primò: Matrimonium, ût dicit contractum in fieri, rectè definitur: quòd *ſit maris, & fœminæ mutua tranſlatio corporum ſuorum pro uſu perpetuo ad procreandam prolem, debitè educandam.* Ut dicit vinculum: *Quòd ſit perpetua, & indiſſolubilis conjunctio, orta ex conſenſu, eorum verbis, alysquè ſignis expreſſo.* Ut dicit rationem Sacramenti: *Quòd ſit expreſſio certorum verborum, vel ſignorum æquivalentium, maris & fœminæ ad ſe invicem ſignificantium traditionem mutuæ poteſtatis corporum, ad prolem debitè procreandam, ex inſtitutione Divina efficaciter ſignificans gratiam, conferendam mutuò contrahentibus, ad conjunctionem mutuam animorum.* Ita in terminis Scotus cit: & poſt ipſum Scotiſtæ. Et

Probatur: Quia hæ definitiones Matrimonij, in triplici ſenſu debitè explicant acceptionem Matrimonij triplicem; habentquè cætera requiſita ad legitimas definitiones: ergo, &c.

2. *Quid ſit Matrimonium, Legitimum, Ratum, & Conſummatum?*

Nota ſecundò: Triplex præterea reperiri Matrimonium, Legitimum, Ratum, & Conſummatum. *Legitimum* eſt; quod conſenſu legitimo inter perſonas, non prohibitas conſtitutum eſt. *Ratum* eſt; quod includit legitimum; & addit rationem Sa-

Sacramenti, per quam majorem firmitatem acquirit. *Consummatum* est; quod accedente reali corporis usu perficitur, & completur. Ita Brugnoli, Laym: Sanch: &c.

3. *Matrimonium in ratione contractûs indissolubile instituit DEUS.*

DICO secundò: Matrimonium in ratione contractûs indissolubilis fuit à DEO institutum, statim in principio mundi. Ita communis Theologorum, cum Scoto cit: S. Booaventura, S. Thom: &c. contra Manichæos, docentes nuptias esse à malo DEO institutas.

Probatur: Ex Genesi, ubi hujus Institutionis legitur promulgatio, ab Adam facta cap. 2. *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea; propter quod relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una*: quæ verba ponderans Tridentinum Sess: 24. cap. un: ait: *Matrimonium perpetuum, indissolubilemquè nexum primus humani generis parens Divini Spiritûs instinctu pronunciavit; cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, &c.* ergo cùm Adam tantùm pronunciaverit ex inspiratione DEI Matrimonium in ratione contractûs, censetur DEUS ipse id instituisse in principio mundi.

4. *Lex natura petit Matrimonium esse contractum quendam indissolubilem.*

DICO tertiò: Valdè conforme fuit Legi naturæ, ut Matrimonium in ratione contractûs indissolubilis institueretur. Ita Scotus cit: Braoc: Hiq: &c.

Probatur: Indissolubile Matrimonium valdè conducit ad generis humani propagationem; ad bonam prolis educationem; & plurima inconvenientia evitanda, quæ natura abhorret: ergo, &c.

5. *Matrimonium fidelium est Sacramentum à Christo institutum.*

DICO quartò: Matrimonium Fidelium in lege nova est propriè dictum Sacramentum, à Christo institutum. Ita Scholastici omoes, contra Hæret: modernos.

Probatur: Ex definitione Concilij Bracarensis I. Can. II. Item Tolet: I. in *Confessione Fidei*, Florent: & Trident: Sess: 24. dicente: *Cùm igitur Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubijs, per Christum gratiam præstet; meritò inter Novæ Legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio, semper docuerunt*: ergo, &c.

6. *Quod Scripturæ, & PP. confirmant.*

Probatur secundò: Quia, ùt inquit Scotus, Christus Matth: 19. Matrimonium, quod priùs erat contractùs nudus, evexit, ad rationem Sacramenti; dum dixit: *Quòd DEUS conjunxit, homo non separet*: ergo, &c.

Probatur tertiò ex Patribus; maximè S. Augustino *lib. de fide, & operibus, cap. 7,* dicente: *In Ecclesia nuptiarum, non solùm vinculum; verùm etiam Sacramentum ita commendatur; ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere*: ergo, &c. Videatur etiam S. Ambrosius *lib. I. de Abraham, cap. 7.* Cyrillus Alexandrin: &c.

7. *Congruentia Scoti suadet.*

Probatur quartò congruentiâ Scoti: Quia valdè congruum fuit, ut saltèm pro Lege gratiæ; sicuti cætera Christi juga suavia sunt, & levia; ita & hoc tam firmum, & indissolubile jugum leve redderetur à Christo, per superadditionem virtutis, & efficaciæ Sacramentalis, causando in ritè suscipientibus gratiam sanctificantem; per quam & Conjuges firmiùs inter se animò, & corpore unirentur; & Officium progandæ, atque ad cultum DEI educandæ prolis, sanctiùs exercerent; & remedium ingenitæ concupiscentiæ convenientiùs consequerentur; maximè ex quo Christus ipse repudium uxorum, quod antiquis fuit levameo, sustulit: ergo, &c.

8. *Respondetur Hæreticis objicientibus.*

Objiciuot Hæretici I. Matrimonium est malum: ergo non est institutum à Christo. Probatur Antec: in Matrimonio exercentur actus concupiscentiæ, quæ ex Joannis I. cap. *Parit peccatum*: ergo, &c. Respondeo Neg: Antec: ad probationem ejus dico; S. Joannem loqui de concupiscentia inordinata illicita, & contra Legem DEI aut rectam rationem; non de ordinata, & licita, quæ exercetur in Matrimonio.

9. *Respondetur Calvino.*

Objicit 2. Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 19.* Unum Sacramentum novæ Legis non repugnat alteri: sed secundùm Catholicos Matrimonium repugnat Sacerdotio Sacramentali, quod cœlibatum habet annexum: ergo non est Sacramentum. Respondeo: Distinguendo Min: repugnat Jure Divinò Nego Minorem: Ecclesiasticô Concedo Minorem: Itaque simpliciter est compatibile Matrimonium cum Sacerdotio, quantùm est ex ratione Sacramenti: Ecclesia tamen rectè deoegat Sacerdotibus Matrimonium; propter impedimenta, & sæculares curas, quæ ipsum consequuntur, & ab obsequio Divino retrahunt; juxta illud Apostoli: *Qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi; quomodo placeat uxori, & divisus est.*

10. *Materia, & Forma Matrimonij.*

DICO quintò: Materia Matrimonij sunt corpora Conjugum contrahentium, mutuò tradenda: Forma est consensus legitimè, & sensibiliter ab eis expressus. Ita Antoninus, Paludanus, Covaruvias in Epit: p. 2. c. I. &c. DD.

Probatur: Materia, & Forma hujus Sacramenti est eadem, quæ est Materia contractûs; quia Christus contractui, in natura sua invariato, solùm addidit dignitatem Sacramenti; sed contractus Matrimonialis Ma-

Materia sunt corpora contrahentium, & Forma est consensus sensibiliter expressus: ergo, &c.

11. *Corpora contrahentium sunt tantùm Materia circa quam.* Quia tamen corpora contrahentium sunt contractui extrinseca, instar objecti, & materiæ circa quam; idcirco non sunt Materia intrinseca Sacramento & essentialis, seu ex qua; quæ propriè hic non debet dari; sicut neque in alijs contractibus datur Materia ex qua; sed tantùm circa quam; v. g. in venditione Equi, Equus est Materia tantùm circa quam versatur contractus.

12. *Minister essentialis hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes.* DICO sextò: Minister essentialis hujus Sacramenti non est Sacerdos; sed sunt ipsi contrahentes. Ita communis Doctorum apud Bellarm: *lib. 1. de Matrimonio cap. 6.* Sotum, &c.

Probatur primò: Minister Matrimonij est, qui verborum Formam profert, quibus Sacramentum perficitur; sed verba quibus hoc Sacramentum perficitur, conjuges contrahentes proferunt, sive immediatè, sive mediatè per procuratorem, vel Epistolam: ergo, &c.

Probatur secundò: Ante Tridentinum, Matrimonium clandestinum, id est, quod sinè præsentia Sacerdotis celebrator, erat verum Matrimonium & Sacramentum, quod tribus perficitur, Materiâ scilicet, Formâ, & Ministrô: ergo, &c.

13. *Sacerdos est tantùm accidentalis.* Itaque Sacerdos non est Minister essentialis, sed tantùm accidentalis, quatenùs ex officio jungit, & benedicit conjuges contrahentes. Unde dicunt Theologi Sacerdotem in mortali assistentem Matrimonio, non peccare; eò quòd non ministret essentialiter, nec conficiat Sacramentum. Ita Sanch: lib. 2. disp. 6. Gutier: Henriqu: &c. DD.

QVÆSTIO II.

Num tam Consensus contrahentium; quàm Parentum requiratur ad Matrimonium? & an possit celebrari per Litteras, vel Procuratorem.

1. *In Matrimonio valide contrahendo requiritur liber Consensus utriusq; Contrahentium.* DICO primò: Ut Matrimonium debitum sortiatur valorem, omninò est necessarius mutuus liber Consensus Contrahentium, per verba, vel signa alia æquivalentia, de præsenti expressus. Est communis apud Canonistas, & Theologos.

Probatur: Primò ex Jure Canonico *cap. Sufficit.* Et *cap. Cùm apud.* Et *cap. Tua nos.* ergo, &c.

Probatur secundò ratione: Matrimonium est contractus, & mutua traditio, atque acceptatio corporum Contrahentium: ergo utrobique est necessarius mutuus consensus, sinè quo præfata non subsistunt. Confirmatur: Ex Matrimonio resultat continua vitæ societas; mutua conjugum charitas; indissolubilitas; aliavè onera Matrimonij, quæ postulare videntur liberum & mutuum Conjugum Consensum: ergo, &c.

2. *Parentum Consensus non requiritur, tanquam essentialiter necessarius.* DICO secundò: Debitum Matrimonij valorem facit etiam solus Consensus Conjugum, sinè assensu Parentum, vel Curatorum. Ita Doctores Catholici, contra Lutherum, ejusquè sequaces.

Probatur: Ex Tridentino Sess. 24. cap. 1. *de Reform:* anathematizante eos, *qui falsò affirmant, Matrimonia à Filijs Familias sinè Consensu Parentum contracta esse irrita; & parentes ea rata, vel irrita facere posse*: ergo, &c. Confirmatur per *cap. Sufficiat, 27. q. 2.* ubi dicitur: *Sufficiat secundùm Leges eorum Consensus, de quorum conjunctionibus agitur.* Et accedit Exemplum Sacræ Scripturæ, in qua legitur Tobias ex consilio Angeli, sinè Parentum scitu, & assensu, legitimum contraxisse Matrimonium: ergo, &c.

3. *Sed tamen de quadam congruentia.* NOTA tamen primò: Quòd celebraturi Matrimonium, Parentum, & Curatorum Consensum (quantùm fieri potest) requirere, & obtinere debeant, ex quadam congruentia, reverentia, & honestate; ùt passim docent Doctores. Ab hoc tamen excusat causa justa; puta si Parentes, aut Curatores molesto, vel difficili nimis Matrimonio eos vellent copulare.

4. *Pœna statuta contra proles contrahentes absque assensu Parentum, sunt evacuata.* NOTA secundò: Quòd certæ pœnæ contrahentium in quibusdam Regnis statutæ, & Novella 115. Juris Civilis, ordinans posse exhæreditari contrahentes sinè Consensu Parentum, & Curatorum; secundùm Sanchez, & alios DD. nullum habeant valorem ampliùs; & sint correctæ, vel corrigendæ per Jus Canonicum, quod potiùs favet libertati Matrimonij; jubetquè causas, & leges Matrimoniales spectare ad Ecclesiam, & non ad forum Laicale; per *cap. Tuam, de ordine cogn.* & Trident: *Sess. 24. Can. 12.*

5. *Elucidatur cap. Aliter, &c.* Si objiciant contra hoc: Ex Jure Canonico *cap. Aliter 30. quæst. 5.* dicens: *Aliter legitimum non fit Conjugium; nisi ab his, qui super fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus, & propinquioribus sponsetur*: ergo, &c. Respondeo glossando Jus, & dicendo:

cendo: per ly *non legitimum*, hic non intelligi idem, quod contra leges rigorosas; quasi invalidum, vel nullum fit Matrimonium, sed quod non sit solemne, decens, & honestum, sicut de lege congruentiæ deberet esse. Et hic sensus colligitur ex contextu ipsius capitis *Aliter &c.* ubi eodem tenore requirit, ut sponsi biduô Orationi vacent, ut sponsa à Paranymphis custodiatur, & similes conditiones; quibus tamen omissis Matrimonium est validum, & legitimum.

6. *Consensus Contrahentium debet esse extrinsecè expressus.*

DICO tertiò: Consensus merè internus ipsorum Conjugum non sufficit, sed debet esse exteriùs expressus.

Probatur: Tum, quia ratio contractûs humani, & mutuæ traditionis, & acceptationis hujusmodi Consensum, exteriùs expressum postulat. Tum, quia ipsa ratio Sacramenti hoc exigit, cujus pars essentialis, est sensibilis expressio interni consensûs. Et perpetuus Ecclesiæ usus fuit, ut sensibilibus signis celebrentur Consensus Matrimoniales: ergo, &c.

7. *Sufficit autem eum nutu, vel inclinatione capitis exprimere.*

NOTA tertiò: Præfatam expressionem Consensûs, non debere necessariò fieri verbis, sed sufficere etiam nutus, & alia signa, v.g. feria capitis ad interrogationē de traditione, & acceptatione, inclinatio, manûs porrectio ad factam petitionem; item secundùm praxim aliquorum locorum, impositio, & acceptatio annuli, in digito: idem est, si parentes exprimant Consensum nomine prolium præsentium, & non contradicentium, *cap. un. de Sponsalibus impub. in 6.*

8. *Per Procuratorem verè contrahitur Matrimonium.*

DICO quartò: Potest etiam per Epistolam inter absentes fieri contractus Matrimonij. Ita communiter Doctores.

Probatur: Quia ita est expressum in Jure Civili *L. Mulierem. ff. de ritu nuptiarum.* Usitatiùs tamen de factò in Ecclesia fit per Procuratorem; & quidem validissimè; prout dicit Jus Canonicum *cap. finali, de Procurator:* ut autem servaretur Forma Tridentini præscripta, ubi est Tridentinum receptum, optimè fieret, si Procurator Consensum sui principalis, ejusdem nomine exprimeret, coram Parocho, & testibus.

9. *Procurator potest esse mas, vel fœmina.*

DICO quintò: Potest hujusmodi Procuratorem esse tam masculus; quàm fœmina. Est communis.

Probatur: Quia Jura hic nil prohibent. Unde tale Matrimonium per Procuratorem factum, omninò est verum Sacramentum; ut Con: Sylv: Henriq: Sanch: quia adsunt omnia essentialia Sacramenti; nec requiritur præsentia eorum, quibus ministratur, sicut in baptismate, & alijs Sacramentis; cùm hoc Sacramentum celebretur per modum contractûs, qui fieri potest etiam inter absentes.

10. *Formula à Procurante servanda.*

Verba adhibenda à Procuratore, quando contrahit nomine alterius, debent esse ista, vel æquivalentia: *Recipio te in uxorem nomine Cæsaris*; vel ista: *Cæsar accipit te in uxorem me mediante.* Similiter fœmina debet respondere: *Ego te mediante duco Cæsarem.* Ita Covar: Sanch: &c.

11. *Procurator non peccat mortaliter, contrahens in statu mortalis reatûs.*

DICO sextò: Procurator non peccat mortaliter, contrahendo Matrimonium nomine alterius, in peccato mortali. Est Brugnoli, &c. DD.

Probatur: Quia non pertinet ad ipsum ex Officio ministrare hujusmodi Sacramentum: nec est Minister consecratus ad hoc munus. Contrahentes tamen peccarent, si in mortali essent, quia ponerent obicem gratiæ Sacramentali recipiendæ. Ita Rebellus, Con: Gutier: Unde absentes etiam tenentur esse in gratia eo tempore, quo probabiliter putant Procuratorem contracturum; tunc enim recipiunt Sacramentum, sive dormiant, sive vigilent, imò etsi essent tunc amentes. Ita cit. AA.

QVÆSTIO III.

De Matrimonio Infidelium, quorum alteruter convertitur ad fidem; Item de Clandestino; & solemni.

1. *Infidelium Matrimonia habent tantùm rationem contractûs: ad rationē verò Sacramenti elevantur per baptismū innovatō consensu.*

SUppono Matrimonia Infidelium habere tantùm rationem puri contractûs, rigorosi tamen, & ultro citroque parientis obligationem, ordinati ad officium, & propagationem Naturæ humanæ; non tamen esse Sacramentum; ob defectum ingressæ januæ Sacramentorum per baptismum. Hujusmodi autem contractus eorum fit tunc demùm Sacramentum, quando susceptô baptismô conversi novum eliciunt Consensum, vel priorem ratificant voce, aut alijs signis; ut habent DD. Ledesm: Bellarm: Brug: Henriqu: lib. 11. cap. 8. &c. Et Nota: quòd, ad hoc ut antiquus ille contractus transeat ad rationem Sacramenti per Consensum novum, vel ratihabitionem, non requiratur præsentia ulla Parochi, vel testis; ut habet Rebellus, Sanch: Gutier: *de Matrim: cap. 42. n. 6. &c.* Ratio est; quia Tridentinum præsentiam testium, & Parochi tantùm requirit, ut Contractus validè celebretur; hic autem supponitur Contractus jam olim validè celebratus.

DICO

2. Olim poterant cohabitare fidelis & infidelis Conjux; nunc autem debet sequestrari.

DICO primò: Etsi olim ob fidei dilatationem Apostolus ordinaverit, ut unus Conjugum conversus ad Christi fidem, habitet cum altero; modò Creatoris contumelia, aut pertractio ad peccatum non interveniant: posteà tamen crescente numero Fidelium rationabiliter universa Ecclesia induxit sequestrationem, quoad thorum, & cohabitationem Conjugis Fidelis ab Infideli, respuente conversionem. Ita Theologi omnes.

Probatur prima pars: Ex Epistola 1. D. Pauli ad Cor: cap. 7. Secunda verò ex Juris Canonici dispositione *cap. Iudai.* Et *cap. Sæpe 28. q. 1.* Et motivum Ecclesiæ fuit, ut præcaverentur pericula perversionis, aliaquè complura incommoda; ùt notat Laym: Brug: Rebellus, &c.

3. Hac tamen sequestratio non dissolvit eò ipsò vinculum Matrimonij.

DICO secundò: Quamvis Conjux neo-conversus authoritate Ecclesiæ sequestretur à thoro, & cohabitatione Infidelis; non tamen dissolvitur eò ipsò vinculum Matrimonij. Ita Navar: *lib. 3. Conf. 1. de Conversione Infidelium.* Valent: Covar: & communis.

Probatur: Ex *cap. Gaudemus, de Divortijs*; dicente: *Si maritò ad fidem conversò, posteà etiam uxor convertatur, cogendus est vir, qui ad alias nuptias non transierat, recipere uxorem suam*; sed non posset cogi; si solveretur eò ipsò vinculum Matrimonij: ergo, &c.

4. Solvitur Matrimonium Fidelis cum infideli, quando blasphemat infidelis Creatorem,

DICO tertiò: Dissolvitur tamen vinculum Matrimonij inter Neo-conversum sequestratum, & Infidelem, si post certum tempus altera pars detrectet amplexari fidem, vel spontè recedat, vel cohabitet cum periculo perversionis, aut contumelia Creatoris: Unde licitè Fidelis ad secundas Nuptias potest transire. Ita Recentiores Canonistæ omnes.

Probatur: Ex *cap. Quantò de Divortijs*; ubi Innocentius III. pro hac Conclusione rescribit suppositis modificationibus. Imò docet Henriqu: Sanch: S. Bonaventura 4. dist. 39. art. 2. q. 1. S. Thomas, &c. hodie Conjugem Fidelem sequestratum post aliquod tempus v.g. 40. dies, qui Romæ teste Rebello *lib. 3. de Matrimonio qu. 10.* præfiguntur, transire licitè ad secunda vota; quamvis alter in infidelitate persistens, pacificè, & sine injuria Creatoris, vellet cohabitare. Ego tamen judico securiùs hac in parte procedendum, & recursum ad Sedem Apostolicam instituendum, pro dispensatione; quod & svadet Veracrux, & dicit hoc ipsum observari in praxi.

5. Casus particularis

NOTA: Si Infidelis uxor sequestrata à Marito converso, copulam fornicariam habuerit cum alio; posteà autem & ipsa fidem suscipiat; licèt tunc vir possit eam repudiare, ob violatam fidem Matrimonij, juxta dispositionem *cap. Gaudemus, de Divortijs*: Neuter tamen novum Matrimonium validè potest celebrare; ùt habent Laym: Abnensis, Brugnoli, &c. Et ratio est; quia censetur adhuc manere vinculum prioris Contractûs Matrimonialis.

circa sequestrationem Fidelis ab Infideli.

6. Alius casus in eadem Materia.

NOTA præterea secundò: Si uxor Infidelis celebret novum Matrimonium, post Conversionem viri ad fidem Christi, & vir conversus non, contingat autem deinde, & illam fœminam transire ad fidem, debet ipsa posteriori maritô desertô, adhærere primo: ùt habet Nav: *lib. 3. Conf. 3. de Conversione Conjugat:* & alij. Ratio est; quia hic locum habet illud axioma: Qui prior tempore in Matrimonio, potior est jure in fœminam sibi copulatam matrimonialiter. Et quia prius Matrimonium ex nullo capite dissolutum ostendi potest.

7. Impedimenta dirimentia nil operantur in Matrimonijs Infidelium post conversionem.

DICO quartò: Etsi Infideles duo celebrâssent Matrimonium cum aliquo impedimento, apud Christianos dirimente Matrimonium; adhuc tenet eorum Matrimonium post conversionem. Ita Laym: Brugnoli, &c.

Probatur: Quia ex *cap. Gaudemus, de Divortijs*, contrahentes in infidelitate dispositioni Juris Canonici non subjiciuntur; quod invexit impedimenta dirimentia; eò quòd non essent Ecclesiæ subditi, tempore contractûs: ergo, &c.

8. Quid sit Matrimonium Clandestinum?

Circa *Clandestina Matrimonia.* NOTA tertiò: illa appellari Matrimonia Clandestina, quæ prætermissis requisitis a Jure solemnitatibus celebrantur; sunt autem solemnitates requisitæ a Jure, Præsentia Parochi proprij, testium, & præviæ denunciationes.

9. Olim erant valida Clandestina Matrimonia.

DICO quintò: Matrimonia Clandestina licèt jure antiquô valida essent; Jure tamen novô Tridentini fiunt nullius valoris; etiamsi essent consummata. Ita Valent: Henriq: & communis Canonistarum Recentiorum.

Probatur prima pars: Quia etsi Jura antiqua severè prohibeant Clandestina Matrimonia; ùt videre est apud Gratianum c. 13. & tota causa 30. qu. 5. ob multa damna, & quæ veneris potiùs, quàm DEI causâ contrahuntur; ùt ait Syn: Colon: p. 7. cap. 43. nunquam tamen ea simpliciter invalidant: ergò erant valida.

10. Modò verò invalida sunt.

Probatur secunda pars: Ex Tridentino Sess. 24. cap. 1. dicente: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia; & 2. vel 3. testibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos S. Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles*

Kkk

biles reddit; & hujusmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit: ergo, &c.

11. *Quid faciat Eccleſia apponendo ſolemnitates Matrimonio?*

DICES: Eccleſia non poteſt mutare eſſentiam Sacramentorum, à Chriſto inſtitutorum: ergo nequit invalidare Matrimonium Clandeſtinum, jure antiquò validum. Reſpondeo: Diſtingvendo Ant: Eccleſia nequit mutare eſſentiam Sacramentorum directè: Concedo Ant: indirectè Nego Ant: Itaque Eccleſia, ùt benè docet Palud: Adrian: Laym: &c. quamvis per ſe, & directè non poſſit mutare rationem Sacramenti, ut v. g. Materia, quæ antea erat legitima, modò fiat illegitima; poteſt tamen indirectè; & per accidens; ſeu potiùs poteſt impedire Sacramentum, ne fiat; ſi deſtruat ipſam materiam, in qua Sacramentum ſundatur: quemadmodum ſi quis vinum phyſicè corrumpat, nimiam aquam infondendo, ut ampliùs non ſit materia conſecrabilis: ſic infirmat, & inhabilitat contractum naturalem Matrimonij eorum, qoi clandeſtinè contrahunt, & impedit, ne ratio Sacramenti poſſit accedere; quod ſanè poteſt facere Eccleſia; ſicut omnis Reſpublica ſæcularis poteſt quosdam homines, v.g. pupillos inhabiles efficere ad faciendos contractus validos, & eorum contractus debitâ ſolemnitate deſtitutos infirmare. Circa primam ſolemnitatem Matrimonij, puta *Præſentiam Parochi.*

12. *Alteruter Parochus poteſt validè adhiberi pro celebratione Matrimonij.*

DICO ſextò; Validum eſt Matrimonium, ſive celebretur præſente Parocho ſponſi, ſive ſponſæ; ſi ſint ſub diſpoſitione diverſarum Parochiarum. Ita Brug: Sanch; Gutier: & cæteri Doctores.

Probatur: Quia ita declaravit S. Congregatio, teſte Rebello lib. 2. q. 8. Et eſt ratio; quia quilibet Parochus habet poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta ſuis ovibus.

13. *Proprius Parochus ubique poteſt ſuos copulare.*

DICO ſeptimò: Etiam extra Diœceſim; & propriam Parochiam, poteſt proprius Parochus ſuos Parochianos validè copulare; licèt à Curato loci, ubi copulat non obtineat facultatem. Ita Gutier: Conink, Regin: &c.

Probatur: Quia Paſtor poteſt oves ſuas paſcere Sacramentis, ubicunque exiſtant, cùm adminiſtratio non ſit actus Juriſdictionis conteotioſæ, ſed gratioſæ, qui ſecundùm Doctores ubique poteſt exerceri: ergo, &c.

14. *Subſiſtit Matrimonium celebratum coram proprio Parocho, necdum Sacerdote, vel ſuſpenſo, &c.*

DICO octavò: Validum erit Matrimonium, cui aſſiſtit Parochus proprius; etſi non ſit Sacerdos, imò etſi ſit ſuſpenſus, interdictus, vel excommunicatus, toleratus tamen. Ita Henriq: Ledeſma, Rodriq: Sanch: Conink, diſp. 27. dub. 7.

Probatur: Quia aſſiſtere non cenſetur eſſe actus Juriſdictionis, vel adminiſtrationis Matrimonij, ſed tantùm actus teſtimonij, qui à præfatis validè præſtatur; ùt doceo in *Tract. de Iure & Iuſtitia*: ergo, &c. Unde Tridentinum tantùm petit *verum Parochum præſentem*, abſtrahendo ab alijs modificationibus; ſed Parochus necdum Sacerdos, ſuſpenſus, & interdictus, & excommunicatus toleratus, adhuc cenſetur eſſe verus Parochus; niſi aliter in ſententia ſuſpenſionis exprimatur: ergo, &c.

15. *Vagos ſuâ authoritate copulat validè quilibet Parochus.*

DICO nonò: Matrimonio Vagorum quilibet Parochus validè propriâ authoritate aſſiſtit; non tamen licitè. Ita Sanch: Laym: &c.

Probatur prima pars: Quia vagorum quisque ceoſetur eſſe Parochus in loco, ubi pro tempore copulationis degunt, & nulla jura hujuſmodi Matrimonia invalidant: ergo eis validè aſſiſtit quivis.

16. *Sed illicitè.*

Probatur ſecunda pars: Ex Trid: Seſſ: 24. cap. 6. ubi Parochis *præcipit, ne Vagorum Matrimonijs interſint, niſi priùs diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint*: ergo, &c.

17. *Non valet Matrimonium, cui aſſiſtit Parochus illius loci, qui modicò tempore inhabitatur à ſponſis.*

DICO decimò: Invalidum eſt Matrimonium, celebratum coram Parocho illius loci, ad quem ſponſus, vel ſponſa aliquoties tantùm in anno, ad modicum tempus accedit, pro colligendis fructibus, vel cauſa recreationis. Ita Navar: Sanch: Gutier: &c.

Probatur: Ille Parochus non cenſetur eſſe proprius Parochus ſponſi, vel ſponſæ; cùm in ejus Parochia ſponſus, vel ſponſa principale, vel ſtabile per notabilem partem anni non figat domicilium, ergo, &c.

18. *Pœna indebitè aſſiſtentium Matrimonijs.*

DICO undecimò: Sacerdos quisque etiam Regularis, qui non eſt proprius Parochus, & tamen aſſiſtit Matrimonio ſinè licentia proprij Parochi, vel Epiſcopi, incurrit ipſo Jure novò ſuſpenſionem; antiquò verò excommunicationem. Ita Canoniſtæ omnes.

Probatur de ſuſpenſione, ex Tridentino Seſſ: 24. cap. 1: Et de excommunicatione ex Clemeotina, *de Privilegijs*; quæ tamen modò putatur abolita, ſecundùm Rebellum, & cæteros Doctores.

Circa alteram ſolemnitatem *Teſtium*.

19. *Debent eſſe teſtes duo Matrimonij; moraliter præſentes, & conteſtes.*

NOTA quartò: Duos ſaltèm teſtes debere adeſſe Matrimonio ſolemni, & quidem ita moraliter præſentes, ut intelligant, quid agatur, ùt verè teſtificari poſſint, Matrimonium utriusque conſenſu eſſe celebratum; arg: *L. 209. ff. de Verb. ſignificatione.* Quod etiam de præſentia Parochi dicendum. Item debent eſſe conteſtes, id eſt, ſimul præſentes: Non eſt tamen neceſſe, ut ſint

ſint rogati, vel vocati, ſed ſufficit, quòd adſint, & adhoc adhibeantur, ſive metu, ſive dolô adducti ſint; ùt habet Nav: & colligitur ex *L. 1. ff. de Teſtibus.* Quod etiam de præſentia Parochi ſentiendum.

20. *Teſtem Matrimonij poteſt agere quivis doli capax.*

Nota præterea quintò: Quòd Teſtes Matrimoniales poſſint eſſe quæcunq; perſonæ, doli capaces; cujuscunque ætatis, & ſtatûs, etiam impuberes, fœminæ, Conſanguinei, Pater, Mater, Infidelis, excommunicatus, & ſimiles, qui tamen in alijs cauſis civilibus, & contractibus repelluntur. Ita Conink, Ledeſma, Sanch: Veracrux, &c. Ratio eſt; quia Tridentinum nullum excipit, adeoque nec nos excipere debemus. Deinde cauſa Matrimonij eſt favorabilis, & conſequenter amplianda quoad Teſtium adhibitionem.

21. *Denunciationes debēt ex diſpoſitione Eccleſiæ præmitti Matrimonio neceſſariò; omiſſæ tamen non invalidant Matrimonium.*

Circa *denunciationes* Nota ſextò: Eas omninò debere præmitti Matrimonio, ex Ordinatione Concilij Lateran: & Tridentini *cap. 1. de Reform: Matrimonij*; & quidem trinas: tribus Feſtis, vel Dominicis, ſibi mutuò ſuccedentibus hac de cauſa, ut detegantur impedimenta Matrimonij, ſi quæ adſint. Quæ proinde denunciationes ſecundùm DD. ſinè peccato mortali non poſſunt omitti à Curato, ſinè habita remiſſione Ordinarij. Putant tamen Canoniſtæ, & Theologi apud Sanch: Laym: &c. has denunciationes non ſpectare ad ſubſtantiam Matrimonij, unde ſi omitterentur, etiam malitiosè, validum eſſet Matrimonium.

22. *In his poteſt Epiſcopus diſpenſare ex juſta cauſa.*

Nota ſeptimò: Epiſcopos poſſe diſpenſare, ut nullæ præmittantur denunciationes, ſi Matrimonia celebrentur inter Magnates, ſenes, ſponſos diſparis conditionis, ob pudorem ſponſorum, & ſimiles rationes; ùt habet Conink, Rodriqu: Laym: Henriq: &c. Imò debet quandoq; diſpenſare, ſi ex denunciationibus præmiſſis tumultus probabiliter oriretur inter conſanguineos, malitiosè volentes impedire Matrimonium; aut timeretur ſterilitas ſponſæ inducenda; ſi concubinarius, qui publicè putatur fuiſſe verus maritus, copulandus eſſet; ſi Matrimonia tempore Adventûs, vel Quadrageſimæ ſint neceſſariò celebranda, &c. quæ omnia Tridentinum prudenti Ordinariorum judicio relinquit.

23. *Parochus poteſt denunciationes quandoque omittere.*

Nota octavò: Si periculum ſit in mora, & Ordinarius non poſſit accedi, poteſt tunc Parochus ſponſos copulare ſinè denunciationibus tribus, vel factâ unâ pro tribus; ùt habet Sanch: Con: Rodriq: Sot: &c. Ratio eſt; quia poteſt Epikeiâ uti, & declarare, hìc ceſſare legem denunciationum; ùt inquit Laym: hìc, & alij Doctores.

QUÆSTIO IV.

De Matrimonio Coacto, Simulato, & Conditionali.

1. *Quid ſit Matrimonium Coactum?*

NOTA primò: Matrimonium propriè *Coactum* dici illud, quod celebratum eſt ob gravem metum, id eſt, cadentem etiam in conſtantem virum, injuſtè incuſſum, ad finem Matrimonij; ùt paſſim docent Doctores.

2. *Coactū Matrimonium eſt nullum, ſi metus ad finem Matrimonij incutiatur; ſecus, ſi ob alium finē.*

DICO primò: Matrimonium Coactum, ſeu concluſum ob metum gravem injuſtè incuſſum, eſt irritum, & nullum. Ita Canoniſtæ, & D. Thomas, S. Bonaventura, Richar: Palud: &c.

Probatur: Ex *cap. Cùm locum.* Item per *cap. Veniens.* Et per *cap. Conſultationi, de Sponſalibus*; ac per *c. 2. de eo, qui duxit, &c.* ubi ſignificatur Matrimonium gravi metu extortum, etſi juratum ſit, nullius eſſe roboris. Dixi in Concluſione, *ob metum gravem*; quia Matrimonium celebratum cum incuſſione metûs levis ſubſiſtit; talis enim non cenſetur libertatem contrahentis adimere, unde & in *cap. Cùm Dilectus, de his, quæ vi*: & in *L. nec timorem, ff. de eo, quod metûs cauſa*, levis timor non æſtimatur in hoc, & quovis alio contractu, etiam in profeſſione Religionis, levi metu cauſata; ùt habet Sanchez, Laym: &c. Dixi etiam *injuſtè incuſſum*; ſi enim juſtô titulô incutiatur à Judice, vel à Lege v. g. Defloratori Virginis, ut cum ea copuletur, Matrimonium validum cenſetur; uti habetur in *cap. ex Litteris, de Sponſalibus.* Dixi *ad finem Matrimonij*: quia metus, etiam gravis, incuſſus ex alia cauſa juſta, vel injuſta, non invalidat Matrimonium, etiam occaſione iſtius metûs contractum. Et eſt ratio; quia non cenſetur quis tunc ab alio compelli ad Matrimonium; ſed ipſemet eligit hoc medium ad ſe liberandum.

3. *Corollariū primū prioris doctrinæ.*

Hinc ſequitur primò: Validum eſſe Matrimonium cum Filia Judicis, celebratum à Petro, detruſo in carcerem ob deflorationem Petronillæ. Quia etſi metus carceris gravis ſit, & invalidet alios contractus incarcerati, per *L. Qui in carcere, ff. de eo, qui metûs cauſa*: quia tamen metus ille Petro non incutitur causâ extorquendi Matrimonium; ideò Matrimonium ſubſiſtit.

4. *Corollariū ſecundum.*

Sequitur ſecundò: Si Rex obſidione gravi preſſus Filiam alteri obſidenti Regi in Conjugem offerat, eô fine, ut pax ſequatur; Matrimonium habebit debitum valorem. Excipe niſi Rex obſidens ad extorquendū Matrimoniū, caſtra plantâſſet ante urbem.

Sequi-

5. *Corollariũ tertium.* Sequitur tertiò: Si Genitor deprehendat Flatum in actuali concubitu cum Filia, eumque gladiô vult transfodere; Plantus autem spontaneè offerat Matrimonium cum illa Filia violata, ut mortem evitet, validum contrahetur Matrimonium.

6. *Corollariũ quartum.* Sequitur quartò: Si quispiam mortaliter ægrotus, promittat Medico, se ducturum ejus Filiam in uxorem, si medicamentum curativum præbuerit, & re ipsâ, de præsenti contrahat Matrimonium; validè contrahit.

7. *Matrimonium initũ ob metum reverentialem, sub sistit.* DICO secundò: Matrimonium contractum cum solo metu reverentiali Patris, Matris, vel Curatoris,&c. manet validum. Ita Sanch: Con: Less: Abbas, *in caput cum virum n. 8. de Regular.* contra Navar: Rodriq: &c.

Probatur: Quia talis metus non tollit libertatem, ad Matrimonium requisitam, esto ipsam aliqualiter minuat: ergo, &c.

8. *Nisi accedant minæ, vel indignatio Patris,&c.* NOTA tamen: Hujusmodi metum etiam irritare Matrimonium, si ei sint conjunctæ minæ Patris, vel Matris, vel sævitia: Item si timeatur gravis, & diuturna indignatio Patris, vel Matris, vel alterius personæ, à qua contrahentis vita, & fortunæ pendent; ùt habet Abbas, Ledesm: Less: Sanch: &c.

9. *Preces importunæ non invalidant Matrimonium.* DICO tertiò: Solæ preces importunæ, ac sæpiùs repetitæ, non sufficiunt ad invalidandum Matrimonium. Ita Brugnoli, Layman, & alij Doctores.

Probatur: Quia hæ preces non censentur incutere metum injustum, cadentem in constantem virum: ergo, &c.

10. *Præterquã dum eis conjungitur reverentia personæ rogantis, vel mandatum.* DICO quartò: Si autem cum importunis precibus juncta sit reverentia personæ rogantis; v.g. si Princeps apud Tolliam intercedat pro Scipione, ut eum sibi in maritum assumat, vel hoc jubeat, redditur invalidum Matrimonium. Ita Sanch: Layman, Brugnoli, Lessius. Coninck. &c.

Probatur: Quia duæ hic concurrunt impulsiones, hominis Authoritas & precum importunitas; quæ libertatem adimere censentur: ergo, &c. Circa *Simulatum* Matrimonium.

11. *Simulatio animi invalidat Matrimonium.* DICO quintò: Quando intercedit ex parte unius, actu contrahentis, simulatio animi, Matrimonium est nullum. Ita Laym: Brug: Sanch. &c.

Probatur: Quia nisi adsit verus consensus, non oritur valor in Matrimonio: per *cap. Sufficiat. 27 q. 2.* Et *cap. Cùm locum, de Sponsalibus*: sed ubi est simulatio animi, non est verus consensus: ergo. &c.

12. *Simulatè contrahens committit Sacri egiũ, & injustitiam.* Et NOTA hic: Quòd taliter simulans gravis peccati, tam sacrilegij quàm injustitiæ reatum contrahat; ùt docent Theologi communiter, cùm & irreverentiam Sacramento, & injuriam alteri parti, bonâ fide contrahenti inferat: unde obligatus manet ad hoc compensandum per verum consensum in Matrimonio; ùt dicit Brugnoli, & Laym: Nisi mulier decepta à simulatore, falsò se jactasset Virginem; si enim Virgo non fuerit reperta; *Deceptio deceptione tollitur, ac mutuò compensatur.* Vel nisi ex tali Matrimonio infelices exitus succrescerent; puta rixæ inter cognatos, & uxorem, & alia scandala; vel nisi simulator esset altioris Familiæ, dummodò spe Matrimonij, copula non intercesserit. Vel tandem, nisi simulator aliud posteà Matrimonium verò consensu contraxerit; quibus omnibus casibus, secundùm Sylv: Ledes: Henriq: &c. compensatio non debet necessariò fieri per verum consensum novum in Matrimonium, cum decepta.

13. *Pars parti alleganti simulationem non tenetur credere,&c.* DICO sextò: Una pars contrahentium non tenetur alteri credere, etiam juranti, se cum simulatione animi inijsse Matrimonium. Ita Laym: Brug: &c.

Probatur: Quia juxta *L. Generaliter C. de numerata pecunia; Nimis indignum est, ut, quod suâ quisq; voce dilucidè protestatus est, id propriò valeat testimonio confirmare*; & quia præsumi debet idem fuisse in corde, quod in ore; juxta *L. Dabis ff. de suppel. leg.* ubi dicitur: *Non arbitror quemquam dicere quod non sit*: ergo non tenetur altera pars, etiam juratoriè alleganti deceptionem, & simulatum animum credere, quousque dilucida indicia suæ deceptionis exhibeat coram Judice Ecclesiastico. Circa Matrimonium *Conditionale*.

14. *Matrimonium conclusum cum conditione incompatibili, est nullum.* DICO septimò: Matrimonium conclusum cum addita conditione turpi, incompatibili cum ratione Matrimonij, seu ejus indissolubilitate; item incompatibili, cum bono prolis, & Fidei conjugalis, est nullum. Ita Doctores communiter Brug: Laym: &c.

Probatur: Ex *cap. fin. de conditionibus appos.* dicente: *Si conditiones contra substantiam Matrimonij inferantur; puta si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis evites; vel donec inveniam digniorem; aut, si pro quæstu adulterandam te tradas; Matrimonialis contractus quantumcunq; sit favorabilis, caret effectu*: ergo, &c.

15. *Conclusum tamen cum conditione compossibili subsistit,* DICO octavò: Subsistit nihilominùs Matrimonium, celebratum cum turpi conditione, compatibili cum substantia Matrimonij, vel sub conditione impossibili. Ita Less: Gutier: &c Turpis conditio compossibilis cum essentia Matrimonij foret, si contrahens dicat: *Accipio te in meam, si Matricidium commiseris*; impossibilis foret, si dicat:

dicat: *Si chymæram viceris; vel astra è cælo sustuleris.*

Probatur: Quia hujusmodi cooditiones per *cap. ult. de Condition appos.* habentur pro non adjectis; modò adhuc in contrahentibus sit verus consensus: ergo subsistit Matrimonium, cum ijs cootractum.

16. *Sicut & cũ conditione colendi perpetuò castitatem, vel ingrediendi Religionem.*

DICO nonò: Matrimonium modificatum conditione honestâ, ut neuter copulam Matrimonialem petat; sed in perpetua castitate vivat; vel uterque Religionem amplectatur, est validum. Ita communis Doctorum.

Probatur: Quia Matrimonij essentia consistit in dominio mutuo nnius in alterius corpus ad usum generationis: cum tali autem domioio consistere potest obligatio non ntendi corpore ad hunc finem; cùm nsus distingvatur à dominio: ergo, &c. Et hujusmodi Matrimonium celebrârunt Beatissima Virgo, & S. Joseph; ùt docet Paludanns, Rebell: Ledesma, &c.

17. *Validum est Matrimonium cui futuru certa conditio apponitur.*

DICO decimò: Si apponatur in Matrimonio conditio in futurum, v. g. *contraho tecum, si dies Iudicij Universalis sit futurus;* statim oritur valor in Matrimonio. Ita Perez, Sanch: Brug: Rebel: &c.

Probatur: Quia Sacræ Litteræ infallibiliter attestantur, diem Judicij uoiversalis futurum; adeoque cùm eventus ejus, per modum conditionis Matrimonio adjectus, sit infallibilis, statim debet exsurgere valor Matrimonij.

18. *Etiam conditio de præsenti, vel præterito vera convalidat Matrimonium*

DICO undecimò: Si apponantur conditiones, relatæ in præsens, vel præteritum, dicendo: *Concludo tecum Matrimonium si es persona nobilis; vel si fuisti conversa nuper ad fidem;* pariter Matrimonij valor eô ipsô inducitur; si conditiooes veritate nitantur. Ita S. Bonaventura, Laym: S. Thomas, &c.

Probatur: Per *L. Cùm ad præsens. ff. de rebus creditis.* Et accedit ratio; quia quilibet contractus ex partium contrahentium conventione voluntaria vigorem acquirit: ergo est contractus Matrimonialis Conditionalis; si conditiones veritate nitantur.

19. *Conditiones futuræ, respicientes eventũ dubiũ, suspendunt valorem Matrimonij usque ad eventũ.*

DICO duodecimò: Si conditiones appositæ ipsi contractui Matrimoniali, sint relatæ in futurum, v. g. *contraho tecum, si dotem 1000. aureorum obtinueris à Genitoribus; vel si Parentes consenserint in meum Contractum Matrimonialem;* suspenditur Matrimonij validitas, nsque ad conditionis eventum, & eâ adimpletâ statim validum censetur Matrimonium; sinè novo consensu. Ita Abbas, Layman, Navar: Conink, &c.

Probatur prima pars apertè ex *cap. Super eo.* Et est ratio; quia cooditiones hujusmodi suspenduot alium contractum, cui apponuntor; juxta *cap. De illis & L. Si istu stipulatus ff. de Verbor. Obligat:* ergo & matrimonialem.

20. *Secutò eventu, sequitur valor Matrimonij.*

Probator secuoda pars: Quia quivis contractus, celebratus cnm conditione honesta, relata in futurum, eâ adimpletâ, purificatur, ac perficitur; sicut habetur in *L. Potior. ff. Potiores in pignore:* ergo & Contractus Matrimonialis.

21. *Particularis resolutio casûs, circa Matrimonia conditionata.*

Nota denique: Si Plantus cum Petronilla, & Paulina, per verba de præsenti, sub conditione de futuro contraxisset, fit maritus illius, cujus conditio priùs adimpletur; ùt habet Brugooli. Ratio est; quia Sponsa, cujos cooditio priùs adimpletur, ceosetur esse potior jure. Si verò utriusque conditio simul adimpleatur; tunc neutrum Matrimoninm validum celebrare potest; ùt habet Sylvester, Ledesm: Conink, &c. Ratio est; quia ex *cap. Litteris, de Sponsalibus;* incertitudo vitiat Matrimonium.

DISTINCTIO XVIII. DE BONIS MATRIMONIJ.

PRÆNOTATIO.

MAtrimonium, etsi in se res licita sit; tria tamen per accidens solet incommoda adferre. Primò namque Copulam Conjugalem concedit, quæ etsi licita sit; convenientiam tamen quandam habet cum turpi fornicationis opere. Secundò; Ratio multùm obfuscatur, & absorbetur in opere conjugij, ob libidinis prædominium, & voluptatis immoderatum motum; ùt habet Aristoteles 7. Eth: c. 11. Tertiò; Speciem quandam servitutis perpetuæ inducit; quam homo à natura, libertatis amans, abhorret. Hæc incommoda, ut aliqualiter compensentur, tria bona Contractui Matrimoniali addita sunt; nimirùm Sacramentum, Fides, & Proles, ùt benè observat Scotus hìc, & S. Bonaventura 4. dist. 31. art. 1. Quæ præsenti Dist: explanabo.

QVÆSTIO I.

De Indissolubilitate Matrimonij, & Polygamia.

QVoniam bonum Sacrameoti hujus consistit in iodissolubili nexu Conjugom & Conjugij unitate, ideô de utroque hìc erit differendum. Circa primum itaque

1. *Differentia Matrimonij rati, & consummati.*

NOTA primò: Matrimonium aliud esse ratum, aliud consummatom. Ratom est; quod importat motuam solam corporum donationem per verba de præsenti; sinè copula carnali. Consummatum est, quod priori superaddit copulam carnalem actualem.

2. *Error notabilis Novatorum.*

NOTA secundò: Circa Coosummatom, gravissimè errare Lutheranos, & Calvinistas asserentes, illud posse jure humanò, multis de causis, dissolvi, v. g. ob commissum adulterium; Hæresim Conjugum, rixas frequentes, inductionem ad furtum, ob molestam cohabitatiooem, diutinam alterius absentiam in longinqua Regione. Et Bucerus in cap. 19. Matth: docet; ipsum posse dissolvi, *quacunque ex causa conjuges sibi invicem displicent.* Contra hos

3. *Consummatum est indissolubile, præterquã in 3. casibus.*

DICO primò: Matrimonium Coosummatum Jure Divioô est ita iodissolubile, ut in nullo casu, præterquam tribus infrà specificandis quoad vinculum possit dissolvi. Ita Catholici Doctores.

Probatur primò: Ex Coocilis Generalibos, statuentibus graves excommunicationes contra solveotes Matrimooia consummata: sic io Concilio Libert: Can: 4. ordinatur: *Mulier, quæ ob viri adulterium alteri nupsit, non recipiatur ad communionem, nisi post mortem prioris mariti.* Et in Canonibos Apost: *Can. 47.* sinè ulla exceptiooe, excommonicari jubetur ille, qui uxore dimissâ, aliam ducit: Tandem, novissimè Tridentinum Sess: 14. Can. 5. & 7. Conclusionem clarè definit: & Sess: 24. in principio appositè dogmatizat: *Matrimonij perpetuum, indissolubilemque nexum. primus humani generis parens Divini Spiritûs instinctu pronunciavit, cùm dicit: hoc nunc os ex ossibus meis. & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem, & adherebit uxori suæ; & erunt duo in carne una:* ergo Matrimonium Consummatum est indissolubile.

Pro-

Probatur secundò: Ex illo Apostoli 1. ad Cor: 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat.* Et, *qui Matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir uxorem non dimittat*: ergo, &c.

4. *SS. Patres adstruunt eandem Doctrinam.*

Probatur tertiò: Ex SS. PP. Aug: lib. 2. *de Adulter. Conjug.* cap. 4. *Hæc verba* (subintellige modò citata ex Epistola 1. ad Corinth: 7.) *toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plena sunt; nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit; nisi prioris esse desierit, esse autem desinit uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur: licitè itaq; dimittitur Conjunx ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterij, qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis.* Eadem verba Apostoli explanans S. Chrysost: Serm: de libello repudij, ait: *Quando igitur licebit illi secundas nuptias contrahere? tunc, ubi à catena liberata fuit, quando vir moritur solùm*: ergo, &c.

5. *Explicatur textus S. Matth. 19. Quicunque dimiserit uxorē, &c.*

Objiciunt Hæretici primò: Salvator ipse apud Matth: 19. cap. insinuat, quòd dimittens uxorem ob fornicationem, & aliam ducens, non mœchetur, & consequenter erit solubile Matrimonium: *Quicunque*, inquit, *dimiserit uxorem suam; nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, &c.* Respondeo primò: Illam particulam *nisi*, non esse exceptivam, sed præcisivam, ut sensus sit, quicunque dimiserit uxorem, non fornicariam (seu ùt habet Syrus) non adulteram (vel ut legit Græcus) non ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, Quem sensum præcisivum ponit, & amplectitur S. Augustinus cit: & alij dicentes; Christum non voluisse, quòd ob fornicationem solvere quis possit vinculum, sed quòd ex nulla causa id liceat, præscindens, an ob fornicationem, id liceat; an non: idq; quia Pharisæi, quibus respondebat, non erant hujus veritatis capaces, Respondeo secundò: glossando allatam scripturam, ut sit sensus, quicunque dimiserit uxorem suam, quod non licet etiam quoad cohabitationem & torum, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, quacunque videlicet de causa, mœchatur.

6. *Elucidatur cap. Proposuisti. Et cap. Si qua mulier.*

Objiciunt secundò diversa capita Juris Canonici: *cap. Proposuisti*; ubi datur facultas viro, incontinentiam patienti, ducendi aliam, si ei prior uxor non possit reddere debitum. Et *cap. Si qua Mulier. 31. q. 1.* ubi dicitur: *Potest ipsam uxorem* (scilicet sibi mortem machinantem) *dimittere, & si voluerit, aliam ducere*: ergo, &c. Respondeo: Primū cap. Iuris loqui de Muliere tantùm desponsata; vel si loquatur de nupta; intelligendum est, de habente impotentiam, dirimentem Matrimonium. Secundum caput corruptè adducitur: unde sic legitur in emendatis Exemplaribus: *Potest ipse post mortem uxoris, si voluerit, aliam ducere*; quod è contra ibidem non conceditur mulieri, in pœnam criminis, seu machinationis mortis.

7. *Tres casus speciales, in quibus dissolvi potest Matrimonium consummatū.*

NOTA nunc tres partiales casus, in quibus tantùm Matrimonium, etiam consummatum, dissolvitur. *Primus* est; si moriatur alter conjunx, & hunc exprimunt Concilium Libert: Apostolus citatus 1. ad Cor: 7. Patres, & Theologi omnes. *Secundus*; est casus conversionis unius Conjugis ad fidem, altero remanente in infidelitate, & nolente ullò modò converti, quò casu, ùt dixi: præcedenti qu. 3. docui, post certum tempus conjunx conversus potest celebrare licitè Matrimonium novum, dissolutò priori, etiam consummatò: circa quod tamen consulatur Papa. *Tertius*; erat in Veteri Lege, in qua referente Deuter: cap. 24. concessit DEUS Judæis libellum repudij, in certis casibus; quo secundùm DD. passim, & probabiliter Scotum, in 4. d. 33. dissolvebatur priùs Matrimonium, etiam quoad vinculum: etsi reclament aliqui Interpretes, & Theologi dicentes, per repudium non fuisse solutum Matrimonium quoad vinculum, neque unquam repudium licuisse; sed fuisse tantùm à DEO permissum, ob duritiem cordis Judæorum, tanquam minùs malum, ad evitanda majora mala. Prima tamen doctrina est receptior, & verior.

8. *Ratum Matrimonium est dissolubile per Religiosā Professionem.*

DICO secundò: Matrimonium tamen ratum est dissolubile per solemnem Religiosam Professionem unius Conjugis, & per Pontificiam dispensationem. Prima pars est communis Theologorum apud Scotum, Covar: Sanch: Pontium, &c. Secunda est Navar: S. Antonini, Reginaldi, Conink, Bellarmin: contra Herincx, & alios AA.

Probatur prima pars: Quia ita definit Tridentinum Sess: 24. Can: 6. Idem deciditur sub Alexandro III. *cap. Verum*. & *cap. ex publico in Extravag:* Joannis XXII. quæ incipit *Antiqua*: ergo, &c. Secùs est, si tantùm voveatur continentia in sæculo, etiam in manibus Episcopi; ùt patet ex *cap. Ex parte*. Aut si alter Conjunx suscipiat tantùm Ordinem Sacrum; ùt declarat idem Joannes XXII. *Extrav. cit:*

9. *Ante bima-*

Notant ex his DD. quòd quivis Conjugum post quodcunque etiam longum temporis

sive nullus Conjugum tenetur consummare Matrimonium.

poris intervallum, quô tamen Matrimonium non consummat, possit ingredi Religionem; quod secundùm *cap. ex publico,* non tenentur consummare per redditionem debiti, intra bimestre. Hôc tempore si conjuox meditans Religionis ingressum, vi opprimatur ad consummandum Matrimonium; non quidem solvitur Matrimonium per Professionem, potest tamen ingredi Religionem. Ratio est; quia per alterius injuriam, non debet spoliari suo jure: & alter debet sibi imputare; quòd tunc debeat in cœlibatu permanere.

10. *Casu quo autem una pars vi adigeretur ad consummationem ejus, potest adhuc intrare Religionem, etsi Matrimonium non solvatur.*

Probatur secunda pars: Quia legimus Summos Pontifices quandoque ob bonum aliquod insigne Ecclesiæ, vel ad tollenda scandala; dispensasse in similibus Matrimonijs ratis; sic fecit Paulus III. Martinus V. Adrianus IV. & Pius IV. teste D. Antonino 3. parte tit. 1. §. 3. & docet Navar: Sanch: Gutier: Con: Reginald: Rebellus, &c. Ratio petitur ex suprema facultate, quam habet Summus Pontifex ad faciendum ea, quæ sunt necessaria bono Regiminis Ecclesiæ. Et quia Pontifex potest dispensare in voto solemni Religionis, quod majus est; & defactò dispensatum fuit cum Nicolao Monacho Rege Arragoniæ; cum Constantia moniali Filia Rogeri Regis Siciliæ: ergo à fortiori in Matrimonio rato.

Circa *Polygamiam* Nota; eam esse pluralitatem uxorum, vel maritorum simul, vel successivè.

11. *Polygamia successivè non est prohibita.*

DICO tertiò: Polygamia plurium uxorum, vel maritorum successivè post mortem prioris Conjugis, non est prohibita, sed licita. Ita Catholici, contra Montanum, & Cathaphryges, appellantes secundas nuptias fornicationem.

Probatur: Ex D. Paulo ad Rom: 7. & 1. ad Cor: 7. *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat*: ergo, &c. Accedit communis Ecclesiæ consensus, tolerans secundas nuptias: Et Doctrina S. Augustini *lib. de Bono Viduit: c. 12.*

12. *Benè tamen simul apud Christianos.*

DICO quartò: Polygamia plurium uxorum, vel maritorum simul, est omnibus Christianis Jure Divinô prohibita. Est communis Canonistarum, & TT.

Probatur: Quia ita definit Tridentinum Sess: 24. Can: 2. & deducitur ex illo Matth: 19. *Quicunq; dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, mœchatur*: & ex Gen: 2. *Quamobrē relinquet homo Patrem suum & Matrem & adhærebit uxori suæ. & erunt duo in carne una*: uxori dixit, & non uxoribus: ergo, &c.

Probatur Ratione: Quia unitas uxoris magis congruit educationi prolis; sinceriori inter Conjuges affectui, & ut evitentur rixæ, ac discordiæ domesticæ. Unitas etiam virorum magis prodest generationi prolis, aliisquè bonis Matrimonialibus: ergo rationabiliter est Christianis prohibita.

13. *Pluralitas uxorum simul olim fuit concessa.*

Concessit nihilominùs DEUS in Lege Veteri Polygamiam, quoad uxores plures simul; sicut refert Vetus Testamentum de Abraham, Joseph, Davide, &c. & hoc permisit DEUS, ut electus populus, & DEUM verum confitens, numerò paucus, copiosiùs multiplicaretur post diluvium; maximè quando homines ampliùs non attingebant tam longam annorum seriem.

QUÆSTIO II.

De Debito Conjugali.

Alterum bonum Matrimonij est Fides, ad quam Conjugale Debitum pertinet & quidem sub mortali peccato regulariter. Ita Navar: Richardus, Bonac: S. Thomas, S. Anton: & communis Theologorum.

1. *Est obligatio reddendi Debitum Conjugale.*

Probatur prima pars: Ex Apostolo 1. ad Corinth: 7. *Uxori vir debitum reddat; Similiter autem & uxor viro.* Et infrà *Mulier sui corporis potestatem non habet; sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet; sed mulier*: ergo, &c.

2. *Et quidem sub mortali.*

Probatur secunda pars: Hæc obligatio est circa rem gravem, & debitam ex justitia ac virtute contractûs Matrimonialis: ergo est sub mortali.

3. *Exceptiones à priori asserto.*

Circa hanc Conclusionis partem Nota sequentes modificationes. *Primò*; si Conjunx non petat animô seriô; sed frigidè, benevolè, & amicè, non intendens alterum obligare ad reddendum debitum; denegans non peccat mortaliter. *Secundò*; si deneget petenti frequentiùs, quàm par sit; nisi immineat periculum incontinentiæ petenti, vel morbus ex non redditione; ùt habet Scotus Rodriq: Sanch: &c. *Tertiò*; si deneget petenti Debitum in loco sacro, exceptò casu, quô Conjuges diu in Ecclesia reclusi manerent; ùt habet Sylv: Less: &c.

4. *Pars innocens potest parti adultera denegare Debitum Conjugale.*

DICO secundò: Liberatur ab obligatione reddendi debitum unus Conjunx, si alter sit adulteratus. Ita communis Doctorum.

Probatur: Quia alter amisit Jus petendi debitum, frangendo fidem tori: ergo, &c. Si verò uterque Conjugum adulteratus sit; tunc paria crimina, pari vindictâ sunt punienda; & mutuà compensatione delenda, adeoque una pars non absolvitur ab obligatione reddendi Debitum alteri.

DICO

5. *Primo bimestri licitò negatur debitum conjugale.*

DICO tertiò: Nulla est obligatio reddendi Debitum Conjugale in Matrimonio rato, primis duobus Mensibus; à celebrato Matrimonio. Ita Canonistæ, & Theologi.

Probatur: Quia ita in favorem Conjugum, volentium iogredi Religiooem intra hoc tempus statuit Jus Caoonicum *cap. ex publico, de Convers Conjug.* ergo, &c.

6. *Similiter si per ejus redditionem procuraretur reddenti grave damnum corporale.*

DICO quartò: Quando unus Conjugum timet ex redditione debiti grave dispendium salutis corporalis, non tenetur reddere. Ita Scotus, Sà, Abbas, Ledesm: Soto, Cajet: &c.

Probatur: Quia dum celebrator contractus Matrimonij, censetur subintellecta conditio, de tradeodo quidem usu corporum, salvà tamen eorum indemnitate, & incolumitate, quorum Dominiom immediatum, & altum, habet solus Creator: ergo, &c. Uode secundùm cit: DD. excusatur à redditione debiti conjunx, febri hecticà laboraos; passa sectionem venæ, rediens modò è balneis; item si alter coojunx fiat leprosus, vel in partu moreretur probabiliter, de Medicorum judicio, &c.

7. *Item tempore furoris, ebrietatis, &c.*

DICO quintò: Non peccat Conjunx, deoegans Debitum tempore furoris alteris; ebrietatis, amentiæ, vel menstruorum, Ita Sylv: Reg: Nav: Veracrux, Brug: &c.

Probatur: Quia alter Conjunx non petit rationabiliter, & humanô modô usum corporis: ergo, &c.

8. *Item si timeatur abortus prolis conceptæ.*

DICO sextò: Gravida uxor non tenetur, imò nec potest licitè reddere debitum, si ex usu copulæ, morale periculum abortûs timeatur. Ita Conink, Sanch: Laym: &c.

Probatur: Quia conservatio individui humani jam concepti, magìs obligat, quàm Debitum Conjugale; ut de se patet: ergo, &c.

9. *An autem lactans licitò possit denegare?*

Nota: Si uxor prolem lactet; tenetur viro petenti debitum reddere. Ita Brugnoli, Bonacin: &c. DD. Ratio est; quia alioquin Matrimonium esset jugum, viro durissimum, si per decursum integri anni, quô lactatur proles, ab usu Conjugij deberet abstinere. Si tamen lactans advertat, ex copula notabiliter deteriorari lac cum detrimento gravi prolis, vel quòd exsiccentur ubera, excusatur à redditione debiti. Ita Sanch: Ledesma, &c.

10. *Petenti illicitè potest reddi debitum.*

DICO septimò: Quando conjunx petit illicitè debitum, puta postquam emiserat votum castitatis, vel quando petit animò fornicariô, vel alio pravo fine, alter potest, imò tenetur, reddere. Ita Bonacin: Brug: &c.

Probatur: Quia reddens non cooperatur peccato, cùm exerceat actum suapte naturà licitum conjugatis: & petens non amisit jus simpliciter suum; etsi cum peccato jus suum prætendat: ergo, &c.

11. *Petenti injustè non tenetur alter reddere.*

DICO octavò: Si autem unus Conjugum Conjugale Debitum petat illicitè, & injustè simul; puta si vir jus petendi amiserit per habitam copulam incestuosam cum consanguinea uxoris in primo, vel secundo gradu, liberatur uxor à redditione Debiti, posset tamen licitè illud reddere. Ita Victoria, Ledesma, Sylv: Laym: &c.

Probatur prima pars: Per *cap. Tua Fraternitatis, de eo, qui cognovit consanguineam.* Et per *cap. Transmissa.*

12. *Etsi possit reddere licitè.*

Probatur secunda pars: Quia pars innocens non amisit jus petendi: ergo nec facultatem reddendi Debitum Matrimoniale, si voluerit.

13. *Solus incestus formalis privat jure petendi debitum.*

Nota autem: Non perdi jus petendi copulam, per incestum quemcunque; sed per peccamioosom formaliter: unde si committens copulam cum consaoguinea, ignoret eam consanguineam uxoris esse; vel si violenter cum ea concombere debuit, non spoliatur ille jure petendi copulam com uxore; uti colligitur ex *cap. 1. De eo, qui cognovit, &c.* tit. cit. & *cap. Discretionem.* eodem tit:

14. *Ad evitandam nimiâ prolem, potest quandoque denegari Debitum Conjugale.*

DICO nonò: Cessante periculô incontinentiæ viri, non peccat pauper uxor, negans marito debitum, ob causam non multiplicandi prolem, quam sustentare difficilè possont Genitores. Ita Sà, Rodriq: Laym: Soto, Ledesm: Sanch: &c.

Probator: In alijs debitis excusat magna solvendi incommoditas, & difficultas: ergo & in hoc. Unde etiam sustioet, ùt probabile, Navarrus, Anton: Palud: Laym: &c. posse licitè, & validè pacisci ipsos Conjuges, de servanda cootinentia, ob hanc solam causam, ne plures soboles suscipiantur.

15. *Cognitô impedimentô dirimente nequit reddi debitum.*

DICO decimò: Conjunx sciens certò adesse impedimentum dirimens, non potest reddere Debitum. Ita Conink, Gutier: & commuois.

Probatur: Ex *cap. Inquisitioni.* Et est ratio; quia copulari cum non Conjuge, est fornicari; quod prohibitum est: si autem adsit impedimentum dirimens, illi putati Conjuges, sunt non Conjuges: ergo, &c.

16. *Stante dubiô ex parte unius de valore Matrimonij, pars altera non tenetur reddere Debitum; potest tamen.*

DICO undecimò: Si unus Conjugum habeat dubium positivum de valore Matrimonij, alter non tenetur ei reddere debitum: potest tamen reddere. Ita Gutier: Sanch: Brug: &c.

Probatur: Alter non habet Jus ampliùs petendi Debitum, per *cap. Dominus SS. de Secundis Nuptijs*; ergo hic non tenetur red-

reddere. Reddere tamen potest; quia nòn dubitans needum amisit jus suum; sed est in ejus possessione: ergo, &c. Hæc de causis excusantibus à redditione Debiti. Nunc breviter ad duam causas impedientes petitionem Debiti. Unde

17. *Quaenam impediant licitam petitionem Debiti?*

DICO primò: Formalis incestus, votum continentiæ; dubium reale de valore Matrimonij contracti, impedimentum dirimens, periculum conceptæ jam proli inferendum, impediunt licitam Debiti Conjugalis petitionem. Ita Doctores passim Gutier: Sanch: Navar: Layman, Brug: Coninck, &c.

Probatur *de incestu*: Quia ita resolv ic. *cap. Quidam, de Conversatione Conjugatorum.* De *Dubio reali valdi Matrimonij*, resolvit *cap. Dominus. De impedimento dirimente; cap. Inquisitioni. De periculo inferendo proli concepte*; suadet ratio majoris boni; quæ est in uno individuo humano conservando, & non occidendo, quàm in petitione debiti: ergo, &c.

18. *Conjunx nimiis jejuniis, &c se inhabilitans ad usum Matrimonialem, peccat.*

NOTA: Si unus Conjugum subeat immoderata jejunia, vigilias, vel labores, quibus notabiliter debilitatur ad satisfaciendum alteri, peccat etiam mortaliter contra justitiam; ùt habet S. Anton: Sanch: Layman, Sylv: &c. secùs, si moderatè jejunet, vigilet, vel laboret. Pariter si vir frequenter se pollnat, & impotentem efficiat ad reddendum Debitum Conjugale, peccat contra justitiam graviter, & tenetur hanc circumstantiàm in Confessione explicare; ùt benè notat Sanch: & alij.

19. *Specialis doctrina circa redditionem licitam Debiti.*

Quæres quomodò cognosci possit, quando licitè possit reddi Debitum, dum illicitè petitur? Respondeo *primò*; quando ratio illiciti, seu culpa connexa cum petitione provenit ex circumstantia, tenente se ex parte solius petentis, licitum est reddere Debitum petenti illicitè; v. g. viro incestuoso, vel voto obstricto. *Secundò*: si culpa conjuncta cum petitione Debiti oriatur ex circumstantia, tenente se ex parte actûs Conjugalis, ordinariè non est licita, v. g. si petatur copula in loco sacro, cum periculo abortûs, &c. Dixi *ordinariè*; quia aliquando necessitas concedit esse licitum.

QVÆSTIO III.

De Mutua Conjugum cohabitatione, Fide Tori, & Bono Prolis.

1. *Conjuges mutuo cohabitare debent.*

Spectat pariter ad Bonum Fidei Matrimonialis mutua Conjugum cohabitatio. Circa quam

DICO primò: Conjuges debent sibi mutuò cohabitare. Ita communis

Probatur & deducitur *primò*: Ex illo Gen: 2. *Relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ. Secundò*; ex Matth: 5. cap. *Tertiò*; quia per *cap. Litteras, de Restitutione Spoliat:* Judex Ecclesiasticus potest compellere ad hujusmodi cohabitationem. *Quartò* tandem; quia hoc suadet proles suscipienda, & debitè educanda, mutua obsequia in re familiari præstanda, & ne detur occasio diversis adulterijs: ergo debent Conjuges sibi cohabitare.

2. *Mulieri cohabitanti tenetur vir dare alimenta, non verò discedenti.*

NOTA primò: Quamdiu uxor cohabitat viro, tenetur eam unà cum familia alere; nam ob hanc causam dotem ab ea percipit *L. Dotis fructus, ff. de Iure Dotium.* Quòd si discessisset mulier à viro sinè rationabili causa, alimenta ei denegare potest; si verò ob causam sævitiæ viri discessisset; adhuc eam alere obligatur, per *L. Si ea, C. de Condit. insertis.*

3. *Ob justam causam mulier potest discedere à viro.*

DICO secundò: Uxor non tenetur cohabitare viro, quando subesset justa, & sufficiens causa discedendi ab eo. Ita communis Canonistarum.

Probatur: Quia in contractu Matrimonij subintellecta fuit hæc tacita conditio: cohabitabo, nisi justa de causa compulsa fuero instituere sequestrationem.

4. *Enumerantur justæ causæ discedendi à viro.*

Justæ porrò, & sufficientes causæ discedendi, secundùm Navar: Sà, Brug: &c. erunt: si ex cohabitatione oriatur grave damnum animæ, vel corporis, puta, si maritus dissipet bona, & maximè dotem debitam uxori, quando ejicitur in exilium ob delicta enormia, & petit uxorem secum, ut eam bonis privet, si maritus habeat proles, quas alere nequit, nec volt: si timeat contractionem lepræ: si fecerit conventionem ab initio cum marito, de non transferendo se in alium locum: si maritus sit sævus, &c.

5. *Mulier tenetur vagū maritum sequi, si scienter cū eo contraxerit.*

DICO tertiò: Mulier est obligata sequi maritum, qui tempore celebrati Matrimonij erat vagus, & hoc scivit mulier. Ita Brug: &c.

Probatur: Quia mulier censetur se voluisse obligare ad hujusmodi onus, modò vir

vir non vagetur ex turpi cauſa: aut niſi fœmina ignoràſſet eum eſſe vagabundum.

6. *Quid ſit fides Tori? & in dubio de morte mariti qualiter procedendum?*

Nota ſecundò *circa fidem Tori*; eam in hoc conſiſtere, quòd conjunx cum alio carnaliter concumbere nequeat, vivente vero Conjuge. Si verò nnus dubitet de vita alterius, reſpondet in hunc modum Clemens III. *cap. in præſentia, de Sponſalibus*; de fœminis, volentibns nnbere elapsò ſeptenniò abſentiæ virorum, in captivitate, vel peregrinatione: *Ne permittas eas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum*: qnod ordinavit Pontifex, ne deficiente morali certitudine celebretur ſecundum Matrimoninm invalidè, & fornicariè conſummetur. Sed

7. *Vnus teſtis de morte mariti non ſufficit, niſi accedant alia credendi adminicula.*

Qoæres: Num certitudo moralis de obitu Coningis v.g. viri, ex qoa naſcitnr facultas ad tranſitum ſecundarum nuptiarum inſtituendarum, habeatur ſufficieuter per unius teſtis jurati depoſitionem? Reſpondeo Negativè: niſi com teſtimonio hnjuſmodi concurrant aliæ conjecturæ, & adminicula credendi, puta ſi vir multis aonis abſens fuerit & in ſatalibos prælijs confixerit, ſi oculatus teſtis eum interſectum atteſtetur, aut ſpecialia de ſepultura deponat, ſi volet conſtans fama de ejus morte, ſi fuerit provectæ ætatis, ſimileſquè præſumptiones rationabiles de obitu ejos accedant. Ratio primi eſt; quia *unus teſtis ſolus*, ſecundùm Jura, *nullus cenſetur teſtis*; unde cùm hìc agatur de præjudicio tertij, puta mariti abſentis, ad ejus depoſitionem ſolam Jodex Eccleſiaſticus moralem certitudinem ſufficientem ad cooeedendas ſecundas nnptias habere nequit. Ratio ſecundi eſt; quia hnjuſmodi adminicula credendi, & præſumptiones complent certitudinem moralem, ſicuti colligitur ex *cap. Quoniam §. Porro*, dicente: *Si autem de carnali Conjugio ſit agendum, tamdiu alteruter Conjugum expectetur, donec de ipſius obitu veriſimiliter præſumatur.* Conſentit huic Doctrinæ Gutier: Sylv: Sanch: Rodriq: &c.

8. *Principalis finis actus Matrimonialis eſt procreatio prolis.*

Nota tertiò *circa Bonum Prolis*: Etſi præcipuns finis actns Conjugalis ſit, procreare prolem, qui nonquam à Conjugibos debet exclodi, ſed implicitè ſaltèm, vel virtnaliter intendi, tamen ob alios fines etiam licitus eſt actus Conjogalis. Unde

9. *Poteſt tamẽ etiam exerceri ob vitandam incontinentiã.*

DICO qoartò: Ob vitandam incontinentiam in Conjuge, & ſe ipſo, licitè exercetur actus Conjngalis. Ita S. Bonaventura, S. Thomas, & communis Theologorum.

Probatur; Ex Apoſtolo 1. ad Corinth: 7. *Propter fornicationem* (ſubintellige vitandam) *unusquisque ſuam uxorem habeat.* Et iterum; *Revertimini in idipſum, ne tentet vos Sathanas, propter incontinentiam veſtram*: ergo, &c.

10. *Ob ſanitatẽ ſolum, involvit veniale peccatum.*

DICO qointò: Ob finem ſolius ſanitatis corporalis, vel voluptatem capiendam, actum conjugalem exercere, venialis culpa eſt. Ita S. Thom: Ledeſm: Henriq: Veracrux, &c.

Probatur prima pars: Quia communis eſt Doctorum doctrina, actum hujuſmodi carnalem non vacare omni culpâ, & difformitate, niſi cohoneſtetur obligatione reddendi debiti, Bonô prolis, vel fine ſervandæ continentiæ: ergo, &c.

11. *Sicut & ob delectationem.*

Probatur ſecunda pars: Ex S. Aug: *lib. de Bono Conjugij c. 6.* dicente: *Conjugalis concubitus generandi causâ non habet culpam, concupiſcentia verò ſatiandæ, tamen cum Conjuge, venialem.* Et ratio accedit; qnia nunquam bonum delectabile, quod naturæ ſenſitivæ eſt congruum, ſed bonum honeſtum, quod naturæ rationali coosonum eſt, humanarum actionum finis eſſe debet: ergo, &c.

QVÆSTIO IV.

De Divortio.

1. *Definitio Divortij.*

DICO primò: Benè deſcribitur Divortium; quòd *ſit legitima mariti, & uxoris ſeparatio.* Eſt communis in re.

Probatur: Quia convenit omni, & ſoli, habetquè reliquas conditiones probæ definitionis; ergo, &c.

2. *Aliud eſt Divortium quoad Torũ, aliud quoad vinculum.*

Nota autem primò: Hanc ſeparationem poſſe fieri duplici modò. *Primò*: quoad vinculnm, de quo inſpiciendi ſunt, *Tit. ff. & C. de Divortijs.* Secundò: quoad torum tantùm, & cohabitationem: & de hoc ſecundo modo potiſſimè hæc quæſtio procedit.

3. *Divortium tori inſtitui poteſt mutuò Conjugum conſenſu ex cauſa honeſta.*

DICO ſecundò: Divortium ſecundô modô acceptum inſtitni poteſt mntuô Conſenſu Conjugum, ob cauſam honeſtam, & ſanctam.

Probator: Ex S. Auguſtino, *Epiſt. 199. ad Ecditiam*: ex S. Gregorio, Hilario, & alijs Patribus, qni paſſim laudant ſeparationem Conjugum, factam mutuò conſenſu ob continentiam, quam DEO voverant. Imò ipſemet Chriſtus Matth: 19. eam recommendat dicens: *Omnis, qui reliquerit Fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Vxorem, &c.* Et Apoſtoli uxorati ſeparàrunt ſe ab uxoribus, ſequentes Chriſtum; ùt expreſsè docet D. Hieronymos Epiſt: 50. *Ad Pamachium*; Et lib. 1. *Adverſus Iovinianum*: ergo, &c.

4. *Adducuntur*

Nota itaque ſecundò: Cauſas honeſtas

tur causa honesta instituendi Divortiũ Tori.

ftas & sufficientes pro instituendo Divortio mutuò consensu, posse esse: si perpetuam continentiam nterque Conjugum colere velit; ùt habet *cap. de Syracusanæ d.28.* Item si unus suscipiat Ordinem sacrum, & alter ingrediatur Religionem, vel votum de colenda pariter continentia emittat. Ita Concilium Agathense *cap. 16.* Et *cap. Conjugatus.* Item si uterque Religionem velit intrare; juxta *cap. de Conversf. Conjugat.*

5. Adulteriũ est causa sufficiens instituendi Divortium tori.

DICO quartò: Etiam institui potest tam à viro, quàm à Fœmina Divortium à toro, & cohabitatione, ob commissum adulterium alterius Conjugis. Ita Brug: Laym: & communis DD.

Probatur: Ex *cap. Gaudemus; de Divortijs*: Et alijs pluribus capitibus Juris Canonici. Et est ratio; quia fides Matrimonialis data plenè frangitur per commixtionem carnalem alterius Conjugis cum aliena persona: frangenti verò fidem, fides servanda non est, *L. Si cùm venerit. ff. pro socio*: ergo, &c.

6. Quid sub nomine adulterij, & mœchiæ à DD. comprehendatur.

Nomine autem adulterij *Fornicationis*, ac *Mœchiæ*, ob quam innocenti Jus Divortij competit, intelligitur omnis concubitus consummatus cum altero supposito; qualis est sodomia, bestialitas, &c. ùt notat Abbas, Sanch: &c. omnes enim similes concubitus sunt contra pactum Matrimonij expressum Gen: 2. *Erunt duo in carne una.* Dixi *concubitus consummatus*; quia incompleti, & inconsummati, puta si fuerit sine seminis emissione, non sunt sufficiens causa Divortij, & multò minùs tactus impudici, vel mollities, vel desiderium committendi bestialitatem, vel adulterium. Ita Molina, Con: &c.

7. Sodomia cũ Conjuge nõ est sufficiens causa Divortij.

DICO quartò: Quando committitur peccatum Sodomiæ cum propria conjuge, non est causa Divortij. Ita Brug: &c. DD. Probatur: Quia caro Conjugum non dividitur: ergo, &c. Potest tamen uxor, sollicitata à viro ad sodomiam, discedere ad tempus, donec vir resipiscat, propter animæ suæ periculum. An verò in foro externo credendum sit mulieri, asserenti se à viro tentatam fuisse de nefando hoc vitio, dissensio est inter Doctores: eligatur pars affirmativa, vel negativa.

8. Innocens Conjunx certa de adulterio alterius, propriâ authoritate Divortium tori facere potest.

NOTA tertiò: Quamprimùm innocens conjunx certitudinem saltem moralem acquirit, de alterius adulterio, jus habet se separandi, etiam propria authoritate, quoad torum, & debiti redditionem, alimenta, item, & dotem, negare potest: Non tamen potest se separare quoad cohabitationem; quia talis in publicam venit notitiam, & parit scandalum, unde Ecclesiæ judicio opus est. Ita Abbas, Armilla, Sà, Conink, &c. Excipe, nisi adulterium esset publicum totaliter.

9. Maritus sciens certò adulterium uxoris, etsi id probare nequeat, potest diuturnas peregrinationes suscipere, animo non revertendi.

NOTA quartò: Maritus certus de adulterio fœminæ, quod tamen in foro Ecclesiæ probare non potest, potest discedere ad longam peregrinationem, sinè animo redeundi. Ita Sotus, Henriq: &c. si verò in causa non notoria à marito sit repulsa uxor, Judex Ecclesiasticus ante omnia eam in pristinum statum debet reponere, & posteà causam Divortij cognoscere. Habetur *cap. in conquestione, de restitut: spoliatorum.*

10. Imò Religionem intrare, & Ordines suscipere.

NOTA quintò: Cognitò Divortiò, innocens non tantùm discedere potest ab altero, sed etiam assumpto statu Religionis, vel Ordinis Sacri in perpetuum se obligare ad continentiam, quo casu etiam alter conjunx nocens potest assumere Religionem, si verò innocens non mutet statum, nocens, etiam factò, jam Divortiò per Ecclesiæ judicium, non potest fieri Religiosus; ùt habet Anton: Sylv: &c. Ratio est; quia sententia Divortij, nil incommodi innocenti afferre debet, quo minùs Conjugem adulterum sibi possit reconciliare. Si tamen innocens conjunx aliquoties moneatur, ut adulterum Conjugem recipiat, eò quòd jam sit emendatus, id facere nolit, potest adulter Religionem ingredi; ùt habetur *cap. Gaudemus*; imò & ad Sacros Ordines promoveri; ùt habet Sanch: &c.

11. Ob commissum materiale peccatum adulterij, innocens nequit instituere Divortium.

NOTA sextò: Quando fœmina passa est vim, vel bonâ fide alium accessit, putans esse proprium maritum, aut suum esse jam defunctum, maritus non habet sufficientem causam Divortij. Ratio est; quia hic non est fornicatio formalis. Ita S. Bonavent: S. August: & Doctores communiter.

12. Si uterque commisissent adulterium nequeunt se separare à Toro.

NOTA septimò: Si alter conjunx ejusdem criminis particeps sit, expressè, vel tacitè consentiendo, vel & ipse est fornicatus, non potest instituere Divortium. Habetur *cap. Significâsti, de Divortijs.* Et docet S. Augustinus, cum alijs Doctoribus.

13. Ob lapsum in hæresim potest fieri Divortiũ.

DICO quintò: Etiam lapsus inhæresim, est sufficiens causa Divortij petendi à Judice. Est communis Doctorum.

Probatur: Quia ita habetur *cap. Idololatria*; & alibi. Et ratio est; quia si cohabitare deberet hæretico, esset morale periculum subversionis sui & liberorum, in quod nemo se conjicere potest: ergo, &c.

14. Ob imminens certum periculum animæ alter potest instituere Divortium.

NOTA octavò: Quòd si conjunx sinè gravi animæ periculo cohabitare non possit, ob sodomiticum concubitum, vel lenocinium, vel latrocinium, vel veneficia mariti, potest etiam instituere Divortium; ùt habet Con: Sanch: Laym: Item si sinè gravi

gravi periculo corporis cohabitare non poſſit, v. g. propter inſidias alterius Conjugis, vel ſævitiam magnam, morum aſperitatem, crebram ebrietatem uxori nocivam, & ſimilia, ùt habent Canoniſtæ.

15. *Facto Divortio cui*

Nota tandem: Si Mater v. g. divortio cauſam dederit, Matris expenſis proles erit alenda; ùt habet Sylveſter, & alij: & proles penes Patrem remanere debet, vel è contra, excipe, niſi alter conjunx innocens v. g. Pater eſſet infidelis, tunc enim in favorem fidei tradenda eſſet Matri nocenti, vel ſi Mater eſſet notabiliter locupletior, & aptior, Pater verò non idoneus ad educandam.

ſunt proles relinquendæ?

DISTINCTIO ULTIMA.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIJ.

PRÆFATIO.

HÆc eſt ultima hujus vaſti Tractatûs Moralis de Sacramentis Diſtinctio, in qua juxta S. Eccleſiæ limam examinabo Matrimonij impedimenta. Eſt autem Impedimentum Matrimonij generali ſuâ acceptione Obex quidam Matrimonij, ritè contrahendi. Et diſcriminatur in Dirimens, & Impediens. *Dirimens* impedimentum eſt, quod non tantùm illicitum, ſed & irritum facit Matrimonium tam contractum, quàm contrahendum. *Impediens* tantùm eſt, quod quidem illicitum reddit Matrimonium contrahendum, contractum tamen non invalidat. Numerum, ac Naturam utriusque, ſequentibus explanabo.

QVÆSTIO I.

Quis poſſit ſtatuere Impedimenta Matrimonij? quot de facto ſint ſtatuta? & qualiter irretiti Impedimentis ſe gerere debeant?

1. *Eccleſia habet poteſtatem ſtatuendi Impedimenta Matrimonij.*

DICO primò: In Eccleſia Catholica eſt poteſtas ſtatuendi quædam impedimenta Matrimonij, tam dirimentia, quàm impedientia tantùm. Ita Catholici, contra Hæreticos.

Probatur: Quia ita definit S. Tridentina Synodus Seſſ: 24. can: 3. & 4. patetquè ex vetuſta Eccleſiæ praxi, in diverſis Concilijs, & Canonibus determinante quædam Matrimonij impedimenta. Et ratio ſvadet; quia ſi Principes ſæculares, & Reſpublica, certis contractibus Civilibus poſſunt licitè apponere quaſdam conditiones, ob bonum commune, cur pariter Eccleſia non haberet poteſtatem apponendi Contractui Matrimoniali certas conditiones, & Impedimenta, eum deſtruentia, aut impedientia, ob conſiderabilem Fidelium utilitatem? Cui Chriſtus reliquit omnem Authoritatem, prudenter, & utiliter ſtatuendi ea, quæ ſaluti Fidelium expedire judicârit: ergo, &c.

2. *Concilia Generalia, & Sum: Ponti-*

DICO ſecundò: Concilia Generalia, Summus Pontifex, & probabiliter etiam Epiſcopi in ſua Diœceſi, poſſunt introducere

fices poſſunt ſtatuere Impedimenta Matrimonij.

cere Impedimenta Matrimonij. Ita communis Theologorum, quoad primam, & ſecundam partem, quoad tertiam, eſt Bonacin: Covar: Aver: Maſtrij, Sanch: &c. contra Suar: Con: &c.

Probatur prima, & ſecunda pars: Quia in praxi hactenus obſervatum eſt, diverſa Generalia Concilia, & Summos Pontifices, utpote capita Eccleſiæ, appoſuiſſe Matrimonijs ea impedimenta, quæ hodie extant: ergo, &c. Et ratio ſvadet; quia in omni Repoblica benè inſtituta (qualis eſt Eccleſia Catholica) Supremi Magiſtratus, & Summi Principes poſſunt abuſus Contractuum Civilium tollere; & conditiones rectas eis apponere: ergo & Concilia Generalia ac Pontifices contractui Matrimoniali, cùm ſint Supremi Magiſtratus, & Summi Principes Eccleſiæ.

3. *Imò & Epiſcopi in ſuis Diœceſibus.*

Probatur tertia pars: Epiſcopus vi Officij ſui eſt perfectè Paſtor, & Princeps in ſua Diœceſi: ergo plenam habet poteſtatem condendi leges in ſua Diœceſi pro ſuis ovibus, & ſubditis, & conſequenter ſtatuendi Impedimenta Matrimonij, ſi ſic requirat ſalus ſubditorum.

4. *Epiſcoporũ poteſtas eſt Iuris Divini.*

DICES: Epiſcopum accipere poteſtatem condendi leges à Papa, qui ſibi ùt Supremo capiti Eccleſiæ reſervat authoritatem ſtatuendi Impedimenta Matrimonij: ergo, &c. Reſpondeo: Negando Antecenam ùt oſtendo in *Tract. de Legibus diſt. 3. qu. 2.* Poteſtas Legislativa Epiſcoporum eſt Juris Divini, eamquè acquirunt vi ordinationis, immediatè à Chriſto, ùt patet ex illo Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam DEI.* Verùm tamen eſt; dictam poteſtatem eſſe Summo Pontifici ſubordinatam, unde poteſt eam in parte, vel in toto, ob rationabiles cauſas impedire, & defactò fecit probabiliter: unde ſolus ſtatuit impedimenta Matrimonij; & tollit eadem.

5. *Poteſtas ſæcularis non habet Ius introducendi impedimenta Matrimonij pro Fidelibus ſubditis.*

DICO tertiò: Nullus purè ſæcularis. Princeps poteſt ſtatuere Impedimenta Matrimonij Fidelium. Ita Victoria, Conink, Henriqu: Maſtr: & communis Canoniſtarum.

Probatur: Quia Eccleſia cauſas Matrimoniales, eò quòd Matrimonia eſſent elevata à Chriſto ad rationem, & dignitatem Sacramenti, ſibi reſervavit; ùt patet ex Tridentino Seſſ: 14. Can: 3. & 4. Et ex *cap. Iuam, de Ordin. cognit:* & *cap. de conſang: & affinitate*; & perpetua Eccleſiæ praxi: ergo, &c.

6. *Benè tamen pro Infidelibus.*

DICO quartò: Poteſt tamen Princeps, vel Magiſtratus fidelis, vel infidelis, ſtatuere Impedimenta Matrimonij reſpectu ſuorum ſubditorum Infidelium. Ita communis Theologorum, apud D. Thom: Navar: Rodriq: Con: Sanch: &c.

Probatur: Matrimonia Infidelium ſubditorum, ſunt merus contractus humanus, carens ratione Sacramenti: ergo circa hos poſſunt plenè diſponere Supremi principes, & Magiſtratus, ſicut circa alios humanos contractus, apponendo eis Impedimenta dirimentia, & prohibentia.

7. *Princeps infidelis non poteſt apponere Matrimonijs Fidelium Impedimenta aliqua.*

DICO quintò: Princeps Infidelis non poteſt ſtatuere Impedimenta Matrimonij pro ſuis ſubditis Fidelibus. Ita Caſpenſis, Maſtrius, Averſa, &c.

Probatur: Matrimonia Fidelium ſubditorum ſunt à Chriſto elevata ad ſtatum Sacramenti ſublimiorem, & conſequenter non cenſentur ampliùs comprehenſa in poteſtate, & Lege cujusvis Principis ſæcularis: ergo, &c.

8. *Contrahentes Matrimonium cũ Impedimento dirimente committunt Sacrilegiũ, & inobedientiam.*

DICO ſextò: Probabiliùs ſolemniter celebrantes Matrimonia cum Impedimento dirimente, committunt peccatum mortale inobedientiæ, & Sacrilegij. Ita Ledeſma, Maſtrius, Laym: &c.

Probatur: Taliter ſolemnizantes Matrimonia abutuntur ritu, & nomine Sacramenti cum ejus irreverentia, & injuria, & in re graviagunt contra Jus Eccleſiaſticum: ergo, &c.

9. *Recenſentur Impedimenta dirimentia, & prohibentia Matrim:*

NOTA deinde in univerſum Impedimenta dirimentia, moderno Jure Tridentini eſſe 14. ſequentibus verſibus complexa:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultûs diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Si ſis Affinis, ſi forte coire nequibis.
Si Parochi & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptaquè ſit mulier, nec parti reddita tutæ;
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Impedimenta verò ſolùm impedientia, ſunt numero 5. ſequentibus verſibus incluſa:

Eccleſiæ Vetitum, nec non tempus Feriatum,
Atque Cathechiſmus, Sponſalia, jungito Votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Singula Summariè ſequentibus quæſtionibus elucidabo. Interim

10. *Cognito Impedimento dirimente ſtatim inſtituenda eſt*

DICO ſeptimò: Quando duo contrahunt cum impedimento dirimente, eò detectò debent ſeparari, quoad cohabitationem. Ita Herincx, Maſtrius, Con: Sanch: & communis Canoniſtarum.

Pro-

separatio cohabitationis.

Probatur: Quia adest morale periculum carnalis commercij, denuò practicandi, quod amplius licitum non est: ergo, &c.

11. *Sciens Impedimentum dirimens nullo modo potest reddere debitũ.*

DICO octavò: Si unus Conjugum tantùm sit conscius Impedimenti dirimentis, non potest alteri ignoranti debitum reddere, etiam sub dispendio vitæ, famæ, & incursu excommunicationis à Judice Ecclesiastico infligenda. Ita Sylv: Mastr: Medina, Nav: Victoria, &c.

Probatur: Quia ita ordinat *cap. Inquisitiom, de Sent. Excom.* Et *cap. Litteras, de restitutione spoliatorum.* Et accedit ratio; quia fornicatio nunquam est licita, etiam ad vitandam quamcunque jacturam, sed in casu Conclusionis esset fornicatio, cùm nullum ibi sit Matrimonium: ergo, &c.

12. *Cautè impetranda est dispensatio super Impedimentum dirimens, & novus consensus adhibendus.*

NOTA autem conscium Impedimenti dirimentis, cautè, & prudenter se debere gerere, ad evitanda specificata pericula, & damna, unde debet petere statim dispensationem, abstinendo interim ab omni copula carnali, & dispensatione obtenta debet procurare consensum novum ab altera parte, nullitatem Matrimonij aliquomodò alteri parti ignaræ notificando; ùt habet receptior doctrina Scoti 4. d. 35. q. 1. Adrian: Nav: Con: Sanch: Herincx, &c. contra Cajet: Sotum, Cordubam, &c. eò quòd alioquin pars ignara nullitatis, per suum novum consensum tantùm intenderet confirmare contractum, priùs factum, quem credebat esse validum, sed interim fuit invalidus, & qui quà talis non validatur per hunc approbativum tantùm consensum.

13. *Auctoris mens circa eliciendum novum consensum obtenta dispensatione.*

Ego tamen arbitror: Sufficere ad convalidandum Matrimonium, si alteri parti dicatur per modum cujusdam signi amoris: *Si non essem conjugatus, te acciperem in Conjugem, & ex nunc accipio*; & altera pars ignara nullitatis respondeat: *Et ego te acciperem, & modò accipio.* Hîc enim intervenit verus novus Consensus, in novum etiam Matrimonium.

14. *Resolutio particularis casûs, circa consensum novum in Matrimonium novum.*

Sed quid si conjunx ignarus nullitatis, & repetens modò dicto novum consensum esset ita dispositus, quòd si sciret nullitatem sui Matrimonij; & qualitatem Impedimenti, quàmvis jam sublati, nullatenus tunc contrahere vellet, sed quia nescit, ideo suum consensum repetit? Respondeo eùm distinctione, si sit ita dispositus in actu secundo, habens scilicet actualiter talem voluntatem, cum tali repetito consensu Matrimonium non perficit; ùt benè docet Aversa, Mastrius, &c. quia hæc voluntas directè repugnat intentioni conditionatæ: si autem sit ita dispositus habitualiter tantùm, & in actu primo, Matrimonium subsistit, eùm hæc non repugnet intentioni conditionatæ.

16. *An Parochi, & Testium præsentia sit adhibenda in revalidatione Matrimonij?*

NOTA denique: Si Matrimonium sit nulliter contractum ab initio, ob occultum Impedimentum dirimens, cum assistentia tamen Parochi, & testium, potest, obtentâ dispensatione, convalidari solo novo contrahentium consensu, absque assistentia nova Parochi; ùt habet Mastrius, & alij Doctores. Ratio est; quia satis constat de validitate talis contractûs in facie Ecclesiæ, quod Concilium Tridentinum requirit ideò, ne nòn oriantur incommoda diversa ex clandestinis Matrimonijs. Si tamen Impedimentum fuisset notum factum Parocho, aut alicui ex testibus, ita ut in judicio possit probari, debet adhiberi denuò Parochus, & testes obtentâ dispensatione, aliàs erit invalidum; ùt habet de Graffijs, Hurtad: Corduba, Ledesm: Diana, &c. Ratio est; quia in tali casu non constat de validitate contractûs, sed potiùs de nullitate in facie Ecclesiæ, unde solemnitate a Tridentino requisitâ, puta, præsentiâ Parochi & Testium debet revalidari: nisi Pontifex dispensans in impedimento, apponat clausulam, Parochum non esse necessariò adhibendum.

QVÆSTIO II.

De Impedimentis Erroris, Conditionis, & Voti.

1. *Quid sit error circa substantiã, qualitatem, & Conditionem?*

NOTA primò: Errorem ad propositum esse triplicem. Primus est error circa substantiam, seu personam; ùt si Jacob contrahat cum Lia, quam putat esse Rachaëlem. Secundus est Error qualitatis; ùt si contrahatur cum Petronilla, quæ creditur esse Virgo, Dives, vel nobilis, posteà tamen deprehenditur esse corrupta, pauper, & ignobilis. Tertius est Error conditionis, ùt si contrahatur cum Plauta, quæ putatur esse libera, est verò serva formaliter.

2. *Error circa substantiam invalidat Matrimonium.*

DICO primò: Error circa substantiam, seu personam, tam antecedens, quàm concomitans, dirimit Matrimonium Jure Ecclesiastico, & naturali. Ita S. Bonaventura 4 d. 30. q. 1. Scotus ibidem. S. Thomas, & communis Summistarum.

Probatur *de Iure Ecclesiastico*: Quia ita statuit *cap. Tua nos, de Sponsalibus.* Et *cap. Vnico 29. qu. 1.* ergo, &c. Probatur *de Iure naturali.* Matrimonium est contractus, ad quem requiritur Jure naturæ verus consensus circa Objectum substantiale contractûs;

ctûs: sed ubi est Error antecedens, vel concomitans circa substantiam, seu personam, nullus est consensus in eam, ut objectum substantiale: ergo jure naturæ Matrimonium cum Errore circa substantiam, seu personam est nullum, & consequenter illud sic celebratum dirimit. Probatur Min: quia *L. Cùm Testamentum*, dicitur: *erranti nullus consensus*: & quia contrahentis intentio absoluta est, consentire præcisè in hoc individuum Plautillæ v.g. tanquam in determinatum, & substantiale objectum contractûs Matrimonialis, & nequaquam in alind: ergo *cùm actus agentium non operentur ultra intentionem eorum*, censetur nullus adesse consensus in eam personam, circa quam est Error antecedens, vel concomitans.

3. *Sive sit antecedens, sive concomitans.*

Nec obest: Quòd Error concomitans non sit causa operis, sicut est Error antecedens, quia uterque aufert actualem consensum, & differunt tantùm, quòd prior faciat involuntarium, posterior autem actum non voluntarium esse.

4. *Matrimonium Iacob cum Lia quando fuerit validū?*

Objicies: Jacob cum Lia contraxit erroneè quoad substantiam, & tamen subsistebat Matrimonium: ergo, &c. Respondeo: ex *cap. Unico 29. qu. 1.* non fuisse verum Matrimonium ab initio, donec Jacob consensit positivè de novo in Liam.

5. *Contrahens cum indifferentia ad personam validè contrahit.*

DICO secundò: Si tamen errans intendat contrahere cum præsenti persona, qualiscunque sit, est validum Matrimonium. Ita Brug: Con: Nav: cap. 22. man: n. 32. & alij.

Probatur: Quia talis Error non vitiat objectum substantiale actûs voluntarij, cùm sit solùm speculativus, non practicos: ergo validum erit Matrimonium, cum eo contractum.

6. *Error qualitatis non efficit Matrimonium.*

DICO tertiò: Error circa qualitatem personæ non dirimit Matrimonium, etsi oriatur ex dolo alterius contrahentis, & det causam contractui. Ita S. Bonaventura Richard: & Theologi communiter.

Probatur primò: Ex *cap. Cùm in Apostolica, de Sponsalibus*. Et *L. alioquin, ff. de contrah: Empt.* ubi dicitur: *Quòd si ego me Virginem emere putarem, cùm esset mulier*, id est corrupta, ùt ait Glossa: *valebit emptio; in sexu enim non est erratum*: ergo, &c.

Probatur secundò ratione: Quia substantia hujus contractûs consistit in consensu inter personas. Et qualitates opum, pauperiei, &c. sunt extrinsecæ, accidentales, & rationes tantùm impulsivæ, non autem objectum substantiale ipsius Contractûs: ergo, &c.

7. *nisi transeat in Errorem substantiæ.*

DICO quartò: Si tamen Error qualitatis transeat in Errorem substantiæ, item si qualitas fuit apposita in contractu per modum conditionis, eâ deficiente, irritatur Matrimonium contractum cum errore qualitatis. Ita Mastrius, Brug: Her: &c. Exemplum primi esset; si Ludovica contraheret per Procuratorem cum primogenito Regis Hispaniarum, erit irritum Matrimonium, si deinde substitueretur secundò genitus. Exemplum secundi: si Petrus contrahat cum Paula, cum expressione conditionis, si nobilis sit.

Probatur prima pars: Quia determinatus consensus contrahentis tunc fertur primariò, & determinatè in aliud individuum, tanquam objectum substantiale contractûs: ergo Matrimonium cum Errore tali celebratum, est irritum.

8. *Vel nisi apponatur qualitas, ut conditio essentialis.*

Probatur secunda pars: Quia consensus contrahentis tendit substantialiter, & expressè in veritatem appositæ conditionis: ergo eâ deficiente, Matrimonium erit nullum.

Circa secundum Impedimentum dirimens *Conditionis*, subintellige servilis, Nota: quòd secundùm Juristas, alij sint servi *adscriptitij*; & sunt illi, qui sunt addicti perpetuò ad colenda prædia, & redditus acquirunt Domino: alij sunt *originary*; & sunt filij ex his nati: alij sunt *mancipia*; seu servi formales, & Sclavi, quos Domini possunt vendere, & de his solis procedit sequens Conclusio, non de primis, & secundis, qui liberi homines sunt; ùt constat ex *C. de Agricolis, & Censitis*; & *cap. 2. de Iudæis*; unde ab actibus legitimis non repelluntur, v.g. à testando, &c.

9. *Error conditionis reddit invalidum Matrimonium.*

DICO quintò: Matrimonium à libero contractum cum Errore conditionis, seu cum serva formali, quam putabat liberam, est invalidum. Ita S. Bonav: S. Thomas, Scotus, Herincx, &c.

Probatur: Ex Jure Cannonico statuente pro Impedimento dirimente Matrimonij Errorem conditionis. *cap. 2. & ultimo, de Conjug. Serv.* ob hanc rationem, ne videlicet fiat injuria liberæ parti contrahenti, & ponatur in deteriorem conditionem. Et addit Scotus *4. dist. 30. qu. 1.* quia liber intendit commutationem sui corporis liberam facere, pro potestate libera corporis alterius: sed servus non potest hanc libertatem facere, cùm sit subditus Domino suo, qui eum vendere potest, etiam in longinquas Regiones: ergo, &c.

10. *Excipitur tamen casus, quo liberi, & sciēter contraheretur cum servo, vel serva.*

DICO sextò: Si tamen liber contrahat Matrimonium cum serva, quam sciebat esse talem, subsistit Matrimonium. Ita communis Doctorum.

Probatur: Quia ita declaratur in *cap. ult. de Conjug. Serv.* Et volenti non fit injuria.

NOTA

11. *Servus validè contrahit Matrimonium invitò Dominò.*

Nota: Quòd servi, etiam formales, invitis Dominis validè contrahant Matrimonia cum servilibus, & liberis fœminis, si hæ scienter consentiant. Ratio est; quia Matrimonium est concessum Jure naturali, & Divino, in remedium concupiscentiæ, & propagationem Naturæ humanæ; hoc autem Jus non possunt ab ijs tollere Domini: imò graviter peccant Domini contra Justitiam, impedientes servos, nè contrahant Matrimonium, aut ne maritale commercium post contractum exercere valeant, ob translationem, venditionem, vel nimiam occupationem eorundem ad obsequia; ùt docet Gutier, Sanch: &c. Verùm tamen est, quòd Domini non teneantur consentire, si eis servi præjudicium adferant per Matrimonij contractum; ùt docet Rebel: Henriq: &c. & servi non possunt Dominus debitis obsequijs privare: quòd si autem casus emergeret, quòd servus non posset simul satisfacere Domino, & uxori, censet Bonacin: Ledesm: & plurimi alij Canonistæ, debitum conjugale esse præferendum.

12. *Quid votū simplex, & solemne?*

Circa Impedimentum *Voti* Nota: Votum aliud esse solemne, aliud simplex. *Solemne* est; quod ex Ecclesiæ constitutione dirimit Matrimonium. *Simplex*; quòd non: quidquid dicant alij DD. alias differentias assignantes, quæ tamen utrique voto sunt communes.

13. *Votum solemne Religionis invalidat Matrimonium non consummatum.*

DICO septimò: Votum solemne castitatis, editum in Professione Religiosa, dirimit Matrimonium contractum, non consummatum, & hoc Jure tantùm Ecclesiastico, relinquit verò in suo valore jam consummatum. Est communis SS. PP. Hieron: August: Chrysost: & Theologorum, ac Canonistarum.

Probatur prima pars quòd *Iure Ecclesiastico dirimat*: Quia ita concluditur in Concilio Toletano I. can. 16. in Calcedonensi, Carthaginensi IV. can: ult: & Tridentino. Adde *cap. Meminimus*, & *cap. Insinuante*. Et motivum Ecclesiæ fuit, quia conveniens est, personas DEO consecratas, per solemnem perpetuam obligationem; vigore cujus transferuntur ad perfectiorem vitæ statum, inhabilitare ad statum Matrimonialem, pluribus imperfectionibus scatentem. Quòd autem tantùm Jure Ecclesiastico dirimat, non naturali, patet: quia, ùt infrà quæst: ult: hujus Dist: ostendam, Papa in tali voto potest dispensare, quod dici non posset, si esset Juris naturalis.

14. *Consummatum verò in suo valore relinquit.*

Probatur secunda pars: Quia ita deciditur in *Can, Si quis conjugatus*. Et docetur à D. Paulo *1. ad Corinth. 7*, docente: quòd mulier alligata sit viro, quamdiu vir ejus vivit: & accedit ratio hoc ipsum convincens: quia per Consummationem Matrimonij Conjuges fiunt una caro: quæ dividi nequit absque injuria alterius: ergo si consummatum fuit Matrimonium, nequeunt Conjuges se dividere per solemnem professionem.

15. *Votum castitatis ortū ex Ordinatione, non dirimit Matrimonium ratum antecedens.*

DICO octavò: Votum solemne perpetuæ castitatis, S. Ordinibus appositum à Canonibus, non dirimit Matrimonium antè contractum, si ratum sit, & nondum consummatum. Ita communis Summistarum, & Canonistarum.

Probatur: Quia ita declaravit Joannes XXII. in *Extrav. de Voto*: ubi dicitur: Maritum suscipientem S. Ordinem sinè licentia uxoris, ante consummationem Matrimonij, fieri irregularem, & admonendum esse, ut Religionem aliquam profiteatur, vel restituendum esse uxori, eum repetenti, ut Matrimonium consummet, reddendo tantùm debitum; non exigendo, ùt advertit Glossa: ergo, &c.

16. *Motivum Ecclesiæ, cur S. Ordinibus adjecerit votum Castitatis.*

Et Nota rationem: cur S. Canones velint dirimi Matrimonium ratum per votum solemnis Professionis, & non per votum annexum S. Ordinibus susceptis: quia per votum solemnis Professionis fit perfecta, & plena traditio professi, & reciproca obligatio cum Religione, adeoquè mors quædam spiritualis, imò alterum spirituale Matrimonium resultat, cui meritò priùs, secundùm carnem institutum, cedere debet: in susceptione Sacri Ordinis hæc non censentur concurrere.

17. *Votū castitatis S. Ordi: impedit Matrimonium, nè fiat.*

DICO nonò: Impedit tamen votum castimoniæ, annexum S. Ordini, ut fieri nequeat legitimus Matrimonij contractus, & hoc Jure Ecclesiastico. Ita Theologi omnes, post S. Bonav: S. Thomam, Brug: Laym: &c.

Probatur prima pars: Quia ita resolvitur in *cap. Nullus Missam*; *cap. Insinuante*, *cap. 4. de Cler: Conjug*: Et Trident: Sess: 24. *de Matrimonio*, Can: 9.

18. *Et hoc Iure tantùm Ecclesiastico.*

Probatur secunda pars, quòd *Iure Ecclesiastico*: Quia nullum extat Divinum præceptum de hac re; ergo, &c.

QVÆSTIO III.
De Impedimento Cognationis Carnalis.

1. *Quid sit cognatio?*

NOTA primò: Cognationem esse quandam conjunctionem inter certas personas, ob quam vetitum est inter eas fieri Matrimonium.

2. *Tres species Cognationis assignantur.*

NOTA secundò: Cognationem aliam esse naturalem, seu carnalem, aliam spiritualem, aliam legalem. *Carnalis* est, propinquitas inter certas personas, ab eodem proximo stipite descendetes per generationem carnalem, & vocatur consangvinitas. *Spiritualis* est, propinqvitas inter personas, ob administrationem, vel susceptionem Sacramenti Baptismi, vel Confirmationis. *Legalis* est, propinquitas inter certas personas, orta ex adoptione, à legibus admissa.

3. *Explicantur linea, & gradus Matrimoniales.*

NOTA tertiò: Cognationem distingvi per lineas, & gradus. *Linea* est, ordinata collectio personarum, Consangvinitatem inter se habentium: Et est triplex: Ascendens, & Descendens, quæ ambæ dicuntur lineæ rectæ: & Transversalis, quæ & Collateralis dicitur: *Ascendens* linea est, à Personis propagatis ad propagantem; ùt à Filio ad Patrem, Avum, Proavum: &c. *Descendens* est, à propagante ad propagatos, ùt à Patre ad Filium, Nepotem, &c. *Transversalis* est, quando ambæ personæ descendunt ab eodem, & neutra ab altera, ùt Frater, Soror Consobrini. *Gradus* verò est, determinata propinquitas personæ ad personam in linea Consangvinitatis.

4. *Prima Regula Generalis pro cognoscenda propinquitate, & distantia Consangvin:*

NOTA quartò: Ad cognoscendam propinquitatem, & computandos gradus ipsius Consangvinitatis, sequentes statui generales Regulas, à Scoto 4. *dist, un.* & à Canonistis.

Prima: *In linea recta Ascendentium, & Descendentium, tot numerantur gradus, quot personæ*: Unde Pater, & Filius sunt conjuncti in primo gradu consangvinitatis: quia Filius à Patre una generatione descendit: & Nepos est conjonctos cum Avo in secundo gradu, qoia ab eo descendit duabus generationibus, Proavus, & Pronepos sunt in tertio gradu: Abavus, & Abnepos in quarto, &c.

5. *Secunda Regula.*

Secunda Regula: *In linea Transversali æquali* (quæ est inter personas æqualiter distantes à communi stipite) *tot gradibus unus conjungitur alteri, & ab eo distat, quot quilibet conjungitur suo communi stipiti proximo, & ab eo distat.* Ratio est; quia ratione stipitis tantùm conjunguntur inter se, & in ordine ad illum distant: Unde Frater, & Soror sunt in primo gradu lineæ transversalis: Patrueles verò, & Consobrini in secundo: Nepotes, & Neptis ex Fratre, & Nepotes, ac Neptis ex Sorore in tertio gradu: Pronepotes, & Proneptes ex Fratre, & Proocpotes, atque Proneptes ex Sorore sunt in quarto gradu: & sic deinceps.

6. *Tertia Regula.*

Tertia Regula: *In linea Transversali inæquali* (quæ est inter personas inæqualiter distantes à communi stipite) *tot gradibus unus conjungitur alteri, & ab eo distat, quot qui remotior est a communi proximo stipite, & ei conjungitur, ac ab eo distat*: quia iuquit Scotus, personæ quæ sunt in linea transversali, non habent inter se propinquitatem, nisi ratione communis stipitis, à quo originantur, & ideo non possunt inter se propinquiùs conjungi, quam remotior eorum coojungatur stipiti: Unde Patruus, & Nepos ex Fratre sunt in secundo gradu, quia eòdem distat Nepos ex Fratre ab alio, qui est stipes utriusque: & similiter Pronepos distat à Patruo in tertio gradu. Omnes hi propinquitatis gradus, & distantiæ Consangvineorum secundùm tres præfatas generales Regulas, sequenti Schemate repræsentantur.

☞ *Schema*

---

7. *Consangvinitatis primus gradus linea recta dirimit Iure Naturæ Matrimonium in infinitum.*

DICO primò: In linea recta, tam Ascendente, quàm Descendente, primus gradus, imò probabiliùs quilibet gradus in infinitum, dirimit Matrimooium, & quidem Jure Naturæ. Ita Scotus 4. *dist:* 40. *qu. un.* Bassolius, Hique: Branc: Mastr: & alij Scotistæ: Et ex Recentioribus Bellatminus, Con: Vasqu: &c. contra Aversam, &c.

Probatur prima pars: Quia lumeo rationis dictat, Matrimonia in primo gradu non esse contrahenda, ob revereotiam filiorum, debitam suo principio: & ob conjunctionem naturalem filiorum, cum Parentibus, quorum sunt pars secundùm carnem: ideo, & gentes omnes benè institutæ, connubia parentum cum filijs, & filiabus abhorrent: ergo, &c.

8. *Imò probabiliter omnes ejusdem lineæ.*

Probatur secunda pars: Quia, ùt ait Doctor subtilis, in omnibus Ascendentibus & Descendentibus invenitor ratio principij, cui reverentia debetur, & observantia, huic autem actus matrimonialis quasi substantialiter repugnat; unde & Summi Pontifices nnnquam leguntur dispeosasse in linea recta: ergo, &c. Confirmatur: qoia omnes Ascendentes sunt veri Parentes, & principiantes respectu Descendentium, & principiatorum, & consequenter eis debetur

Schema Consangvinitatis.

Non gignunt dextros qui ſtant in parte ſiniſtra
Læva dat Uxores, det tibi dextra mares.

				IV. Abavus Abavia. 4.				
		IV. *Propatruus,* *Proamita.* 5.		III. Proavus Proavia. 3.		IV. *Proavunc:* *Promater.* 5.		
	IV. *Horum Filius Filia.* 6.	III. *Patruus magnus, Amita magna.* 4.		II. Avus Avia. 2.		III. *Avuncul: magnus, Matertera magna.* 4.	IV. *Horum Filius Filia.* 6.	
IV. *Eorum Nepos Neptis.* 7.	III. *Propior Sobrinus Prop: Sobrin:* 5.	II. *Patruus, Amita.* 3.		I. Pater Mater. 1.		II. *Avunculus Matertera.* 3.	III. *Propior Sobrinus Propior Sobrin:* 5.	IV. *Eorum Nepos Nepsis.* 7.
IV. *Eorum Pronepos Proneptis.* 8.	III. *Horum Filius Filiae* 6.	II. *Frat: Patrui vel Amitæ Soror Patrui vel Amitæ.* 4.	I. *Frater.* 2.		I. *Soror.* 2,	II. *Consobrinus Consobrin:* 4.	III. *Horum Filius Filia.* 6.	IV. *Eorum Pronepos Proneptis.* 8.
IV. *Eorundem Nepos Neptis* 7.	III. *Horum Filius Filia.* 5.	II. *Fratris Filius Filia.* 3.		I. Filius Filia. 1.		II. *Sororis Filius Filia.* 3.	III. *Horum Filius Filia.* 5.	IV. *Eorum Nepos Neptis.* 7.
IV. *Horum Nepos Neptis.* 6.	III. *Fratris Nepos Neptis.* 4.			II. Nepos Neptis. 2.			III. *Sororis Nepos Neptis.* 4.	IV. *Horum Nepos Neptis.* 6.
IV. *Fratris Pronepos Proneptis.* 5.				III. Pronepos Proneptis 3.				IV. *Sororis Pronepos Proneptis.* 5.
				IV. Abnepos Abneptis. 4.				

tur eadem reverentia, quæ immediatis Parentibus: sed cum immediatis Parentibus de jure naturæ prohibitum est contrahi matrimonia: ergo cum omnibus in infinitum. Et ideo inquit Scotus hîc: si Adam hodie viveret, nullam posset ducere uxorem, cùm omnium uxorum sit principium. Confirmatur secundò: quia *L. Nuptiæ;* & *L. Iure Gentium, de ritu Nupt.* absolutè dicitur: Inter Ascendentes, & Descendentes Jure gentium (quo nomine Juristæ appellant Jus naturæ) incestuosas nuptias contrahi, easquè consistere non posse.

9. *In linea transversa dirimit Consangvinitas Matrimonium usq; ad 4. gradum.*

DICO secundò: Consangvinitas in linea transversali, dirimit Matrimonium tantùm usque ad 4. gradum inclusivè. Ita communis Theologorum.

Probatur: Quia ita determinatur in Concilio Lateranensi, & refertur *cap. Non debet;* ubi etiam restringitur Jus antiqvum, irritans Matrimonium usque ad septimum gradum: ergo, &c.

10. *Causa limitationis Iuris Veteris.*

NOTA autem: Causas hujus restrictionis esse: *Primò*: Propter commoditatem majorem humani commercij inter Fideles, ut per Fœdera Matrimoniorum inter diversas Familias magìs ampliaretùr amicitia. *Secundò*: Ob majorem cautelam servandæ continentiæ inter sangvine junctos, qui frequenter sibi invicem cohabitant, quæ familiaritas peccatum incontinentiæ sæpiùs causaret, si non liceret Matrimonium contrahere, nisi usq; ad 7. gradum. *Tertiò*: Quia difficulter conservatur ab omnibus memoria usque ad 7. gradum; sicquè frequenter fierent invalida Matrimonia.

11. *Impedimentum Consangvinitatis dirimens in linea transversa, non oritur ex Iure naturali.*

DICO tertiò: Solo Jure Ecclesiastico, non naturali, Fratris & Sororis, cæterorumquè usque ad 4. gradum inclusivè, Matrimonium dirimitur. Ita Mastrius, & Recentiores Scotistæ, cum Cajet: Hurt: Con: Diana, & plurimis alijs, citantibus pro hac opinione etiam Scotum. Est autem contra Branc: ex nostris, & contra Sanch: Vasq: Bonacin: Rebel: &c.

Probatur prima pars: Quia etsi quædam partialis indecentia in copula Fratris cum Sorore reperiatur, ob quam etiam Gentes passim eam prohibuêre, non est tamen talis in ea indecentia, ob quam natura hujusmodi copulam prohiberet, cùm nulla reverentia debita consangvineis, tanquam principio (qui neque Ascendentes neque Descendentes sunt) adsit: ergo, &c. Confirmatur: In exordio Mundi debebant Fratres ducere suas Sorores: Et Sylv: in Summa, verbo *Papa*, refert, Martinum V. etiam in hoc, gravissima de causa dispensâsse: quæ omnia non subsisterent, si Matrimonium inter fratrem, & sororem Jure naturæ esset irritum: ergo, &c.

12. *Sed Ecclesiastico tantùm.*

Probatur secunda pars: Ex *cap. Gaudemus, de Divortijs;* ubi Infideles ad fidem conversi, etsi consangvinei sint in secundo gradu, permittuntur in Matrimonio, quod fieri non posset, si Jure naturali illi gradus irritarent Matrimonia: ergo solo Jure Ecclesiastico secundus, & alij sequentes gradus, irritant Matrimonia.

QVÆSTIO IV.

De Cognatione Spirituali, & Legali.

1. *Inter quas personas nascatur Impedimentū spiritualis Cognationis.*

DICO primò: Cognatio Spiritualis dirimens Matrimonium, contrahitur solùm inter baptizantem, seu confirmantem, & baptizatum, & confirmatum: item inter susceptores tantum duos, & baptizatum, seu confirmatum: item inter baptizantem, seu confirmantem, & Patrem, ac Matrem naturalem baptizati, seu confirmati: non verò inter ipsos susceptores. Ita communis Summistarum, & Canonistarum.

Probatur: Quia ita definit Tridentinum *Sess. 24. de Reform: Matrimonij c. 2.* & consequenter censetur abrogare omnes antiquas compaternitates, & confraternitates: & rationabiliter quidem, quia, ùt inquit ipsum Concilium cit: *Experientia docet, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sinè magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.*

2. *Solo Ecclesiastico Iure invectū est Impedimentum Cognationis spiritualis.*

Ex dictis sequitur: Hoc impedimentum puro Jure Ecclesiastico, non verò naturali, vel Divino esse introductum: & statutum fuit primò in Concilio Nicæno, Can: 21. putatur tamen fuisse traditio Apostolica. Habetur etiam in Jure Canonico, per plura cap. 30. qu. 1. in *Decreto, de cognatione spirituali, & in Decretalibus*, eodem tit. *in 6.*

3. *Inter susceptores nullum oritur impedimentum Cognationis spiritualis.*

Dixi in Conclusione: *Non verò inter ipsos susceptores:* quia ex Bulla Pij V. *Cùm illius vicem*, susceptores possunt inter se contrahere Matrimonia; ùt tenet Rodriqn: Nugnus, Sanch: &c.

NOTA autem: Ut contrahatur vera cognatio spiritualis, requiri sequentia.

4. *Prima Conditio ad verè contrahendam cognationem spiritualē.*

Primò: Ut teneatur infans in baptismo actuali. Unde qui teneret infantem, quando solæ solemnitates baptismi in Ecclesia peraguntur circa infantem, domi ob imminentem probabilem articulum mortis jam bapti-

baptizatum, non contrahit cognationem ſpiritualem. Ita Brug: & cæteri Doctores communiter.

5. *Secunda Conditio.*

Secundò requiritur: ùt infans teneatur in baptiſmo ſolemniter adminiſtrato: unde ſuſcipiens in baptiſmo privatim adminiſtrato, non contrahit cognationem ſpiritualem. Ita deducitur ex Tridentino cit: & habet Brugnoli, Sanch: Nav: &c.

6. *Tertia Conditio.*

Tertiò requiritur: ut contrahatur cognatio ſpiritualis: quòd debeat infans ſuſcipi de manibus baptizantis ſtatim ac baptizatus eſt, alioquin non dicitur ſuſcipere, & levare ex fonte baptiſmatis. Ita habetur in *cap. Poſt ſuſceptum. 30. qu. 3.* Unde ſi commater ex manu alterius commatris infantem ſuſcipiat, non contrahit cognationem.

7. *Quarta Conditio.*

Quartò requiritur: ad contrahendam hanc cognationem, ut verus tactus manibus ſuſcipientis peractus interveniat: unde ſi ſuſcipiens ſolà veſte infantem attingeret, non contraheret Cognationem ſpiritualem. Ita Brugnoli, & Doctores paſſim. Sufficit autem, ut tactus iſte fiat per Procuratorem, ùt habet Bonacin: Rebellus, Con: Branc: &c. *Nam quæ per alium quid facit, per ſe feciſſe videtur. L. Licèt, de Conſtitutione pecuniæ.* Et ex Regulis Juris in 6. Quo caſu Procurator nullam contrahit cognationem, quia licèt ipſe immediatè tangat, non tamen ſuo, ſed alieno nomine hoc præſtat.

8. *Quinta Conditio.*

Quintò requiritur: in ſuſcipiente intentio tacita, vel expreſſa præſtandi munus Patrini, uti conſentiunt omnes Doctores.

9. *Sexta Conditio.*

Sextò requiritur: ut non intercedat error circa perſonam, quæ creditur tangi. Ita Brugnoli, &c.

10. *Septima Conditio.*

Septimò requiritur: ut Patrinus ſuſcipiens ſit baptizatus, unde Infidelis non contrahit hanc Cognationem. Ita Maſtrius, Brugnoli, Ledeſma, Rodriquez, &c.

11. *Octava Conditio.*

Octavò requiritur: ut ſuſcipiens ſit deſignatus ad munus Patrini. Ita Tridentinum cit: & Sanch: Maſtrius, Conink, &c.

12. *Parens in neceſſitate baptizans prolem non contrahit Cognationē ſpiritualē.*

DICO ſecundò: Parens, baptizans, vel Patrinum agens ex ignorantia, vel in neceſſitate, nullam Cognationem ſpiritualem contrahit, nec jure petendi debitum conjugale privatur. Ita Doctores communiter.

Probatur de *neceſſitate*: Quia ita reſolvit *cap. Ad limina, 30. q. 1.* ubi exprimitur hujus ratio: *Quia inculpabile judicandum, ad quod neceſſitas impulit.*

De ignorantia: reſolvit *cap. Si vir.*

13. *Parens extra neceſſitatem baptizans, vel elevans, peccat mortaliter, & nequit petere debitum.*

DICO tertiò: Si tamen Parens extra caſum neceſſitatis, & ignorantiæ baptizet, vel elevet infantem, aut confirmationi ejus aſſiſtat ut Patrinus, peccat mortaliter, & probabiliter non poteſt petere debitum Conjugale: poteſt verò reddere. Primam partem habet Sanch: Laym: Nav: &c. Secundam Svar: Sanch: Tertiam habet communis Doctorum.

Probatur prima pars: Quia ſeverè hoc prohibetur in *cap. 1. & 2. 30. q. 1.* Probatur ſecunda pars: Quia contraxit veram cognationem ſpiritualem cum Conjuge: ergo, &c. Tertia etiam probatur: Quia alter conjunx innocens non amiſit Jus petendi: ergo culpabilis tenetur reddere.

14. *Unde oriatur Cognatio adoptionis, & quæ ejus conditiones?*

Circa *Cognationem Legalem* NOTA: eam oriri ex adoptione, ùt ſuprà docui. Eſt autem adoptio ſecundùm Juriſconſultos, & Canoniſtas, *Aſſumptio Perſonæ extraneæ in filium, vel filiam.* Hæc ut valida ſit, requirit ſequentes conditiones, ex *ff. de Adoptionibus.* *Primò*: Ut adoptans ſit maſculus. *Secundò*: Ut ſit ſui Juris. *Tertiò*: Ut ſit major annis 25. *Quartò*: Ut ſit impotens naturaliter ad generationem prolis. *Quintò*: Ut perſona extranea, dum adoptatur, ſit præſens adoptanti, & conſentiat in adoptionem. *Sextò*: ùt hæc ſit annis 18. minor adoptante, ideoquè illum pro Patre, ſpectatâ ætatis ratione habere poſſit.

15. *Tres ſpecies Cognationis Legalis proponuntur.*

NOTA præterea: Cognationis Legalis tres eſſe ſpecies. *Prima* eſt, quaſi Deſcendentium, & ſit per lineam rectam inter adoptantem, & filium adoptivum, ac ejus Filius, nepotes, & abnepotes, in linea recta, nec non Patrem adoptantem, & avum, &c. *Secunda* eſt, quaſi transverſalis, ſcilicet inter ipſum Filium adoptatum, & Filiam naturalem, vel Filiam adoptantis. *Tertia* eſt, per modum cujuſdam affinitatis, nempè inter uxorem Patris adoptantis, & inter Filium adoptatum, & è contra, inter uxorem Filij adoptati, & inter ipſum Patrem adoptantem, ac etiam inter ipſas uxores adoptantis, & adoptati.

16. *Prima Reſolutio circa Impedimentum dirimens Cognationis Legalis.*

DICO quartò: Cognatio Legalis per modum affinitatis dirimit certò Matrimonium adoptantis cum uxore adoptati, & è contra Matrimonium adoptati cum uxore adoptantis: item in linea transverſa Matrimonium adoptatæ Perſonæ, cum filijs, aot filiabus carnalibus adoptantis, & etiam in linea recta inter adoptantem, & adoptatum: & hoc Jure Eccleſiaſtico, ac Civili. Ita communis Canoniſtarum, & Legiſtarum, ac Theologorum, cum Scoto 4. d. 42.

Probatur: Quia iſtæ omnes perſonæ triplicis Legalis Cognationis exprimuntur in *L. Adoptivus. ff. de Ritu Nuptiarum.* Et *Inſtitut: de Adoptione*; in *cap. Ita diligere, cap. Per adoptionem. 3. qu 3.* & *Extra, cap. Unico, de Cognatione Legali*: ergo, &c.

17. *Secunda*

DICO quintò: Probabiliùs etiam eſt, in

Ppp

Refolutio circa idem.

in recta linea Cognationis Legalis Ascendente, & Descendente, dirimi Matrimonium usque ad 4. gradum. Ita Nav: Bonac: Tolet: Branc: noster, qui hoc pluribus Juribus Civilibus probat.

Probatur primò: Ecclesia sciens plura Jura Civilia, dissolventia Matrimonia, contracta cum Legali Cognatione intra 4. gradum, ea non improbat, sed admittit: ergo signum est, quòd tacitè ea approbet, & consequenter Matrimonia sic contracta, dirimuntur.

Probatur secundò: Plures Pontifices, quos citat Branc: noster, decernunt, cognationem inter Fratres adoptivos, & naturales impedire, ac dirimere: majus autem vinculum est adoptati cum Patre adoptantis, ac avo, & adoptantis cum filijs adoptati, quàm Fratrum adoptivi, & carnalis, cùm horum Cognatio sit in linea transversa, aliorum verò in linea recta: ergo, &c.

QVÆSTIO V.

De Impedimentis Criminis, Cultûs disparitatis, Vis, & Ordinis.

1. *Quæ crimina à Iure ponantur, ut dirimentia Matrimony subsequentis?*

JUS Canonicum duplex assignat Crimen dirimens Matrimonium subsequens *cap. Si quis vivente, 31. qu. 1.* & *cap. Significavit:* & *cap. Super hoc, de eo, qui duxit.* Primum est *homicidium*, seu occisio Conjugis. Secundum est *adulterium*. Hac de causa, ne struerentur mortis insidiæ alteri Conjugi, & ut eviteutur adulteria.

2. *Conspiratio viri, & fœmina aliena in necem uxoris, ex intentione contrahendi postea Matrimonium, dirimit Matrimonium.*

DICO primò: Homicidium Jure Ecclesiastico tantùm, seclusô adulteriô, Matrimonium dirimit, quando scilicet vir, & fœmina cum intentione inter se postea celebrandi Matrimoniū, conspirant in necem mariti mulieris, vel in necem uxoris viri, morte secutâ, sive physicè occidendo, sive moraliter consuleodo, svadendo, &c. Ita Scotus 4. d. 35. qu: un: Mastrius, Herincx, S. Thomas, & communis Theologorum, & Canonistarum.

Probatur: Quia ita resolvit de viro, interficiente uxorem *cap. 1. de Convers. Fidelium:* & alia citata capita: & de muliere, *cap. 1 de Divortys*; ubi dicitur: quòd mulier insidiatrix mortis mariti, absque spe conjugij stet pœnitentiæ subjecta.

3. *Certa requisita, ut tale homicidium inducat Impedimentū dirimens.*

NOTA autem primò: Ut crimen soliûs homicidij inducat hoc Impedimentum dirimens Matrimonium, requiri sequentia. *Primò*; Ut unus Conjugum verè physicè, vel moraliter occidat alterum: unde non sufficit ratihabitio homicidij, sinè præstita cooperatione, ùt benè ubservat Gutier: Valeut: Henriq: Mastrius, &c. *Secundò* requiritur, ut ambo simul machinati sint, & conspiraverint in necem: quare si unus tantùm machinatus sit mortem, alterô insciô, non resultat Impedimentum dirimens; nisi accedat adulterium. Ita Bonacinna, Mastrius, Brugnoli, &c. Et habetur *cap. Super hoc, de eo, qui duxit in Matrimonium. Tertiò* requiritur, ut in finem celebrandi postea Matrimonij, vir, & fœmina conspireut in necem: Ita citati Doctores, & habetur *cap. Si quis.* Unde si alio fine patretur homicidium, non inducitur Impedimentum dirimens. *Quartò* requiritur, ut mors realiter sequatur, & ex vi actionis illorum, unde si incuriâ Medici, vel aliâ causâ sequatur, tunc tale homicidium non dirimit Matrimonium. Ita citati Doctores, & *cap. Si quis. 31. q. 1.*

4. *Adulteriū patratum cum sponsione futuri Matrimonij, dirimit Matrimonium.*

DICO secundò: Crimen adulterij Jure Ecclesiastico dirimit Matrimooium, etiam absque machinatione mortis Coujugis, quando videlicet adulteri dorante legitimo Matrimonio, licèt non consummato, inter se defactô coutrahuut Matrimonium, vel sibi spondent de contrahendo post mortem Coojugis. Ita cummunis Summistarum, Canonistarum, ac Theologorum.

Probatur: Quia ita resulvit *cap. relatum, 31. qu. 1. cap. ult. de eo qui duxit*; & alia capita Joris Canonici. Et est ratio Ecclesiæ, quia aliàs ob fractam sponsionem, & spem alterius Matrimonij, captaretur occasio alterios Conjugis occidendi, qoæ spes evacuatur per constitutionem hujus Impedimenti dirimentis.

5. *Conditiones necessaria, ut resultet hujusmodi Impedimentū dirimens.*

NOTA secundò: Ut crimen adulterij invehat dirimens Impedimentum, requiri necessariò sequentia: *Primò*; ut fiat motua promissio de future Matrimonio, & intervenerit actus adulterij, eô tempore, quo conjunx adhuc vivebat. Deducitur ex *cap. Significâsti.* Et docet Brugnoli, Laym: & alij Doctores. *Secundò*; ut utraque pars formale adulterium commiserit, quare si fœmina ignoret virum, cui copulatur carnaliter, esse Matrimoniô ligatum, non resultat Impedimentum dirimens: Deducitur ex *cap. 1. de eo, qui duxit*; & docetur à Richard: Laym: Brug: &c. *Tertiò*; Debet completa copula intercedere inter adulterantes. Ita Sanch: Laym: &c. *Quartò*; Motoa sponsio connubij adulterorum de Matrimonio debet procedere ex serio, & vero animo, & ab utraque parte acceptari. Ita Couink, Sà, Veracrux, Henriqu: &c.

Quin-

Quintò; Hæc sponsio debet esse sinè conditione alia, quàm mortis Conjugis.

6. *Inducitur Impedimentum dirimens, sive ante, sive post contractum Matrimonij commissatur adulterium.*

NOTA tertiò: Hoc Impedimentum adulterij induci, sive adulterium præcesserit Contractum Matrimonij, superstite Conjuge celebrati, sive subsecutum sit: Item sive Matrimonium contrahatur clandestinè, sive solemniter. Item a fortiori: si accedat ad adulterium etiam homicidium, ad hunc finem factum, ut cum adultero superstite, quamvis cædis minimè conscio, contrahere possit; ùt notat ex Bonacinua, & communi DD. Mastrius. Unde per hoc distingvitur crimen adulterij, à crimine solius homicidij.

7. *Casus certi, quibus tale impedimentum non inducitur.*

NOTA quartò: Non incurri hoc Impedimentum dirimens *Primò*; Si Plautus necem inferat Petronillæ Conjugi, vel alteri, eâ intentione, ut Matrimonium inire valeat cum tertia persona, non complice adulterij, vel homicidij. *Secundò*; Si ex alio motivo, puta vacandi securiùs veneri, duo machinentur mortem Conjugi. *Tertiò*; Si conjunx Conjugem actu adulterantem interimat, vel deinde veneuô enecet, ob vindictam sumendam de violata fide. *Quartò*; Si interficiat conjugem animò contrahendi cum alia persona indeterminata, vel determinanda à Paulo, quàmvis Paulus adulteram Petronillam deinde determinet. Ita Bonacinua, Gutier: Rebellus, Brug: Sanch: &c.

8. *Ecclesiastico tantùm Iure appositū est Impedimentum Criminis.*

NOTA quintò: Ex Scoto *4. dist. 35. q. un.* Nullo Jure Divino, vel naturæ, sed solo Ecclesiastico, Impedimentum esse invectum, ad evitandas scilicet cædes, & adulteria inter Conjuges, quæ vitantur sublatâ spe contrahendi inter delinquentes. Unde Matrimonium Davidis cum Bersabea uxore Uriæ fuit validum post mortem Uriæ; & Filij inde nati erant legitimi, etsi displicuerit DEO tale Matrimonium. Circa *Impedimentum disparitatis cultûs.*

9. *Disparitas cultûs dirimit Matrimonium.*

DICO tertiò: Disparitas cultûs, intercedens inter Fidelem, & baptizatum, & Infidelem, & non baptizatum, etsi Catechumenum, dirimit Matrimonium, non quidem jure naturæ, vel Divino, sed solo jure Ecclesiastico. Ita Scotus *4. dist. 39 qu. un.* & communis Catholicorum.

Probatur prima pars: Quia ita statuitur in *cap. Cave, 28, qu. 1.* & Conc: Nicæn: *Can. 67. & 69.*

10. *Iure Ecclesiastico.*

Probatur secunda pars: Quia in Lege Veteri Jacob verum contraxit Matrimonium cum duabus filiabus Laban gentilibus, & Salomon cum filia gentili Pharaonis, quod non fecissent, si esset prohibitum Jure Naturæ Matrimonium Fidelis cum Infideli: ergo, &c.

11. *Non verò Divino.*

Probatur tertia pars: Quia nullum extat Jus Divinum, prohibens hujusmodi Matrimonia; imò D. Paulus dicit virum fidelem non debere dimittere uxorem infidelem, quæ consentit cohabitare: quod non faceret, si ei oppositum esset Jus Divinum: ergo, &c. Manet ergo, quòd solo Jure Ecclesiastico inhibeantur Matrimonia Fidelium cum Infidelibus, propter pericula videlicet perversionis in fide Christiana, & incommoda complura.

12. *Hæresis non dirimit Matrimonium.*

DICO quartò: Hæresis tamen, vel Apostasia, non dirimunt Matrimonium: sed solùm illicitum faciunt, & quidem sub culpa gravi mortali. Ita S. Thomas *4. dist. 39. q. 1.* Richard: Sanch: Mastrius, &c.

Probatur prima pars: Quia nullum extat Jus Ecclesiasticum, dirimens Matrimonium Hæretici cum Catholico. Unde in *cap. Decrevit, de Hæreticis in 6.* ubi mulier Catholica nubens hæretico, privatur quidem dote, sed Matrimonium supponitur valere. Et accedit communis Ecclesiæ praxis, non invalidantis hujusmodi Matrimonia: ergo, &c.

13. *Facit tamē ipsum illicitum.*

Probatur secunda pars: Quia Concilium Calcedonense *Can. 14.* & *cit. cap. Decrevit*; prohibent graviter Matrimonia cum Hæreticis, eaque puniunt. Idem facit Concilium Carthaginense III. Agathense, &c. Et quia gravia incommoda, pericula subversionis, aliaque damna spiritualia nasci solent plerumque ex similibus Matrimonijs. Quapropter meritò priùs consuli debet Sedes Apostolica, vel in partibus nostris Germaniæ, à Roma remotioribus Ordinarius Loci, ut rem maturiùs examinet, & licentiam impertiatur Matrimonium celebrandi: quod etiam svadet Mastrius noster hìc, & alij Doctores. Circa *Impedimentum Vis.*

14. *Matrimonium initū metu gravi injustè est nullum.*

DICO quintò: Vis, seu metus gravis, injustè incussus ad extorquendum Matrimonium, dirimit Matrimonium, Jure Naturæ, & Ecclesiastico. Ita Nav: Ledesm: Reginal: Con: &c.

Probatur *de Ecclesiastico Iure*: Quia ita deciditur in *cap. Veniens, 2. de Sponsalibus.* Et *cap. 2. de eo, qui duxit in Matrimonium*; ergo, &c.

Probatur *de naturali*: Quia lumen naturæ dictat nullum contractum subsistere, sinè consensu voluntario: ergo nec contractus Matrimonij consistit.

15. *Non verò conclusum metu levi.*

NOTA sextò: Si metus sit tantùm levis, reverentialis, aut incussus ob alium finem, quàm celebrandi Matrimonium, non dirimit Matrimonium. Ita Brug: Nav: Sanch: Con: Ledes: &c. Vide plura de hoc suprà *d. 17. q. 4.* Circa *Impedimentum Ordinis.*

DICO

16. *Prima Tonsura non dirimit Matrimonium.*

DICO sextò: Prima Tonsura & 4. Minores non dirimunt Matrimonium, benè tamen Ordines omnes sacri suscepti posteà contractum, & hoc Jure tantùm Ecclesiastico. Ita Scotus *4. dist. 37. q. un.* & communis Theologorum, ac Canonist:

Probatur prima pars: Quia nullum extat jus, asserens primam Tonsuram, aut Ordines minores, seu non sacros, dirimere Matrimonium: ergo, &c.

17. *Ordines tamen sacri annullant contractum post Ordines susceptos.*

Probatur secunda pars: Quia ita determinatur *cap. 1. & 2. qui Clerici, vel voventes.* Et *cap. un. de Voto in 6.* Et Trident: *Sess. 24. Can: 9.* Et accedit congruentia, quia, ùt inquit Scotus cit: suscipiens Ordines Sacros deputatur ministerio sacro, quod munditiam requirit mentis, & carnis, & perspicacitatem intellectûs, & fervorem affectûs, ad quæ omnia disponit continentia, & ad eorum opposita carnales actus frequentati.

18. *Sed Iure purò Ecclesiastico.*

Probatur tertia pars: Quia nullo Jure Divino, aut naturali cavetur, ne Subdiaconus, Diaconus, aut Sacerdos Matrimonia contrahant; unde Ecclesia diu olim Græcis Sacerdotibus concessit usum Matrimonij ante ordinationem contracti, ùt patet in *cap. Cùm olim*, in Decretalibus *de Clericis Conjug.* ergo solo Jure Ecclesiastco Ordo sacer dirimit nunc Matrimonium.

QVÆSTIO VI.

De Impedimentis Ligaminis. Honestatis, & Affinitatis.

NOTA ex Doctore *4. dist. 33.* Per *Ligamen*, hìc intelligi, vinculum viri cum uxore, resultans ex contracto legitimo Matrimonio, sive rato, sive consummato.

1. *Iure Divino dirimitur Matrimonium per Ligamen prioris.*

DICO primò: Ligamen dirimit Matrimonium Jure Divino, & Ecclesiastico. Ita communis Canonistarum, & Theologorum.

Probatur *de Iure Divino*: Ex illo Marci 10. *Quicunq; dimiserit uxorem, & aliam duxerit, mœchatur*; Ex quibus verbis sic argumentatur Innocentius III. *cap. Gaudemus*, extra *de Divortijs*; *Si ergo uxore dimissâ duci alia non potest, quantò fortiùs ipsâ retentâ.* Accedit definitio Tridentini Sess: 24. Can: 2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures habere uxores, & hoc nullâ Divinâ Lege esse prohibitum, anathema sit*: ergo, &c.

2. *Etiam Ecclesiastico.*

Probatur *de Iure Ecclesiastico*: Ex *cap. 1. & 3. & ult. de Sponsa duorum*; & Trident: cit: Vide plura circa hoc *Distinctione 18. quæst. de indissolubilitate Matrimonij.* Circa *Impedimentum publicæ Honestatis.* Nota ipsum esse propinquitatem quandam Jure Ecclesiastico introductam, ortam ex sponsalibus inter sponsum ex una parte, & consangvineos sponsæ ex altera, & èecontra, aut natam ex Matrimonio rato, nondum consummato, inter maritum & consangvineos uxoris, & èecontra. Et dicitur publica Honestas, quia æqvum est, propter publicam Honestatem ac decentiam, ut Matrimonium impediatur inter personas, quæ sibi sunt factæ propinquæ ob sponsalia vel Matrimonium ratum.

3. *Qualiter publica Honestas orta ex sponsalibus prioribus dirimat Matrimonium?*

DICO secundò: Publica Honestas consurgens ex sponsalibus Jure tantùm Ecclesiastico dirimit Matrimonium cum consangvineis alterius sponsi in primo gradu: Consurgens verò ex Matrimonio rato, dirimit usque ad 4. gradum, & hoc etiam Jure Ecclesiastico tantùm. Ita Navarrus, Mastrius, Brug: Bonacinna, Sanch: &c.

Probatur prima pars: Ex Tridentino, quòd Sess: 24. cap. 3. restrinxit hoc impedimentum (quod olim usque ad 4. gradum extendebatur, sicut affinitas *cap. unico, de Sponsalibus,*) ad primùm tantùm gradum: ergo, &c. Quòd autem jure cit. Ecclesiastico tantùm dirimat, patet: quia de nullo Divino constat.

4. *Et qualiter orta ex Matrimonio rato.*

Probatur secunda pars: Ex Bulla Pij V. *Ad Romanum spectat*; ubi hoc impedimentum, ortum ex Matrimonio rato, extenditur ad 4. gradum, sicut ante Tridentinum extendebatur, quia, inquit Pontifex, Decretum Concilij Tridentini Sess: 34. cap. 3. *de Matrimonio*; *Duntaxat intelligendum esse de sponsalibus in futurum, non autem de Matrimonio contracto, sed in hoc durare adhuc impedimentum in omnibus casibus, & gradibus, quibus de Iure veteri inductum erat*: ergo, &c.

5. *Impedimentum publicæ honestatis Ecclesiastico Iure appositum est.*

Probatur tertia pars: Quia nullum ostendi potest Jus Divinum circa hoc: ergo solum Ecclesiasticum est.

6. *Olim ex invalidis etiã sponsalibus oriebatur hoc Impedimentum.*

DICO tertiò: Etsi Jure Veteri hoc Impedimentum dirimens Honestatis resultaret; ex sponsalibus etiam invalidis, dummodò non essent invalida ex defectu consensûs: Jure tamen novo Ecclesiastico ex solis validis consurgit. Ita Sanch: Henriq: Brug: Mastrius, &c.

Probatur prima pars: Ex *cap. unico, de Sponsalibus in 6.*

7. *Nunc verò ex solis validis.*

Probatur secunda pars: Ex Tridentino Sess: 14. cap. 3. *de Sponsalibus*. dicente: *Iustitiæ publicæ Honestatis impedimentum, ubi spon-*

sponsalia quæcunque ratione valida non erunt, S. Synodus prorsus tollit.

8. *Esti mutuò Consensu essent dissoluta.*

Quæres primò: An ex sponsalibus validis, mutuò tamen consensu dissolutis, oriatur Impedimentum publicæ Honestatis? Respondeo Affirmativè. Ita Branc: Bonac: Aversa, &c. contra Gutier: Sà, Caspensem, &c. Ratio est; quia illa sponsalia antea erant valida: ergo induxerunt statim impedimentum publicæ Honestatis, quod perseverat etiam sponsalibus dissolutis novô Consensu; cùm à voluntate contrahentium non dependeant Impedimenta Matrimonij, sed à Constitutione Ecclesiæ.

9. *Ex Matrimonio rato invalido consurgit etiam publica Honestas.*

Quærès secundò: An ex Matrimonio rato invalido consurgat publica Honestas? Respondeo Affirmativè, dummodo non fuerit invalidum defectu consensûs. Ita Valent: Sanch: Henriq: Rebel: &c. contra Nav: Sà, &c. Ratio est; quia non est recedendum à Jure Veteri, nisi aliter doceat Jus Novum: sed Jure Veteri *cap. Unico, de Sponsalibus, in 6.* oriebatur Honestas publica dirimens, & Jure novô non legitur restricta: ergo, &c.

10. *Quid nomine Affinitas?*

Circa *Affinitatem* NOTA eam ideò sic vocari, quòd quasi ad fines consangvinitatis accedat, ùt notat Scotus cit.

11. *Describitur Affinitas.*

DICO quartò: Benè describitur Affinitas; quòd *sit vinculum quoddam personæ ad personam, ex carnali copula licita, vel illicita, cum persona alteri consangvinea contractum.* Ita Scotus 4. dist. 41. & sui sequaces.

Probatur: Quia hæc definitio est formata secundùm Regulas Dialecticas exactæ definitionis: ergo, &c. Ly *Vinculum*, est genus, in quo Affinitas convenit cum consangvinitate: reliqua ponuntur pro differentia, & signanter per ly *ex carnali copula proveniens*, distingvitur à consangvinitate, additur *licita, vel illicita*, quia contrahitur etiam per illicitam copulam hoc Impedimentum.

12. *Inter quas personas nascatur Impedimentū Affinitatis.*

NOTA itaquè primò: Affinitatem contrahi ex una parte inter consangvineos cognoscentis mulierem, & ex alia parte inter ipsam mulierem carnaliter cognitam tantùm: similiter ècontra inter consangvineos mulieris cognitæ, & inter ipsum virum cognoscentem præcisè. Unde deducitur, consanguineos cognoscentis nullam contrahere Affinitatem cum consangvineis mulieris cognitæ: quare duo Fratres germani possunt ducere duas Sorores, & Filius potest inire Matrimonium cum illa, cujos Matrem Pater ejus duxit, & habetur *cap. Super his, de Consangvin: & Affinit:* estquè communis doctrina Theologorum, Canonistarum, & Juristarum, ex qua nata est hæc communis Regula: *Affinitas Affinitatem non parit.*

13. *Doctrina Scoti pro cognoscenda distantia Affinitatis.*

NOTA secundò: Quòdsi Paulus cum Petronilla habeat copulam, fit Affinis cum consangvineis Petronillæ: & idem dic, de consangvineis Pauli respectu Petronillæ: Unde rectè dicit Scotus cit: quod Affinitas gradus non habeat, sed distantia, & propinquitas ejus est mensuranda joxta distantiam, & propinquitatem graduum consangvinitatis cum persona illa, per quam nascitur Affinitas. Ad cognoscendam autem Affinitatis distantiam, & propinquitatem sequentem ponit Regulam Scotus citatus: *Quo gradu Consangvinitatis aliquis distat ab alio, sive per lineam rectam, sive per Transversam, eodem gradu Affinitatis ab eodem, sive per lineam rectam, sive transversam distat illa, quæ est ab isto carnaliter cognita:* v. g. si Petrus cognoscat Paulam, quæ habet Fratres, Sorores, Patrem, & Matrem; tunc Fratres, & Sorores Paulæ, fiunt Affines Petro in primo gradu lineæ transversæ, Pater verò, & Mater Paulæ fiunt Petro Affines in primo gradu lineæ rectæ: & sic deinceps.

14. *Ex perfecta tantùm copula oritur hujusmodi Impedimentum.*

NOTA tertiò: Hoc Impedimentum Affinitatis consurgere tantùm ex perfecta copula carnali, ex qua videlicet sequi valeat vera generatio prolis ex commixtione seminum; ùt notant communiter Doctores, & colligitur ex *Can: Lex Divina*: quare ex congressu spadonum, vel concubitu Sodomitico, non oritur ulla Affinitas realis.

15. *Quod resultat etsi esset involuntaria copula.*

NOTA quartò: Etiam ex copula perfecta, involontariè habita, v. g. in ebrietate, insania, igoorantia, vel cum muliere coacta nasci Affinitatem; ùt tenet receptior Doctorum sententia. Et de muliere coacta habetur manifestè, *cap. Discretionem*: de alijs verò est ratio; quia & vi talis copulæ nata est sequi proles, & fit vera seminum permixtio, quod in Jure sufficit pro inducenda Affinitate.

16. *Inter carnaliter se cognoscentes Iure Natura nascitur Affinitas.*

NOTA quintò: Quòd ipso Jure Naturæ oriatur Affinitas inter 2. personas se carnaliter cognoscentes. Ratio est; quia mediante copulâ ex ipsa natura fiunt una caro, & unum principium generandæ prolis, & consequenter utriusque sangvis sangvinem alterius Conjugis attingit.

17. *Quàm procul se extendat Impedimentum Affinitatis?*

DICO quintò: Affinitas, quæ consurgit ex legitimo toro, hodie dirimit Matrimonium usque ad 4. Gradum, ex illegitimo usque ad secundum inclusivè: & hoc solô Jure Ecclesiasticô. Est communis Canonistarum, & Theologorum.

Qqq Pro-

Probatur prima pars: Ex *cap. Non debet, de Consanguinitate, & Affinitate.*

Probatur secunda pars: Ex Tridentino Sess: 24. cap. 4. *de Reform. Matrimony.*

Probatur tertia pars: Quia nullum extat Jus Divinum de hoc Impedimento: ergo, &c.

In dubio superveniente, inspice sequens Schema Affinitatis.

Schema Affinitatis.

Relictus Relicta Fratris.	*Vxor Fratris olim relicta.*	*Frater.*	PRIMUS GRADUS.	*Soror.*	*Vir Sororis olim.*
	Vxor Filij Fratris.	*Fratris Filius.*	SECUNDUS GRADUS.	*Sororis Filia.*	*Vir Filiæ Sororis.*
	Vxor Nepotis Fratris.	*Fratris Nepos.*	TERTIUS GRADUS.	*Sororis Neptis.*	*Vir Neptis Sororis.*
	Vxor Pronepotis Fratris.	*Fratris Pronepos.*	QVARTUS GRADUS.	*Sororis Proneptis.*	*Vir Proneptis Sororis.*

QVÆSTIO VII.

De Impedimentis Impotentiæ; Defectûs præsentiæ Parochi & Testium, ac de Raptu.

1. *Alia est impotentia perpetua, alia temporanea ad consummandum Matrimonium.*

NOTA primò: Ex Doctore 4. dist: 34. Impotentiam esse inhabilitatem quamdam ad consummandum Matrimonium. Et est duplex: alia perpetua, & non medicabilis, alia temporanea, & curabilis per media medica: Item alia est absoluta, ut si Plautus cum nulla persona possit consummare Matrimonium, alia est respectiva, ut si non possit cum hac, potest tamen cum alia determinata.

2. *Vnde oriatur Impotentia.*

NOTA secundò ex eodem Doctore: ex duplici capite oriri posse Impotentiam: *Primò*; Ex dispositione naturali, puta si fœmina arcta nimis, vel frigida sit, si vir habeat mutilata virilia, aut testes. *Secundò*; Ex maleficio, si ope dæmonis ligetur potentia ad coëundum, vel seminandum.

3. *Impotentia perpetua absoluta antecedens dirimit Matrimonium.*

DICO primò: Impotentia absoluta perpetua naturalis, antecedens Matrimonij contractum, dirimit Matrimonium. Ita Scotus 4. d. 34. qu. 1. S. Bonavent: Branc: Hiq: & Theologi, ac Juristæ. Et hoc verum est, etsi alteri parti cognita fuisset, & Matrimonium celebratum esset tantùm ob solam mutuam Societatem vitæ, cum intentione servandi castitatem.

Probatur primò ex Jure Canonico, quod diversis titulis *de Frigidis, & maleficiatis*, statuit impotentiam pro Impedimento dirimente: & præsertim *cap. Consultationi*; & *cap. Laudabilem*; ubi absque ulla limitatione cognitæ, vel incognitæ impotentiæ, aut ob mutuam vitæ Societatem tantùm, dicit absolutè, quando adest impotentia ad coitum, fœminam non posse haberi, ut uxorem, sed tantùm ut sororem. Idem ordinatur indefinitè in Constit: 59. Sixti V. *Cùm frequenter* (inquit Pontifex) *secundùm Canonicas sanctiones, & naturæ rationem qui frigida natura sunt, & impotentes, iidem minimè apti ad Matrimonia contrahenda reputantur.*

4. *Ratio Scoti pro ostenso asserto.*

Probatur secundò ratione Doctoris citati: Contractus Matrimonialis est datio potestatis corporum ad copulam, si petatur; sed impotens simpliciter non habet talem potestatem ad copulam: ergo non potest eam dare; & sic neque contrahere. Unde apparet etiam Jure naturæ hoc Impedimentum dirimere Matrimonium.

5. *Spadones invalidè contrahūt Matrimonia.*

Ex dictis infertur: Spadones, & Eunuchos, utroque teste carentes, invalidè contrahere Matrimonium: Quod & resolvit Sixtus V. in suo Motu proprio cit: a Gut: Item viros senes, ita exhaustos, ut nullo medio juvari possint ad perficiendam copulam: Et fœminas perpetuò arctas, etsi humanâ ope dilatari possint, per periculosam valdè incisionem, vel per miraculum, ùt docet Sanch: Laym: &c.

DICO

6. *Temporanea absoluta Impotentia non dirimit Matrimonium.*

DICO secundò: Impotentia absoluta temporanea; etsi esset incognita alteri parti, non dirimit Matrimonium. Ita Scotus citatus, & aliorum communiter DD.

Probatur ex *cap. Fraternitatis.* Et est ratio; quia finis Matrimonij, cum tali Impotentia ad tempus, haberi potest, nam licèt impotens modò reddere non possit debitum, poterit tamen posteà, curatâ Impotentiâ, & benè potest quis obligari pro debito, quod de præsenti non est solutum, sed pro tempore, quo solvendum erit; ùt observat Sanch: lib: 7. n. 92. & alij post ipsum.

7. *Impuberum Impotentia an dirimat Matrimonium?*

NOTA tamen: Hìc excipi à conclusione Impotentiam temporaneam, natam ex deficiente ætate Impuberum, quæ dirimit Matrimonium; ùt habent plura capita Juris Canonici. sub Tit: *de Desponsatione Impuberum;* subsistit tamen & horum Matrimonium, si malitia suppleat eorum ætatem; ùt observat Scotus cit. & deducitur ex *cap. De illis;* & *cap. Puberes,* &c.

8. *Impotentia absoluta antecedens perpetua causata à maleficio, annullat Matrimonium.*

DICO tertiò: Etiam Impotentia absoluta antecedens, nata ex maleficio, dirimit Jure Ecclesiasticô, & naturali Matrimonium, si perpetua fit, secùs si temporanea. Ita Scotus cit: Caspensis, Branc: Sanch: &c.

Probatur prima, & secunda pars: Quia ita jura statuunt *Tit. de Frigidis, & Maleficiatis.* Et quia ex Jure naturæ apparet in maleficiatis esse impossibilem traditionem corporis: *Impossibilium autem* ex Reg: 145. *ff. nulla est obligatio, & inhabilis ad solvendum, est etiam inhabilis ad promittendum:* ergo, &c.

9. *Non autem si sit temporalis.*

Probatur tertia pars: Quia etsi modò non; tamen alio tempore tradi potest corpus maleficiati ad usum conjugalem: ergo temporanea Impotentia ex maleficio non dirimit Matrimonium.

10. *Triennium concedunt Iura pro experienda Impotentia.*

NOTA autem: In *cap. Finali, de Frigidis, & Maleficiatis:* pro cognoscenda Impotentia perpetua ex maleficio, & in *cap. Laudabilem,* pro Impotentia perpetua naturali triennium esse assignatum, quo tempore licitè impotentes conari ad copulam, etsi per accidens pollutio sequatur. Trienniô autem elapsô, nullâ secutâ emendatione physicâ in natura ad coëundum, toro separari debent, & potens potest ad alia vota transire; ùt habet communis Canonistarum, & Theologorum.

11. *Impotentia etiam respectiva perpetua irritat Matrimonium Iure*

DICO quartò: Impotentia pariter respectiva, ex quacunque causa proveniat, si perpetua fit, & antecedens, dirimit Matrimonium Jure Naturali, & Ecclesiasticô. Ita Fonseca Hurtad: Meratus, &c.

Probatur quòd *Iure Ecclesiastico:* Ex *cap. Fraternitatis.* Et *cap. 33. qu: 1.* Et est ratio, quia etsi talis respectiva Impotentia non impediat ab omni Matrimonio, impedit tamen cum illa persona, respectu cujus est, sine spe ordinariæ curationis: ergo, &c. *Ecclesiastico & naturali.*

Probatur *de naturali:* Quia traditio corporis censetur esse impossibilis respectu hujus personæ: ergo, &c.

12. *Quid sentiendum de Matrimonijs Hermaphroditorū?*

Quæres; An Hermaphroditi, tanquam impotentes, sint repellendi à connubio? Respondeo primò: Si habeant sexum æqualem, ita ut copulam peragere possint, possunt admitti ad Matrimonia, & contrahere secundùm sexum, quem elegerint, præstitô Juramentô, se nunquam usuros altero sexu, durante Matrimoniô. Ita Canon: *15. Presbyteros 16. qu. 1.* Quòd si facti fuerint vidui, possunt secundùm alterum sexum contrahere. Respondeo secundò: Si prævaleat unus sexus, aptus ad copulam, possunt pariter secundùm illum admitti ad contrahendum Matrimonium. Ita *L. Quæritur. ff. de Statu hominum.* Respondeo tertiò: Si deficiat sexus unus v. g. virilis, ita ut copulam exercere nequeant, repellendi sunt à Matrimonio contrahendo secundùm illum sexum deficientem, & si contrahant secundùm eundem, dirimitur Matrimonium. Colligitur ex *L. Quæritur;* ubi dicitur: si prævaleat in Hermaphrodito sexus fœmineus censetur fœmina, sed contractum Matrimonium fœminæ cum fœmina dirimitur: ergo, &c.

Circa defectum *Absentiæ Parochi, & Testium;* qualiter dirimat Matrimonium, vide dicta suprà disp: 17. q. 3.

13. *Quid sit Raptus.*

Circa *Impedimentum Raptûs*, NOTA: Raptum, *esse violentam abductionem fœminæ renitentis de loco ad locum, causâ explendæ libidinis, vel contrahendi Matrimonij;* ùt passim definiunt Canonistæ. Dixi *violentam abductionem:* nam si mulier abducatur à Parentibus consentiens, non est Raptus propriè dictus.

14. *Qualiter Raptus nūc dirimat Matrimonium?*

DICO quintò: Etsi Jure antiquô Raptus non dirimeret Matrimonium, ita ut metu, & violentiâ cessante, possit fœmina, etiam non restituta loco tuto, contrahere cum raptore: Jure tamen novô dirimit. Ita Summistæ, & Theologi omnes.

Probatur prima pars: Ex *cap. Finali, de Raptoribus.* Probatur secunda ex Tridentino Sess: 14. c. 6. *de Reformatione Matrimonij,* dicente: *Inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere Matrimonium.* Et addit deinde S. Synodus particulares pœnas pro raptoribus, dicens: *Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor*

raptor in uxorem habet, & nihilominùs raptor ipse, ac omnes illi Consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipsô factô excommunicati, ac perpetuò infames, omniúmq; dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant, &c. Tenetur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Iudicis dotare. Jure verò Civili raptor morte debebat puniri si puella fuit honesta, per *L. un: de Rapts Virg:*

24. *Mulier virum abducens non committit Raptum.*

NOTA denique: Si mulier rapiat virum, non dirimitur Matrimonium, ùt tenet communis Doctorum. Quia Tridentinum tantùm loquitur de viro rapiente, loco cit: ergo cùm odiosa sit Lex citata, est restringenda ad Raptum solius mulieris.

QVÆSTIO VIII.

De Impedimentis non Dirimentibus Matrimonium, & Dispensationibus super ejus Impedimenta.

1. *Interdictum Ecclesiæ impedit Matrimonii contrahendû.*

NOTA: Inter Impedimenta quibus Matrimonium redditur illicitum, non tamen irritum. *Primò*: statuitur *Interdictum Ecclesiæ*: si videlicet Ordinarius Pastor certis personis ob justam causam, v. g. ut Objecti Impedimenti veritas ostendatur, Matrimonium interim interdicat.

2. *Similiter tempus feriatum.*

Secundò: Ponitur *Tempus feriatum*; scilicet ab Adventu Domini, usque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, usque in diem Octavum Paschatis inclusivè, quibus temporibus nuptiæ solemnes sunt interdictæ: habetur in Tridentino Sess: 24. c. 10.

3. *Non autem cognatio antiqua spiritualis.*

Tertiò: Ponebatur *cognatio spiritualis* antiquitùs, quæ contrahebatur ab eo, qui in Cathechismo, pro persona baptizanda, Sacerdoti interroganti respondebat, sed hoc Impedimentum jam est penitùs sublatum secundùm omnes DD.

4. *Sponsalia priora impediunt contrahi Matrimonium cum alia.*

Quartò: Ponuntur *sponsalia*, priùs celebrata cum alia persona, ea enim legitimè contracta, nisi justa de causa dissolvantur, impediunt, ne Matrimonium licitè cum alia contrahatur.

5. *Item Votum simplex.*

Quintò: Ponitur *Votum* simplex castitatis, vel ingrediendæ Religionis, vel suscipiendi Sacros Ordines, vel non nubendi. Ratio est; quia Matrimonium repugnat adimpletioni hujusmodi voti.

Ponebantur Jure antiquô etiam aliqua crimina, impedientia Matrimonium, puta uxoricidium, Presbytericidium, incestus, raptus sponsæ alienæ, &c. Pœnitentia item publica, quæ tamen juxta Cordubam, Navar: Sanch: Con: &c. per diuturnam consvetudinem penitus sunt ablata. Omnia ista Impedimenta non dirimentia sequenti versu exprimuntur:

Interdico, dies, crimen, sponsalia, Votum.

Circa *Dispensationem* in Impedimentis Matrimonij.

6. *In Impedimentis Iure Divinô, vel naturali dirimentibus solus DEUS potest dispensare.*

DICO primò: In Impedimentis, dirimentibus Jure naturali, vel Divinô solus DEUS potest dispensare de factô. Ita communis Doctorum.

Probatur: Quia, ut ostendo in Tractatu *de Legibus* dist: 2. q. 4. Conclusione 2. Et dist. 2. q. 4. Conclusione 8. Papa nequit ullam Dispensationem, propriè dictam, exercere, in Leges naturales, & Divinas: ergo neque in Impedimenta Lege naturali, vel Divinâ dirimentia.

7. *In aliis omnibus Papa ordinariè.*

DICO secundò: In Impedimentis dirimentibus solô Jure Ecclesiasticô, potest per se loquendo dispensare solus Pontifex, & consequenter in voto solemni Religionis ex justa causa. Prima pars est communis. Secunda est Scoti 4. dist. 38. q. un. Scotistarum omnium, & Sanch: Lessij, Conink, Bonacinnæ, & aliorum RR. contra D. Thomam, & Thomistas.

Probatur prima pars: Quia in praxi observamus, Summos Pontifices in hujusmodi Impedimentis passim dispensare: & quia sunt Juris communis scripti, sive consvetudinarij, in quod Papa habet potestatem: ergo, &c.

8. *Quandoque etiam Episcopus.*

Dixi *per se loquendo*: Quia per accidens, & ex tacita concessione Papæ, potest Episcopus dispensare in Matrimonio invalido, occulto tamen, & bonâ fide contracto, & si non possint Conjuges absque scandalo separari à se invicem, nec ad Papam, vel Nuncium sit facilis recursus, ùt notat Navar: Præp: Sanch: Sylv: Henriq: &c.

9. *In solemni Voto Religionis etiã Papa potest dispensare.*

Probatur secunda pars de voto solemni Religionis primò: Non est limitanda potestas Vicarij Christi, nisi Lex, vel inconveniens aliquod obstet: sed hîc nil horum obstat: ergo, &c. Deinde hujusmodi potestas est Summo Pontifici quandoq; summè necessaria, pro bono Ecclesiæ gubernio, & pace, v. g. si eveniret casus, quô integrum regnum propter unum Religiosum, solemniter professum, ex stirpe Regia descendentem, bellis quateretur, nisi is uxorem duceret: ergo dicendum est, Papam posse dispensare in voto solemni Religionis.

Pro-

Probatur secundò eadem pars: Alexander III. ut refert Surius, actu dispensavit cum Nicolao Justiniano Monacho, ut Matrimonium posset contrahere: & Papa Cœlestinus dispensavit cum Sanctimoniali, Filia Rogeri Regis Siciliæ, ut Henrico VI. Regi nuberet: ergo cum ab actu ad potentiam valeat consequentia, possunt Summi Pontifices dispensare, etiam in voto solemni castitatis.

10. *Thomistarū fundamentum infringitur pluribus.*

Objicies fundamentum Thomistarum: Votum solemne irritat Matrimonium, non tantùm Jure Ecclesiasticô, sed etiam naturali, & Divinô: ergo nequit Papa in eo dispensare. Respondeo Negando Antecedens, cujus falsitas sequentibus rationibus ostenditur. *Primò*: Quia antequam Ecclesia constitueret vota solemnia Religionis, erant tantùm vota simplicia, quæ tamen Jure naturali, vel Divinô non dirimunt Matrimonia, sed tantùm impediunt, adeoque Jus dirimendi in votis solemnibus ex solo Jure Ecclesiastico provenit. *Secundò*: Per vota simplicia Societatis JESU fiunt veri Religiosi; uti declaravit Gregorius XIII. in Bulla *Ascendente Domino*, & tamen dicta vota non dirimunt Jure Naturæ, vel Divinô Matrimonium, sed tantùm virtute Bullæ citatæ Pontificiæ, & consequenter Jure Ecclesiasticô. *Tertiò*: Si aliqua causa seu ratio esset in voto professionis solemnis, ob quam irritarent Jura Matrimonium, esset perfecta traditio, & translatio Dominij, quæ fit à profitente, ut volunt Thomistæ: sed ob hanc non irritant: ergo, &c. Probatur Minor *primò*: Etiam in voto simplici est talis traditio, & translatio Dominij, quia Jesuitæ per professionem trium votorum simplicium se tradunt Religioni; ùt habet Gregorius XIII. cit: & tamen illa traditio, & translatio non irritat Matrimonium: ergo, &c. Probatur *secundò* eadem Minor: Traditio sui in Religionem, & traditio in Matrimonium, non repugnant inter se ex natura rei, cùm sint alterius Ordinis, & generis, sicut nec traditio in servum inhabilitat ad contrahendum deinde Matrimonium: ergo ob hujusmodi traditionem sui, & translationem Dominij in Religionem, Jure naturali non dirimitur Matrimonium, sed solo Ecclesiastico, quòd solùm solemnitatem votorum invexit, ùt benè ostendit Hiqo: Mastrius, & alij: quæ solemnitas consistit in hac ipsa irritatione Matrimonij, ab Ecclesia superaddita voto Religionis; ùt habet Scotus 4. dist: 38. quæst: un: Bassolius, Tartaretus, & alij Scotistæ, non verò in traditione perfecta profitentis.

11. *Ut Papa dispenset in Impedimentis Matrimonij debet subesse justa causa.*

DICO tertiò: Pontifex regulariter debet habere justam causam dispensandi in Impedimentis Matrimonij. Ita communis Canonistarum, & Theologorum.

Probatur: Quia ita ordinat Tridentinum Sess: 24. cap. 5. *De Reform: Matrimonij*; & quia omnis Dispensatio petit justam causam, ùt habet idem Tridentinum Sess: 25. cap. 18. & doceo Tract: *de Legibus*, distinct: ultima. quæst: 2. ergo & Dispensatio Impedimentorum Matrimonij.

12. *Assignantur causæ, quæ allegari possunt in petendis dispensationibus.*

NOTA autem: Sequentes causas numerari ab Henriqu: Sà, Sanch: Reginal: Ledesma, Gutier: Navar: & cæteris Doctoribus, ut sufficientes, & justas. *Prima* est Bonum pacis per Conjugium obtinendum. Huc refer extinctionem inimicitiarum capitalium, litium civilium, & aliarum discordiarum, & præventionem similium, ne fiant: ne homicidia, infamiæ, pericula subversionis in fide, & incontinentiæ oriantur. *Secunda* Defectus paris Conjugij in hoc loco, nisi cum sanguine junctis. *Tertia*: Exigua aut nulla Dos, ratione cujus nequit inire Matrimonium cum extraneo æquali. *Quarta*: Conservatio splendoris, & magnarum opum, quas hæres alioquin transferret ad extraneos, nisi sanguine junctum ducat in Conjugem. *Quinta*: Recognitio Excellentium & memorabilium meritorum in Ecclesiam ex parte petentis Dispensationem, vel ejus, pro quo petitur. *Sexta*: Convalidatio Matrimonij, bonâ fide celebrati, saltèm ex una parte, quæ detectô Impedimentô dirimente Matrimonium, supplicat pro Dispensatione. *Septima*: Resarcitio honoris ablati à muliere violata, & legitimatio, ac debita educatio prolis antea susceptæ. *Octava*: Est acceptatio notabilis mulctæ, vel alterius pij operis, quod supplicans vult præstare ob obtentam Dispensationem. Hôc mediô frequenter petuntur dispensationes à Papa sub clausula *sine causa*; subintellige, ex illis septem, antea numeratis, sed non sine hac octava.

13. *Episcopus potest dispensare in Impedimentis tantùm impedientibus exceptô votô Castitatis & Religionis.*

DICO ultimò: In Impedimentis impedientibus tantùm, potest dispensare Episcopus, exceptô votô simplici Castitatis, & Religionis. Ita communis DD.

Probatur: Quia ita docet praxis Episcoporum, à Summo Pontifice tolerata, quæ jam videtur Jus consvetudinarium introduxisse in favorem Episcoporum: ùt notat Zypæus in Analysi Juris Pontific:

Rrr NOTA

14. Episcopus pariter dispensat in Impedimentis petitionem debiti.

Nota: Episcopos etiam posse dispensare in Impedimentis, quæ superveniunt Matrimonio, impedientibus petitionem debiti, cujusmodi sunt Affinitas, vel cognatio spiritualis. Ita Sanchez, Sà, Henriqu: &c. Et est ratio, quia nullo Jure leguntur prohibiti Episcopi ab hujusmodi dispensatione.

❧ (o) ❧

F I N I S.

Totum hunc Tractatum, & quosvis alios, humiliter subjicio Ecclesiæ Romanæ correctioni.

TRA-

TRACTATUS
DE
LEGIBUS

PROOEMIUM.

DE LEGIBUS tractat Jurisconsultus, & Theologus, sed dispari ratione: Jurisconsultus enim illas examinat & proponit, ut regulas directivas Fori Politici, & inductivas justitiæ: Theologus verò Leges scrutatur & producit; ut normas directrices actuum humanorum, ordinantes viatorem ad ultimum finem Beatitudinis supernæ assequendum. De his proinde ùt substant ejusmodi conceptui & Ego hìc.

DISTINCTIO I.

DE LEGE IN COMMUNI, ET IN SPECIE DE NATURALI, ET POSITIVA UT SIC.

QVÆSTIO I.

De Definitione vera Legis, ejusque Divisionibus, Causis, & Effectibus.

1. *Multiplex Legis Derivatio.*

NOTA primò: Nomen Legis derivativè inspectum, originari, vel à *Legendo*, ut notat Isidorus Lib. 10. *Etymologiarum*, c. 10. eò quòd Leges apud Veteres Resp: tabulis insererentur, & populo congregato legerentur. Vel à *deligendo*; ùt arbitratur Cicero Lib. 1. *de Legibus*; cùm lux ostendat, quid sit præeligendum. Vel à *delegando*; quia vigore Legis Jus suum unicuique delegatur, seu assignatur. Vel tandem, & melius à *Ligando*: siquidem Leges ligant subditos, quibus feruntur. Et in hac derivatione, utpote magìs propria.

2. *Definitio Legis in communi.*

DICO primò: Lex ut sic benè definitur, quòd *sit Regula justa, stabilis, communis, promulgata, lata ab eo, qui potestatem habet, obligans Naturam rationalem, ut illi se conformet.*

Probatur: Quia definitio est formata ad Regulas Dialecticas Bonæ Definitionis: ergo eà benè definitur Lex ùt sic. Ly *Regula* est genus: reliqua, quæ Legis conditiones, ac proprietates insinuant, elucidabuntur, & probabuntur infrà, quæst: 2.

Circa Divisionem Legis ùt sic, neglectâ dismembratione quadruplici difficili RR. & D. Thomæ 1. 2. quæst: 91.

3. *Lex alia Divina, alia Humana.*

NOTA primò: Eam optimè primò partiri in *Divinam*, & *Humanam*; cujus partitionis ratio inde constat, quia omnis Lex est, vel à DEO, vel ab homine.

4. *Lex Naturalis, & Positiva.*

Secundò: Lex *Divina* subdividitur in Naturalem, & Positivam. *Naturalis* est regula directrix insita creaturæ, à Creatore, juxta illud Scripturæ: *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine*; hæc promulgatur ipso rationis judicio. *Lex Divina*

Posi-

Positiva est illa, quæ ultra regulas creaturæ à Creatore manifestatas per intellectum, ponit adhuc alias regulas, ordinativas hominis ad finem supernaturalem. Tertiò: Hæc Positiva secatur in Veterem, & Novam. Quæ notæ sunt. Quartò: Humana autem in *Canonicam*, & *Civilem*, & hæ rursus in varias alias species descendunt; ùt in Leges Pœnales, Favorabiles, Affirmativas, Negativas, &c.

5. *Lex Vetus, & Nova.*
6. *Lex Canonica, & Civilis.*

Circa Causas Legis.

7. *Causa Finalis Legis quæ?*

NOTA secundò: Causam *Finalem* Legum, esse bonum commune, seu felicitatem communitatis, vel illius individui, cui dator. *Formalis* est norma justitiæ, tam Legalis, quàm distributivæ & commutativæ. *Materialis*, seu Subjectiva, est Voluntas Legislatoris. *Efficiens* est Superior Legitimus.

Circa Effectus Legis.

8. *Effectus Legis.*

NOTA tertiò: Primarium ejus Effectum esse obligationem, quam Lex inducit, sub quo comprehenduntur alij Effectus recensiti ab Isidoro Lib. 1. Etym: c. 19. nimirùm præcipere, vetare, punire, permittere, &c. Habet præterea Effectum hunc singularem Lex, ut subditos faciat bonos, deterrendo à peccatis, dum demonstrat bonum conveniens creaturæ rationali.

QVÆSTIO II.

De Conditionibus, & Affectionibus Legis.

1. *Legis conditiones plures.*

TAmetsi in definitione Legis primi quæst: statuta conclusum sit, Legem debere habere quandam justitiam, communitatem, stabilitatem, promulgationem, &c. quæ sunt Legis Conditiones: quia tamen à quibusdam in dubium revocantur, volo singulas breviter probare.

2. *Omnis Lex debet esse justa.*

DICO itaque primò: Omnis Lex, ut obliget, debet esse justa, & justè lata per se loquendo. Ita D.Thomas quæst: 96. Sylv: Suar: Layman, & alij DD.

Probatur primò: Ex Isidoro Lib. 5. c. 2. *Lex*, inquit, *erit omne quod ratione constiterit, quod Religioni congruat, quod disciplinæ conveniat.* Et S. August: Lib. 19. *de Civit. Dei*, cap. 21. *Quod iure fit, justè fit, quod autem fit injustè, nec jure fieri potest*: ergo, &c.

3. *Legis Iustitia ratione ostenditur.*

Probatur secundò ratione inducta ab August: cit: omnis potestas est à DEO, quæ autem à DEO sunt, ordinata sunt, & justa, ex Apostolo *ad Rom.* ergo potestas Legislativa, ut possit habere effectum aliquem, debet procedere secundùm justitiam primæ Veritatis, adeoque Lex ab ea lata debet esse justa.

4. *Cur libellus repudij & usura fuerint permissa.*

Objic: Lex Vetus permisit libellum repudij, sed hoc est injustum: ergo ipsa lex fuit injusta. Confirmatur: Leges humanæ aliquæ permiserunt usuras, & meretrices, sed hoc pariter est injustum: ergo, &c. Respondeo Neg: Min: utriusque Argumenti; Leges enim illæ habebant pro fine principali, majus bonum commonitatis: nam ad evitandum uxoricidium, permissum est Judæis illud repudium: & ad evitanda adulteria, aliaque mala, tolerantur in Republica meretrices: verbò hic intervenit tantùm materialis injustitia, non formalis.

5. *Omnis Lex debet esse stabilis.*

DICO secundò: Lex etiam debet esse stabilis, seu perpetua. Ita Herincx, Layman, & Legistæ communiter, cum Theologis. Intelligitur autem hic per *stabilitatem* duratio Legis, quamdiu manet moraliter communitas, cui fertur, nec mutatur causa, ob quam fertur.

Probatur: Ex cap. ult: *de Officio Legati*, ubi declaratur, quòd statuta edita à Legato in sua Provincia perpetua sint: ergo,&c.

6. *Ratio pro Legis stabilitate.*

Probatur secundò ratione: Per hanc stabilitatis conditionem Lex principaliter distingvitur à præcepto, quod cessat morte ferentis, naturali, vel civili, aut subditi, non sic autem Lex; ùt notat Abbas in *cap. Irrefragabiliter §. cæterum, de Officio Ordinarij.*

7. *Alia ratio ad idem.*

Eadem stabilitas Legis usu omnium Gentium benè institutarum comprobatur. Et meritò, quia cum Status Communitatis sit stabilis, congruit eam per Regulas stabiles dirigi: ideoquè multa variatio in Legibus Rempublicam moltùm quandoque difformat, & conturbat.

8. *Lex debet esse ordinata pro communitate.*

DICO tertiò: Lex per se semper respicit communitatem, seu multitudinem. Ita communiter Theologi, Herincx, Layman, &c.

Probatur primò: Ex *L. 1. ff. de Legibus*; ubi determinatur: *Legem esse præceptum commune, & communem Reipublicæ sponsionem.*

9. *Vti patet ex Legibus solemnibus hactenus promulgatis.*

Probatur secundò: Inducendo solemniores Leges hactenus latas: nam Lex naturalis respicit totum genus humanum: Mosaica totam communitatem Judaicam. Evangelica omnes in toto mundo, maximè Christianos. Canonica omnes Ecclesiasticos. Civilis omnes sæculares in illa Republica. Unde generaliter dicitur *L. Iura ff. de Legibus*; quòd Jura non in singulas personas, sed generaliter constituantur, id est, pro multitudine aliqua.

10. *Lex debet*

DICO quartò: Lex, ut obliget, debet esse

esse promulgata necessariò.

esse promulgata. Ita Scotus 4. dist. 3. q. 4. D. Thomas, & communior DD.

Probatur primò: Ex cap. *Instis*, dist: 4. ubi dicitur: *Leges instituuntur, dum promulgantur, firmantur, dum moribus utentium approbantur.* Et ex cap. 1. *de Concessione præbende* in 6. *Lex, constitutio, & mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, nisi post tempus, infra quod ignorari non debuissent.*

11.
Lex debet ferri ab Authoritatem habente.

DICO quintò: Ad Legem pariter requiritur, ut feratur ab habente authoritatem publicam. Est communis sensus DD.

Probatur: Si quivis privatâ pollens authoritate posset ferre Leges, Respublica nimiâ Legum copiâ, & contradictione turbaretur, quod tamen Leges debent avertere, cùm ad ordinem, & pacem Rerumpublicarum ordinentur: ergo, &c.

Quæres: An Lex debeat semper respicere bonum commune? Respondeo Affirmativè habetur *L. 1. ff. de Legibus.* Et in cap. *Erit autem.* dist: 4. dicitur. *Erit autem Lex honesta, nullô privatô commodô, sed pro communi Civium utilitate conscripta.* Unde tametsi quandoque conficiantur Leges aliquæ solius Principis bonum respicientes, uti fit in impositione Tributorum, & similium: in his tamen casibus etiam intenditur commune bonum, saltèm mediatè, quia cedit in bonum commune, ut illis Tributis Princeps debitè alimentetur, qui Rempublicam defendit, & promovet.

QUÆSTIO III.

Quid sit Lex Naturæ, & in quo actu consistat formaliter Lex Naturalis, & Positiva?

1.
Definitio Legis Naturalis.

DICO primò: Lex Naturalis aptè describitur dicendo, quòd *sit Regula Divinæ Voluntatis justa, stabilis, communis, naturæ rationali à DEO intimata per lumen congenitum, obligans ad sui conformationem.*

Probatur: Ex sufficientia Conditionum Summulisticarum bonæ descriptionis, quam hæc descriptio habet: ergo, &c.

[illegible]
Principia Legis Naturæ quæ?

NOTA autem primò: Ad Legem hanc Naturalem spectare omnia prima principia practica morum Primæ Tabulæ obligantia naturam: Item omnes Conclusiones Secundæ Tabulæ, ex eis deductas.

3.
Differentes sententiæ PP. circa Legem Naturalem.

NOTA secundò: Varias esse DD. mentes circa actum in quo consistat formaliter Lex Naturalis. Primò Vasqu: & videtur huic adhærere noster Poncius in *Comment: Tertij*, & Herincx hìc disp. 1. qu. 4. tenet Legem Naturalem, vel esse ipsam hominis naturam intellectivam, vel originaliter ipsam DEI naturam, antecedenter ad omnem actum intellectûs, vel voluntatis conceptum. Secundò: Valentia Cajet: & alij docent Legem Naturalem esse judicium, quô intellectus propriò instinctu, absque ullo respectu, ad voluntatem, vel imperium alterius, judicat hoc esse faciendum, illud omittendum, vel consistere formaliter in habitu inclinante ad tale judicium. Tertiò: Alij docent Legem Naturæ consistere in ijs ipsis propositionibus objectivis, v. g. *bonum esse amandum, malum fugiendum*; quæ determinant intellectum hoc esse conveniens, illud disconveniens Naturæ, independenter ab omni voluntate Superioris. Alij tandem meliùs ajunt, consistere in jussione speciali DEI.

4.
Lex Naturæ non est ipsa natura intellectualis.

DICO secundò: Lex Naturalis formaliter non consistit in ipsa natura intellectiva. Est contra Vasq: Ponc: Herincx, &c.

Probatur primò: Authoritate SS. PP. plurium, quos infrà Conclusione 4. adducam, docentium Legem Naturalem esse regulam, seu ordinationem Divinæ Voluntatis: ergo, &c.

5.
Stabilitur idem dictum 2. rationibus.

Probatur secundò ratione: Lex Naturalis debet esse regula directiva hominis ad finem naturæ præfixum: sed ipsa natura intellectiva maximè ùt præscindit à suis operationibus, est indifferens ad actum bonum vel malum, rectum vel obliquum eliciendum: ergo ùt præscindit, non habet rationem Regulæ respectu hujus vel illius actûs. Consequentia tenet; quia officium Regulæ est ostendere hunc actum esse bonum, vel malum, rectum vel obliquum: sed natura ùt præscindit, nil horum facit: ergo, &c.

Confirmatur: Nequit intelligi qualiter natura, ùt præscindit a suis operationibus, imperet hoc esse faciendum, illud omittendum, sed absque tali imperio non salvatur essentia Legis: ergo, &c.

6.
Lex Naturæ non est judicium intellectûs.

DICO tertiò: Neque consistit formaliter in ullo judicio intellectûs. Est contra Valent: Cajet: & alios.

Probatur: Judicio intellectûs præsupponitur bonitas, & malitia moralis, adeoque & debitum illius faciendæ, vel omittendæ, & consequenter regula, seu Lex Naturæ fundans hujusmodi debitum: ergo in ipso non rectè statuitur radix, & essentia Legis Naturæ. Eôdem modô impugnatur ille Habitus inclinans.

7.
Judicium intellectûs

Concedo equidem tale judicium intellectûs, vel etiam habitum fortassis concurrere,

est tantùm signum manifestans Legem Naturalem.

rere, sed tamen tantùm ùt signum manifestativum & applicativum Legis, non ut Legis radicem formalem.

Quô sensu etiam concedo Propositiones objectivas concurrere ad Legem Naturalem, quatenus videlicet sunt ostensivæ Legis Naturalis.

8. *Lex Naturæ formaliter importat actum divinæ jussionis.*

DICO quartò: Lex Naturalis formaliter consistit in partiali actu regulæ, seu jussionis Divinæ Voluntatis, quæ intimatur naturæ ipso rationis judicio. Est conformis principijs Scoti.

Probatur primò Conclusio: Ex PP. Aug: Lib. 22. *contra Faustum*, c. 22. ubi definit peccatum in genere: *Esse dictum, factum vel concupitum contra Legem DEI.* Ambros: Lib. *de Paradyso* c. 8. *Peccatum esse Legis Divinæ, & Cœlestium inobedientiam mandatorum*; ex quibus passibus sic argum: Peccatum contra Legem Naturalem est verè, & formaliter peccatum: sed ex dictis Sanctorum, peccatum non est, nisi sit dictum, factum, vel concupitum, contra Legem DEI, & nisi sit Cœlestium inobedientia mandatorum: ergo Lex Naturalis debet esse divinum mandatum, seu præceptum, & consequenter est actus Divinæ Voluntatis jubentis.

9. *Patrû Authoritates pro priori asserto.*

Confirmatur ex S. Anselmo *Lib. de Voluntate DEI*, dicente: *Quicunque Legi Naturali obviat, DEI voluntatem non servat*; quòd non esset verùm, si Lex Naturalis non esset Divinæ Voluntatis jussio seu regula.

Confirmatur secundò ex S. Augustin: Lib. 1. *de Libero arbit*: c. 15. ubi dicit: *Iubet DEVS avertere amorem à temporalibus, & convertere ad æterna* (per ipsam scilicet Naturæ Legem) *jubet ordinem in omnibus servari, &c.* sed ordo naturæ est, ut subdatur suo principio creativo, & ad ipsum dirigat suas actiones: ergo ex vi talis ordinis, Lex Naturæ debet esse ipsa Divina Voluntas, jubens & regulans res omnes in suos fines.

10. *Et Ratio ad idem.*

Probatur secundò ratione; Illius est Lex, cujus est dispensare in Lege: sed solus Deus potest dispensare in Lege Naturæ; ergo solius Dei est Lex Naturæ: sed non aliter, quàm Dei ùt jubentis, & regulantis per voluntatem: ergo, &c.

11. *Lex positiva dicit actum voluntatis Legislatoris.*

DICO quintò: Etiam Lex Positiva consistit in actu Voluntatis Legislatoris. Ita Scotus t. dist. 44. qu: unica, cum suis & Neut: pluribus Arriaga, &c. contra D. Thomam.

Probatur: In Sacris Litteris, Lex Dei, & ejus Voluntas, pro eodem accipiuntur, sic dicitur Psal: 142. *Notas fecit Filijs Israel voluntates suas*, id est Leges, ùt glossant Expositores: ergo, &c.

12. *Textus Iuris pro Concl: additur.*

Probatur secundò: Ex *L. c. de Constit: Principum*, ubi dicitur: *Quod Principi placuit, Legis habet vigorem*; placitum autem idem est, quod volitum; unde dicit D. August: Lib. 4. *de Civit. Dei* c. 1. quòd antiquitus arbitria Principum, habita fuerint pro Legibus: ergo Lex omnis Positiva à pari statui debet in placito, seu actu Voluntatis Legislatoris.

13. *Et Ratio.*

Probatur tertiò ratione: Ratio Legis consistit in decreto obligatorio communitatis cui fertur: sed vis obligatoria, seu ratio decreti est in solo voluntatis actu: ergo, &c.

Ex hactenus dictis concludo generaliter non solùm Legem Naturæ, & Positivam, sed omnem Legem, tam genericam quàm specificam, formaliter consistere in aliquo actu voluntatis, jubentis & regulantis creaturam rationalem; solius enim voluntatis principaliter est jubere, præcipere, imperare, Leges condere, &c. quia sola voluntas potest obligare, & non intellectus.

14. *Quid evincant rationes Adversariorum.*

Objectiones Adversariorum ex Scriptura, PP. & Ratione deductæ, quæ conantur ostendere Legem, maximè Naturalem, consistere in actu intellectûs, solvuntur dicendo, quòd ratio Legis in judicio intellectûs tantùm directivè, non verò formaliter consistat.

15. *Assignatur materia Legis Naturalis.*

NOTA: Circa Legem Naturalem, ejus materiam esse omne id, quod Lumen Naturale, tam sibi relictum, quàm adjutum fide, judicat esse necessarium, vel contrarium naturæ rationali, ùt habet Scotus 3. dist: 37. q. un.

QVÆSTIO IV.

An DEUS, & Papa possit dispensare in Lege Naturæ?

1. *Quid Lex Sacra Moralis & Politica?*

NOTA primò: Legem Naturæ dividi in *Sacram, Moralem*, & *Politicam*. *Sacra* est Lex indita Naturæ ordinans hominem ad DEI cultum, & comprehendit tria prima Præcepta primæ Tabulæ in Decalogo. *Moralis* est, quæ ordinat mores hominum, electione certorum mediorum; & comprehendit omnia Præcepta secundæ Tabulæ Decalogi maxima ex parte. *Politica* est quæ respicit hominem ùt animal sociabile, ita ut ordo debitus inter homines servetur, v.g. inter Maritum & Uxorem, Patrem & Filios, &c. quæritur ergo de omnibus hujusmodi Præceptis, seu Legibus

bus Naturæ, an ſint ita ab intrinſeco immutabiles, ut DEUS in illis non poſſit diſpenſare?

2. *Deus poteſt diſpenſare in Præceptis 2. Tabulæ, uno excepto.*

DICO primò: DEUS poteſt diſpenſare in Præceptis Legis Naturæ ſecundæ Tabulæ, non verò in primis duobus, primæ Tabulæ, & fortè Octavo. Ita Scotus expreſsè, 3. diſt: 37. qu. unica. Eſt contra Nominales, Gerſonem, Aliacenſem, & plures Scotiſtas in ſuis manuſcriptis, qui neglectô ſuô Magiſtrô adhæsêre Nominalibus.

Probatur prima pars: DEUS defactô præcepit Abrahæ interficere filium innocentem: ergo priùs diſpenſavit in illa Lege Naturæ, contenta in ſecunda Tabula Decalogi: *Non occides.* Conſequentia patet, quia diſpenſatio eſt facultas faciendi licitè, quod prohibetur fieri per Legem: ſed interficere innocentem prohibebatur Abrahæ priùs per Legem Naturæ: ergo, &c.

3. *Non immutantur verò Natura per diſpenſationem.*

DICES: Ergo DEUS tunc mutavit naturas rerum, quod facere nequit. Reſp: Neg: Illatum, quia quantùm eſt de ſe natura iſtius occiſionis, & quarumcunque aliarum actionum contra Leges Naturæ in ſecunda Tabula, ea ſemper eſt, ut earum omiſſio, vel commiſſio debeat eſſe mala, aut certè valdè indecens, niſi voluntate contrariâ Superioris, DEI ſcilicet, iſta indecentia tollatur, prout tollitur per diſpenſationem, quod benè eſt notandum. Et ratio ulterior eſt Concluſionis, quia in his, quæ præcipiuntur his Legibus, non eſt neceſſaria bonitas ad bonitatem ultimi finis: nam etſi hæc non eſſet præcepta, finis ultimus attingi poſſet.

4. *Cur in octavo Præcepto Deus non poſſit diſpenſare?*

DIXI *& forte octavo*; quia ſecundùm DD. in actu mendacij, vel eſt intrinſeca malitia moralis, quam DEUS ſalvâ naturâ actûs non poteſt tollere, & mendacium facere licitum; alias poſſet ipſe mentiri, vel certè (& meliùs dicitur) eſt quædam phyſica indecentia, quam DEUS nequit tollere, ob quam proinde ei etiam repugnat, tanquam primæ Veritati, mentiri.

5. *In Præceptis duobus primæ Tabulæ nequit Deus diſpenſare.*

Probatur ſecunda pars ex Scoto: Illa duo Præcepta primæ Tabulæ habent neceſſariâ connexionem naturæ rationalis cum ultimo fine: ſed talis nequit tolli per diſpenſationem DEI ſtante naturâ rationali: ergo, &c.

6. *Ratio Scoti pro hoc.*

Confirmatur verbis Scoti cit: Iſtæ Leges reſpiciunt DEUM pro objectô: & ſunt de ſe Leges Naturæ ſtrictiſſimè; quia ſequitur neceſſariò, ſi eſt DEUS, eſt amandus ut DEUS, & colendus debitâ reverentiâ: ergo in eis non poteſt DEUS diſpenſare, ut aliqualiter Deum odio habeat, irreverentiamque ei exhibeat. Conſequentia patet, quia ſicut non poteſt reſignare & abdicare à ſe Deitatem, ita nec amorem, cultum, & reverentiam ſui per diſpenſationem: ergo.

7. *Malitia actuum contra 2. Præcepta Primæ Tabulæ eſt intrinſeca.*

Et hinc eſt quod TT. malitiam actionum oppoſitarum iſtis duabus Legibus, dicant eſſe intrinſecam actionibus, id eſt, independentem à Dei voluntate, unde non minùs poteſt ab eis ſeparari, quàm natura earum, etiam per Deum, qui facere nequit, ut malum quà tale non ſit malum, ſicut facere nequit, ut homo quà talis exiſtens non ſit homo.

8. *Quid ſentiendum de Præcepto tertiò primæ Tabulæ?*

De Tertio Præcepto Primæ Tabulæ, quatenùs eſt Cæremoniale, reſpiciens cultum Sabbati, conſtat non eſſe ullatenus de jure Naturæ; quatenus autem generaliter reſpicit cultum Dei, ſiquidem ratio naturalis dictat, creaturam oportere aliquando exhibere Deo cultum: an autem neceſſitas iſta ſit adeò immutabilis, ut nequeat ceſſare Deo diſpenſante, incertum eſt, & dubitat Scotus cit: n. 7.

9. *Papa non poteſt diſpenſare in Legibus Naturæ.*

DICO ſecundò: Pontifex non poteſt diſpenſare in præceptis ullis Legis Naturæ. Eſt Scoti 4. d. 5. q. 3. & communior, contra Neutriſtas & Sanch: &c.

Probatur primò: Authoritate S. Bernardi, Concluſionem noſtram aſſerentis. Secundò: quia de nulla conceſſione authoritatis Pontifici facta circa Leges Naturæ conſtat: ergo. Tertiò; nunquam ſimilem diſpenſationem in praxi Summi Pontifices exercuêre, ſicut fecerunt in alijs: ergo ſignum eſt illam eas non habere.

10. *Quid faciat Pontifex diſpenſans vota?*

DICES: Pontifex diſpenſat in votis: ſed hæc ſunt Juris Naturalis Divini: ergo. Reſpondent aliqui DD. Papam in votis propriè non diſpenſare, ſed impropriè tantùm, declarando ſcilicet, quòd aliquæ circumſtantiæ occurrant graves, ob quas non obligat votum. Sed Reſpond: ſecundò melius Negando, quòd ulla diſpenſatio in relaxatione voti interveniat, nam intervenit tantùm remiſſio partis, cui facta eſt promiſſio: Deus enim per ſuum Vicarium remittit, ſeu condonat jus ſibi ex promiſſione, acquiſitum, quemadmodùm etiam promiſſio, vel alius contractus Civilis jure naturæ ad ſui impletionem obligans diſſolvitur, parte jus ſuam remittente.

11. *Valet Epikeja in Lege Divina & Natura.*

Quæres primò: Utrum Lex Naturæ, aut Divina admittat Epikejam? Reſpondeo Affirmativè. Ratio eſt; quia ob varias circumſtantias occurrentes ſæpe Epikeia eſt neceſſaria; ſicut fuit Machabæis, dum in Sabbato feliciter pugnarent, non obſtante Præceptô Divinô, de ſanctificando Sabbato.

12. *Leges hu-*

Quæres ſecundò: Utrùm Obligatio Legum

...mana originantur à Lege Naturæ.

gum humanarum descendat ex Legibus Naturæ? Respond: Affirmativè: omnes enim Leges humanæ dependent immediatè ab hoc naturali principio: *Superiori est obediendum legitimè præcipienti.*

13. In 5. 6. & 7. Præcepto Decalogi Deus defactò dispensavit.

Quæres tertiò: In quibus Præceptis secundæ Tabulæ Deus defactò dispensaverit? Respondeo primò: In quinto *Non occides*, cum Abraham Gen: 22. Secundò: In sexto *Non Mœchaberis*, cum Osea Propheta, Oseæ 1. ùt habet S. Bernardus, & sequitur S. Bonaventura. Tertiò: In septimo *Non furtum facies*, cum Hebræis, ut spoliarent Ægyptios; ùt habet idem Bernardus *de Præcepto & Dispens:*

14. Papa, Concilia & Episcopi possunt Leges interpretari.

Quæres quartò: Cujus sit Legem Divinam interpretari? Respondeo: Authoritatem interpretandi hanc Legem judicialiter in ordine ad sui sequelam, primariò residere in Summo Pontifice, & Concilijs Generalibus legitimè congregatis, & approbatis: hæc enim habent infallibilem assistentiam Spir: S. ùt dicitur in Materia de Fide. Secundariò in alijs Episcopis, eorumquè Concilijs, de quibus dicitur Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit.* Unde Matth: 2. dicitur: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem ex ore ejus requires.*

15. Etiam Doctores, & in necessitate quivis.

Secundò: Potest legitimè interpretari Lex Divina per DD. & Pastores, quos dedit Christus Ecclesiæ in opus ministerij, ad consummationem usque sæculi ad Eph: 4. His cessantibus, in casu necessitatis, ad vitandam perplexitatem conscientiæ, debet quis sequi judicium proprium, hoc enim est ultimum refugium in necessitate.

(o)

DISTINCTIO II.

DE LEGE MOSAICA, ET EVANGELICA.

PRÆFATIO.

Ultra Legem Naturæ proposita fuit olim Creaturæ rationali Viatrici Lex Positiva Mosaica, sic dicta, quòd contineat certas Leges propositas & publicatas à Moyse, magno Duce populi electi: Circa quam Legem diversa occurrunt dubia, sequentibus Quæstionibus enucleanda. Unde est

QUÆSTIO I.

De Authore, Sanctitate, & Præceptis Legis Mosaicæ.

1. Manichæorum Error.

Prælibandum hìc venit dogma perversum Manichæorum, qui innixi pessimo errori de duplici principio omnium rerum, Bono uno, altero malo, docebant, Authorem Mosaicæ Legis fuisse Principium malum.

2. Deus fuit Legislator Legis Mosaicæ.

DICO primò: Author Legis Mosaicæ est Deus Bonus, ejus Ministri fuerunt Angeli, promulgator ipse Moyses. Est commune sentimen TT. Catholicorum.

Probatur prima pars ex Veteri Testamento: Exodi 20. & sequentibus; ubi dicitur: *Locutus est Dominus Sanctos hos Sermones.* Ex Novo Matth: 15. ubi Christus mandatum Veteris Legis vocat *mandatum Dei.* Et Paulus ad Gal: 3. ait: *Legem Moysis fuisse pedagogum nostrum in Christo:* ejusdem autem Legislatoris, & Authoris est perducere ad finem, & disponere ad illum, dando

dando pedagogum: ergo Deus fuit Author illius Legis.

3. Ministri Angeli.

Probatur secunda pars Conclusionis ex Paulo cit: v. 19. dicente: quòd *Lex vetus fuerit ordinata per Angelos in manu Mediatoris.* Et S. Stephanus dicit Actorum 2. *Accepistis Legem in dispositione Angelorum*: cujus rei assignat rationem D. Dionys: *de Cælesti Hierarch*: cap. 4. quòd Divina debeant ad homines deferri, mediantibus Angelis, ut servetur perfecta subordinatio: ergo, &c.

4. Evulgator Moyses.

Probatur tertia pars ex illo Joan: 1. *Lex per Moysen data est, &c.*

5. Lex Vetus fuit Sancta.

DICO secundò: Lex Vetus Mosaica fuit Sancta. Est communis DD. sensus.

Probatur: Ex D. Paulo ad Rom: 7. ubi appellat hanc legem concinnis terminis, *mandatum, Sanctum, justum & bonum*: ergo, &c.

6. Probatio à ratione ad idem.

Probatur ratione: Lex Mosaica fuit à legitimo Legislatore promulgata, deinde ordinabat creaturam ad Sanctum finem, juxta Psalmistam: *Lex Domini immaculata convertens animas.* Scilicet ad finē bonum: extrinsecum quidem, puta beatitudinem & dispositionem hominum ad adventum Christi, juxta illud ad Rom: 10. *Finis Legis Christus*; intrinsecum verò, ad temporalem prosperitatem populi Judaici, & cultum Dei, ut exprimitur Exodi 19. ergo, &c.

7. Glossantur quidam passus Scripturæ de Veteris Legis imperfectione.

Objic: primò: Ezech: 20: dicit Dominus: *Ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*: ergo, &c. Et Act: 15. vocatur Mosaica Lex *jugum importabile*: ergo non fuit Sancta. Respond: Negando utramque consequentiam. Ad primam Authoritatem dico, per præcepta intelligi plagas punitivas, quas Deus dedit Judæis, ob ingentia eorum peccata. Ad secundam dico, illam Legem vocari jugum in comparatione Legis Novæ: Vetus enim nimia præceptorum scatebat multitudine: & quia modicam continebat gratiam, & plurimam in puniendo excessus severitatem.

Circa differentiam Præceptorum Legis Veteris.

8. Quid sint Præcepta Moralia Vetera?

NOTA singula ejus præcepta ad tres posse revocari Classes.

In prima Classe statuuntur *Moralia*, quæ erant certæ Regulæ directivæ morum, in ordine ad Charitatem Dei, & proximi procurandam: tales Regulæ sunt omnia primæ & secundæ Tabulæ Præcepta.

9. Quid Cæremonialia?

In secunda *Cæremonialia* disponuntur, quæ docebant usum quorundam rituum, signantium verum Numinis cultum, & figurantium Christum Messiam: hujusmodi computat Rabbi Moyses, Abulensis, & alij 600.

10. Quid Iudicialia.

In tertia collocantur *Iudicialia*; quæ tradebant modum politici regiminis, pro conservando populo in pace, & prosperitate civili. Circa singula.

11. Iudicialia & Cæremonialia ligabant per se solos Hebræos.

DICO tertiò: Mosaica Lex quò ad Cæremonialia & Judicialia, obligabat solos Judæos, per se loquendo. Ita communis.

Probatur: Solis Judæis Cæremonialia & Judicialia fuerunt debitè intimata & tradita; ut colligitur ex illo ad Rom: 3. *Quid amplius Iudæo?* & respondet Apostolus: *Multum per omnem modum, primò quia tradita sunt eis eloquia Dei*: hoc est ipsis solis tradita est Lex: & ex Psalmo: *Non fecit taliter omni nationi*: ergo, &c.

12. Moralia totum Mundum.

Quoad *Moralia Decalogi* dico, ea fuisse obligatoria totius Mundi, non quidem vi Legis Mosaicæ: eorum enim ratio fuit indita omni naturæ rationali ab ipso creatore.

13. Per accidens tenebantur Proseliti ad Cæremonialia & Iudicialia.

DIXI notanter in Conclusione, *per se loquendo*; quia per accidens Gentiles facti Proseliti, id est, recipientes circumcisionem, tenebantur ad totam Legem, juxta illud Apostoli ad Gal: 5. *Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ Legis faciendæ.*

14. Lex Vetus pœnam, & culpam inducebat.

DICO quartò: Lex Mosaica obligabat ad sui observantiam, tam sub pœna, quàm sub culpa. Est communis sententia.

Probatur: Lex Mosaica fuit lata sub terminis formaliter præceptivis, ac obligatorijs, versabaturq; circa materiam capacem obligationis in conscientia: ergo obligabat sub pœna & culpa. Et ista est ratio, cur, frequenti phrasi Veteris Scripturæ, dicantur transgressores ejus perire de populo, peccare, deleri de libro viventium, &c.

15. Non tamen ligabat cum vita dispendio quoad aliqua.

NOTA tamen: illam Legem quò ad Judicialia & Cæremonialia non obligasse modò dicto cum periculo mortis incurrendæ. Ratio est, quia cum eorum materia ex se, non sit ita necessaria ad honestatem creaturæ rationalis, non fuit consonum Divinæ Providentiæ, tam gravem obligationem imponere: quapropter concedit David in necessitate Sanctos panes, Laicò alioquin prohibitos per Præceptum Cæremoniale, & à nemine culpæ insimulatur.

QVÆSTIO II.

De Cessatione Legis Mosaicæ.

1. *Iudicialia, & Cæremonialia Vetera ex integro cessarunt,*

DICO primò: Lex Mosaica quò ad Judicialia & Cæremonialia penitùs cessavit. Ita sentiunt Catholici DD. omnes.

Probatur ex Sacris Litteris hoc clarè attestantibus: sic loquitur Epistola D. Pauli ad Heb: 9. *Translatô Sacerdotio necesse est, ut Legis translatio fiat*; sed est translatum Sacerdotium Legis Veteris, dum Christus institutus est Sacerdos: ergo, &c. Item ex Epistola ad Rom: 6. *Non estis sub Lege, sed sub gratia.* Et cap. 2. hoc declarat exemplô uxoris, quæ post mortem viri soluta est à Lege Matrimonij: ergo, &c. Tandem hoc probat ad Hebr: 8. & definitur in Conc: Apostolorum Act: 15. ergo, &c.

2. *Moralia sunt restaurata.*

NOTA quod *Moralia* Legis Mosaicæ adhuc defactò nos obligent, non in quantum sunt præcepta illius Legis Veteris scriptæ, sed quia sunt Leges Naturæ, & quia restauratæ in Lege Nova à Christo.

3. *Quo sensu Lex Mosaica dicatur æterna.*

Quæres: Quomodò ergo Lex Vetus dicatur passim in Scriptura *æterna*, si cessavit? Respon: ex D. Augus: qu. 31. *in Genes:* eam dici æternam, non secundùm litteram, sed secundùm spiritum, quia nimirum per eam res figuratæ, videlicet Novum Testamentum, beatitudo, & gloria erunt æterna. Vel dicitur æterna, id est dio doratura, ut glossant Interpretes.

4. *Aperitur sensus scripturæ cujusdam.*

DICES: Christus Matth: 5. dicit se non venisse ad solvendum Legem, sed ad eam implendam: ergo, &c. Respond: Salvatorem hoc rectè dicere, quia quantùm ad *Moralia* eam renovavit, & quantùm ad *Iudicialia* ac *Cæremonialia*, quæ erant umbræ, & figuræ eorum, quæ fecit Christus in carne, adimplevit, exhibendo ipsa signata & figurata. Ex dictis

5. *Cur Cæremonialia significativa futurorum in Lege nova non poterant practicari,*

Infero: Usum Cæremoniarum Legis Veteris, ùt erant significativæ futurorum, non esse, nec fuisse unquam licitum in Ecclesia post Evangelij promulgationem. Et ratio ulterior potest esse, quia talis usus semper esset, vel fuisset cum falsitate, & mendacio in facto, cum res signata jam transierit in præteritum.

6. *Lex Mosaica Christi morte non desijt.*

DICO secundò: Lex Mosaica non cessavit statim in articulo mortis Christi respectu omnium. Est Scoti 4. dist: 3. qu: 4.

Probatur primò: Authoritate D. Bern: Epist: 72. distinctè Conclusionem nostram asserentis: ergo, &c.

7. *Ratio pro hoc,*

Probatur secundò ratione: Non decebat populum Hebræum privari Lege Veteri, nisi post introductionem sufficientem Novæ: sed in articulo mortis Christi Nova non fuit sufficienter introducta: ergo, &c. Itaque in morte Christi Lethale tantùm accepit Vulnus Lege Mosaica, ex quo pauló post erat moritura.

8. *Benè tamèn post promulgationem Novæ.*

DICO tertiò: Tandem post sufficientem evulgationem Legis Evangelicæ per SS. Apostolos, in die Pentecostes factam, cessavit Lex Mosaica. Est Scoti & communior.

Probatur: Quia per evulgationem debitam Novæ, Lex cæpit sortiri suum effectum: ergo Vetus suam vim, & obligationem perdebat.

QVÆSTIO III.

De Opinione S. Augustini, & Hieronymi circa Usum Legalium.

1. *Controversia S. Aug. & Hier: circa Vsum Legalium,*

CIrca Usum Legalium, post evacuatam Legem Veterem, acris fuit concertatio olim inter S. Augusti: & Hieron: D. enim Hieronymus in *Com. Epistolæ ad Gal:* & Epistola 89. *ad Aug.* putat immediatè post Passionem Christi, Legē Veterem non solùm fuisse inutilē, & mortuam, sed etiam mortiferam & noxiam, adeoquè fuisse illicitum Usum quarundam Legalium cæremoniarum. S. Augustin: asserebat contrarium Epist: 9. & 10. *ad Hieron:* quem sequitur Thomas, Scotus 4. dist. 3. quæst: 2. & communis jam TT. cum qua opinione.

2. *Augustini opinio acceptatur.*

DICO primò: Usus & observatio Legalium, etiam post promulgationem Evangelij, fuit ad tempus licita, modò in eis non collocaretur ulla spes salutis, nec observarentur ùt signa prognostica futurorum.

Probatur primò: Ipsi SS. Apostoli sæpè observabant Legalia post Evangelium promulgatum: ergo observatio eorum erat ad tempus licita, & non mortifera. Probatur Antec: nam Act: 16. Paulus legitur circumcidisse Timotheum, eò quód esset ex Matre Hebræa. Et Act: 21. de Consilio Seniorum, & Jacobi, idem Paulus assumptis quatuor viris, posterà die purificatus, introivit cum eis in templum. Et Petrus adeò observans erat Legalium, ut non auderet quidquam comedere, aut immundum manducare, ùt habetur Act: 10. ergo licitus fuit usus Legalium.

Con-

3. *Quam suadet Congruentia.*

Congruentiam præterea bonam addu- cit Augustin: cit: ut Synagoga sepeliretur cum honore, ac Judæi scandalò eorum evitatò faciliùs possent ad fidem converti, dum adverterent, suas Cæremonias non ita subitò abrogari, uti ritus Gentilium.

4. *Responsio Hieron: & refutatio per Augustinum.*

S. Hieronymus respondet, hoc licuisse animò tantùm simulandi, ut Apostoli Judæos Christi lucrifacerent: Unde dicit ad Corinth: 9. *Factus sum Iudæis Iudæus, ut Iudæos lucrarer*; non autem animò verè observandi Legalia. Contra insurgit primò D. Aug: si Paulus ideò illa Legalia cum Judæis servavit hôc fine, ut Judæos lucrifaceret, cur non etiam cum Gentilibus sacrificavit? quia & illis, qui finè Lege erant, tanquam finè Lege factus est, ut eos quoque lucrifaceret. Contra arguit secundò, Epistola 19. Si tunc licuit ad lucrandos Judæos falsum & prohibitum ritum assumere per simulationem: ergo similiter jam licebit, cessante accidentali scandalò Judaizare, imò facere quæque mala, ut eveniant bona, quod est contra Apost: ad Gal: 5. & ad Rom: 3.

5. *Roboratur opinio Aug:*

Contra tertiò: Est communis doctrina SS. PP. & DD. ob nullum finem licere falsæ Religionis cultum assumere, aliàs liceret Mahometanam, vel Calvinianam, sectam simulare, sub prætextu lucrandi sectarios illarum Religionum, quod falsum est: ergo nec licuit Apostolis animò simulandi practicare illa Legalia.

6. *Replica Hieronymi.*

Replicat Hieron: si peccatum esset simulare falsam Religionem ex bono fine, sequeretur D. Petrum reprehensum à Paulo ad Gal: 2. verè peccasse in materia fidei simulando scilicet falsam Religionem, sequela videtur inconveniens, cùm Petro ab ipso Christo dicatur: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.*

7. *Refellitur Hieron: ab August:*

Respond: cum August: Negando sequelam: nam non peccavit Petrus simolando falsam Religionem, sed potiùs quòd intempestivè Religionem sibi aliàs licitam observavit, non attendendo ad circumstantiam scandali, quod posset ad hoc factum sequi, ex parte Gentilium, qui Petri exemplò invitarentur ad jodaizandum; circa quos tamen definierant Apostoli in Concil suo Act: 15. ne cogerentur ad onera Legis servanda, quam circumstantiam probabiliter non prævidit Petrus, quia & ideò Paulo moneni non contradixit, & hic poterat excusari à peccato saltèm mortali.

8. *Argumentis S. Hier: satisfit.*

Objicit præterea Hieron: Paulus ad Gal: 5. dicit: *Si circumcidamini Christus vobis nil prodest.* Et iterum: *Evacuati estis à Christo, qui in Lege justificamini*: ergo observantia Legalis circumcisionis nullo tempore fuit licita. Resp: Neg: Consequentiam; quia, vel Paulus in illa Epistola loquitur Gentilibus, quibus post Concil: Apostolicum fuit illicitus Judaismus: vel si loquatur Judæis, sic est glossandus, Christi gratiam nihil juvare, si spem salutis & justificationis in observantia Legalium ponant; prout docebat quædam Hæresis tempore Pauli, asserens observantiam Legalium esse necessariam ad salutem post promulgationem Evangelij, quam locis citatis reprimit D. Paulus.

9. *Incertum est tempus de interitu usûs liciti Legalium.*

Quæres: Quò tempore expiraverit licita observantia Legalium? Resp: cum Scoto, quò ad Gentiles eam expirasse statim post publicatum Conc: 3. Apostolorum. Quò ad Judæos autem nequit certum tempus determinari: aliqui extendunt licitum usum eorum usque ad 25. annum post Passionem Domini: alij ultrà. Hoc tamen certum est, quòd ante mortem S Ignatij Mart: res fuerit jam decisa ab Ecclesia. Unde etiam cap. *Majores* de Baptismo dicitur damnatum hæresis: *Si quis observationes Iudaicas usurpandas assereret.*

QVÆSTIO IV.

De Lege Evangelica.

1. *Quid Lex Evangelica, & quæ ejus Præcepta?*

NOTA: Quòd Lex Nova dicatur *Evangelica*; eò quod in quatuor Evangelijs contineatur registrata. In hac Lege continentur Præcepta Moralia, Cæremonialia, & Consilia. *Moralia* complectitur Cathalogus 10. Præceptorum, renovatus, & per Legem Novam explicatiùs propositus. *Cæremonialia* in ea dantur, de Baptismo, Eucharistia, Pœnitentia, &c. *Consilia* pariter exstant de Cœlibatu, Paupertate, Obedientia, &c. *Iudicialia* verò nulla docuit in ea Christus, volens suos non contendere in judicio. His prælibatis

2. *Christus tulit Legem novam.*

DICO primò: Legislator Legis Evangelicæ fuit Christus. Est de fide, definitum in Trid: Sess: 6. Can: 1.

Probatur: Ex S. Scriptura Isai: 33. ubi de Messia Christo prædicitur, eum fore *Iudicem nostrum, & Legiferum nostrum.* Et in Novo Testam: ipse Christus ait de suis Legibus, *Mandata mea* (subintellige Evangelica) *servate.* Vide Paulum *ad Heb: 2.* ergo. &c.

3. *Lex Christi non statim obligavit.*

DICO secundò: Lex Evangelica factà sui institutione, non statim obligationem induxit. Est communis apud DD. & Scotum in 4. d. 3. q. 4.

Probatur: Lex Evangelica non fuit statim promulgata: ergo non induxit statim obli-

obligationem. Conſequentia tenet; quia ut ſuprà oſtenſum eſt, ad vim Legis obligativam requiritur debita promulgatio.

4. *Sed factâ tamen promulgatione debitâ.*

DICO tertiò: Lex Evangelica induxit obligationem ſuam reſpectu præſentium Hieroſolymis in die Pentecoſtes, quo fuit ſolemniter promulgata ab Apoſtolis: reſpectu verò abſentium, quando eis fuit prædicatum Evangelium. Eſt pariter communis doctrina contra quoſdam RR.

Probatur: Authoritate S. Auguſt: Epiſt: 119. cap. 16. Et Leonis Papæ Serm: 1. *de Pentecoſte*, hoc aſſerentium. Et ratio accedit; quia reſpectu præſentium Hieroſolymis in die Pentecoſtes, & reſpectu abſentium in die prædicationis Evangelij, Lex Evangelica fuit debitè promulgata: ergo tunc ſortiebatur vim obligativam.

5. *Lex nova ligat mundum univerſum, & durabit uſque ad finem mundi.*

DICO quartò: Lex Evangelica eſt lata pro toto mundo: & durabit uſquè ad finem mundi.

Probatur prima pars: Ex illo Matth: ult: *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos, &c.*

Ratio additur; quia Chriſtus fuit totius Mundi Redemptor; ergo & Legiſlator Legis univerſalis, quâ omnes homines poſſent ad juſtificationem pertingere.

Probatur ſecunda pars: Ex illo Matth: 28. *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Et 14. dicitur: *Prædicabitur Evangelium hoc univerſo orbi, & tunc veniet conſummatio*, id eſt finis, *ſæculi.* Et de Eccleſia Catholica, quæ Legibus Evangelicis regitur, dicitur Matth: 16. *Quòd nec portæ inferi contra eam prævalebunt*, ob ſui ſtabilitatem, & perpetuitatem: ergo, &c.

6. *Lex Moſaica fuit gravior novâ.*

DICO quintò: Moſaica Lex fuit gravior multò, & conſequenter imperfectior Lege Evangelicâ. Ita Scotus 3. d. 40.

Probatur: Act: 15. dicit Petrus de Lege Moſaica: *Quid tentatis imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus*, intellige, abſque ſumma difficultate: de Lege autem Evangelica dicit Chriſtus Matth: 11. *Jugum meum ſuave eſt & onus meum leve*: ergo, &c.

7. *Etiam ob multitudinem Præceptorum.*

Probatur ulteriùs: Ex nimia multitudine Præceptorum Legis Moſaicæ, nam Rabbi Moyſes plusquam 600. enumerat ejus præcepta, quorum aliqua erant, ſat difficilia, ut circumciſio infantum: de non colenda terra annô ſeptimô, de non tangendo morticinia. Econtra in Nova Lege ſunt tantùm 7. Præcepta Cæremonialia, puta 7. Sacramenta, uſu facilia, & ſalubria: Unde D. Auguſt: in Pſalm: 73. *Mutata ſunt Sacramenta, facta faciliora, ſalubriora, & feliciora.*

8. *Chriſtus nō auxit ſed explicuit Decalogū.*

Objic: contra hoc, Chriſtus Matth: 5. multa ſuperaddit Decalogo: ergo ſaltèm quò ad Moralia Lex Evangelica eſt gravior. Reſpondet S. Auguſt: Lib. 19. *contra Fauſtum*; Neg: Antecedens; Chriſtus enim nil ſuperaddidit, ſed tantùm explicuit meliùs Decalogum, reprobando expoſitionem antiquorum Phariſæorum.

9. *Lex nova referta gratijs.*

DICO ſeptimò: In Lege Evangelica conferuntur efficaciora, & copioſiora auxilia ad ferendum onus Legis, quàm in Moſaica.

Probatur: In Lege Evangelica omnia ſeptem Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, in Moſaica ſola circumciſio, & remedium Legis naturæ: ergo, &c.

Præterea in Lege Evangelica, quia merita Chriſti jam ſunt exhibita, datus eſt Spiritus S. abundè credentibus, in Moſaica, quia erant exhibenda, & futura, menſura gratiæ dabatur modica: ergo, &c.

10. *Quædā differentiæ inter Legem Moſaicam & Chriſti.*

NOTA præterea nonnullas differentias Legis Evangelicæ à Moſaica, præter jam aſſignatas Concluſione 6. & 7. Nam Lex Evangelica excellit, & differt in *Cauſa Efficienti* à Moſaica: Moſaicam enim dedit Deus per Miniſtros Angelos, Evangelicam verò per Filium ſuum unigenitum. Excellit præterea, & differt in materia: nam Myſteria Trinitatis, Incarnationis, & Redemptionis in Veteri Lege occultata, cognita ſunt in Nova.

11. *Pontifex nequit diſpenſare Leges Evangelij.*

DICO octavò: In Lege Evangelica nequit Papa diſpenſare. Eſt communis.

Probatur: Ex nullo capite colligitur hujuſmodi poteſtatem in Papa reſidere, neque unquam ſimilem vim diſpenſativam exercuit ullus: ergo, &c.

Unde licèt dicatur Petro & Papis ſucceſſoribus: *Quodcunque ſolveris ſuper terram, &c.* hoc tantùm extenditur ad Clavium poteſtatem, & regimen Eccleſiæ, in ordine ad bonum earum, aliàs poſſet Papa diſpenſare in omnibus fidei articulis.

DIS-

DISTINCTIO III.

DE LEGE HUMANA, TAM ECCLESIASTICA, QUAM CIVILI.

PROLOGIUM.

Leges Humanæ ultra Divinas invectæ sunt In Resp: seu cætus hominum, ut membra singula in debitos ordinentur fines, per Ecclesiasticas quidem tanquam per regulas ductrices spirituales, per Civiles verò, ut coordinatrices quasdam normas corporales. De utrisque hìc breviter videndum.

QUÆSTIO I.

Utrùm in Christianismo Potestas Legislativa extet?

1. *Erroneum Modernorũ dogma.*

NOTA primò: Inter cætera Viclephi, Hussij, Lutheri, Calvini, Melanthonis, & reliquorum Novatorum perversa dogmata, etiam hoc prodijsse, quòd *nulla extet potestas Legislativa in Ecclesia Dei.* Contra quos concludo &

2. *Ecclesia potest Leges condere.*

DICO primò: Reperitur defactò in Ecclesia DEI vera potestas Ecclesiastica Leges condendi. Est Cathol: omnium.

Probatur primò: Ex definitionibus CC. Constantiensi Sess: 8. Trident: Sess: 7. & 13. Leonis Papæ, contra articulos Lutheri: ergo, &c.

3. *Idẽ liquet ex Scriptura.*

Probatur secundò: Ex S. Scriptura. Matth: 16. datur Petro, & Successoribus, Ecclesiæ Prælatis, authoritas ligandi & solvendi, utique per Leges veras. Et Joan: 21. committitur Petro cura pastoralis, regendi & gubernandi, quod fieri nequit, sinè Legibus: ergo, &c.

Confirmatur: Prælati primitivæ Ecclesiæ, SS. videlicet Apostoli, practicârunt hanc potestatem Legislativam, nam Act. 15. Gentibus conversis præscripserunt Legem, ut abstineant ab immolatione simulachrorum, sangvine, & suffocato. Et S. Paulus perambulabat, ut dicitur ibidem, Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum: ergo, &c.

4. *Praxi Sum: Pontif:*

Probatur tertiò: Ex praxi Summorum Pontificum, & CC. qui ab initio surgentis Ecclesiæ, Leges condidêre pro communi ejus bono: ergo.

5. *Et Ratione.*

Probatur quartò ratione: Ecclesia constituit perfectam Remp: aptam sese dirigere in finem sibi proportionatum, per media convenientia, ex quibus est Legislatio ordinata ad cultum DEI, & directionem morum: ergo in Ecclesia possunt esse Leges humanæ, taliter dirigentes.

6. *Hæreticorũ objecta solvuntur.*

Objiciunt Hæretici illud Deut: 4. *Non addetis ad verbum quod loquor vobis.* Et illud ad Gal: 5. *Vos in libertatem vocati estis*: ergo Christiani sont in Ecclesia extra Leges, & consequenter nequeunt eis Leges poni. Respond: ad primum, per allegata verba solùm prohiberi, ne Judæi addant aliquid repugnans Legi Divinæ, cujusmodi erant ritus Gentilium. Ad secundum Respond: Negand: Consequentiam, nam libertas Christiana non est ab obedientia Superioribus Ecclesiæ præstanda, sed à dominio peccati, spiritu servitutis, timoris, & onerum Legalium Veterum.

7. *Imperatores, Reges, & alij veras possunt Leges conscribere.*

DICO secundò: Etiam in Imperatoribus, Regibus, & Magistratibus Civilibus residet potestas Legislativa Civilis, à Deo ipsis concessa respectu subditorum. Est de fide. Et.

Probatur primò: Ex illo ad Rom: 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas, nisi à Deo, quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt, itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, &c.* Item ex illo 1. Petri 2. *Subditi estote omni humanæ creaturæ* (id est potestatem habenti) *sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis;* quæ obedientia & subje-

ctio adimpleri nequit, nisi Legibus justis à Regibus & Ducibus latis pareatur: ergo.

8. *Quod ulterius probatur.*

Probatur secundò ratione: Imperatores, Reges, &c. sunt constituti, ut loco Dei visibiliter regant Imperia, Regna, &c. juxta illud Prov: 8. *Per me Reges regnant, &c.* Sed hoc suum munus debitè obire nequeunt, absque potestate Legislativa, cùm multi mali subditi sint, qui Legibus frænari debent: ergo, &c.

9. *Quaedam Leges obligant sub poena & culpa.*

DICO tertiò: Aliquæ Leges Ecclesiasticæ, & Civiles obligant in conscientia ad culpam, aliquæ verò ad pœnam tantùm. Est inter Catholicos communis doctrina.

Probatur prima pars: Generalia quinque Ecclesiæ præcepta obligant ad culpam: & Principes Civiles condunt de facto Leges sub pœna capitis, & mutilationis hominum, quæ pœna absque prævia culpa intelligi non potest, nec infligi: ergo aliquæ Leges Ecclesiasticæ, & Civiles obligant ad culpam.

10. *Vti patet etiam ex Ratione.*

Et ratio maximè pro Ecclesiasticis Legibus est, quòd talem vim obligatoriam habeat, quia reducuntur ad Legem Divinam, naturalem, vel positivam, quantùm ad materiam, quæ ad culpam obligant: sic Lex de Communione Paschali quotannis sumenda obligans ad culpam, reducitur ad illam Divinam Joan: 6. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, &c.* & sic de alijs: ergo, &c.

11. *Aliqua verò sub pœna tantùm.*

Probatur secunda pars: Ex diversis Decretis Papalibus, Corpori Juris Canonici insertis, in quibus exprimitur, transgressores ad solam pœnam teneri, secluso contemptu formali, hujusmodi sunt Decreta de Pœnitentia agenda, ob certas negligentias commissas: Decreta de Irregularitatibus latis contra Ministros justitiæ criminalis, bigamos, & similes defectuosos naturaliter.

12. *Quis sit censendus contemptus in Legem?*

NOTA autem tunc tantùm committi, contemptum formalem in Legem, quando quis eam transgreditur animô obstinatô non parendi simpliciter potestati, vel ex dedignatione subjectionis.

13. *Gravis obligatio innotescit ex gravitate materiæ.*

Quæres: Unde colligitur Legem aliquam Evangelicam, vel Civilem obligare ad culpam gravem, vel levem? Respondeo primò id colligi ex gravitate, vel levitate materiæ, seu objecti: censetur autem materia esse gravis, cujus prosecutio, vel fuga multùm utilitatis allatura est communitati, judicio prudentum, levisècontra.

14. *Circumstantiæ aggravant materiam Legis.*

Ubi adverte materiam levem ex objecto posse fieri gravem ex circumstantijs, maximè contumaciæ, vel contemptûs; ùt patet *cap. Si quis* de vita, & honestate Clericorum, ubi videtur excommunicari Clericus, qui comam nutrit, licet res in se sit levis.

Respond: secundò: Levitatem culpæ, vel maximè posse colligi ex mente Legislatoris, qui potuit ad levem tantùm culpam obligare, licèt materia ex objecto, & circumstantijs esset gravis, modò non sit præcepta simul Lege aliquâ Divina, ùt habet Suarez, Navar: Ratio est; quia Lex humana non plus obligat, quàm intendat ejus Legislator, unde dicitur cap. *Finali de Prabendis* in 6. *Actus agentium non transcendunt intentionem eorum.*

15. *Prima Regula Generalis ad cognoscendam gravitatē obligationis in Lege.*

NOTA deinde Regulas generales, quibus dignosci possit mens Legislatoris, num sub gravi, vel levi culpa intenderit obligare.

Prima Regula: Quoties in Lege Ecclesiastica ponitur ly *Præcipio, mando, jubeo, veto, inhibeo, interdico*, vel æquipollentia, v. g. *teneantur, debeant, necessariò, non licèt, non potest*; voluit Legislator sub gravi culpa obligare, nisi aliter exprimatur in ipsa Lege. Hæc Regula desumitur ex Clem: *Exivit, de Verborum Significatione*, eamquè habent Sylv: Nav: & alij.

16. *Secunda Regula.*

Secunda Regula: Quando verba Decreti, seu Legis sunt *Imperativi* modi, vel talia, *ordinamus, statuimus, decernimus, volumus, sancimus, &c.* mens Legislatoris non est, sub gravi culpa obligare. Ita sentiunt DD. passim.

17. *Tertia Regula.*

Tertia Regula: Quando in Lege Ecclesiastica additur pœna spiritualis *Excommunicationis, suspensionis, interdicti, irregularitatis, maledictionis æternæ, in virtute S. Obedientiæ, in Virtute Spiritûs S. sub interminatione Divini Iudicij, &c.* Est intenta culpa gravis, ùt communis tradit Theologorum.

18. *Quarta Regula.*

Quarta: Quandocunque materia Legis Ecclesiasticæ est gravis, vel intrinsecè, eò quod reducatur ad Jus Divinum, vel extrinsecè ob aliquam causam inferentem peccati mortalis periculum: resultat etiam obligatio culpæ gravis. Ita concordant DD. communiter.

19. *Quinta Regula.*

NOTA autem generalem doctrinam, quâ dignoscatur gravitas materiæ Legis ex Decreto Gratiani dist: 4. cap. *Erit: Erit* (inquit Can:) *Lex honesta, justa, possibilis, secundùm naturam, secundùm patriæ consvetudinem, loco, temporiq; conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoq; ne aliquid per obscuritatem inceptionem contineat, nullô privatô commodô, sed pro communi civium utilitate conscripta.* In taliter enim qualificata Lege semper aliquid juris naturalis, vel positivi eminet, quod gravitatem materiæ inducat,

cat, nil enim est justum, honestum, &c. nisi Virtute Legis alicujus naturalis, vel positivæ Divinæ.

QVÆSTIO II.

Quæ Personæ habeant Potestatem Legitimam condendi Leges Ecclesiasticas?

OStensum est priori Quæst: extare in vera Ecclesia visibili authoritatem ferendi leges spirituales: nunc resolvendū erit, penes quas Personas hæc resideant.

1. *Papa, & Concilia Generalia, possunt leges ferre pro tota Ecclesia.*

DICO primò: Potestas condendi Leges Canonicas pro universa Ecclesia residet in solis Concilijs Generalibus legitimis, approbatis, & in Summo Pontifice. Est communis TT. sententia.

. Probatur de Concilijs; quia de his intelligitur illud Luc: 10. *Qui vos audit me audit, &c.* Et illud: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi veluti Ethnicus, &c.* Unde D. August: Epist: 119. admittit omnia illa pro Legibus veris, quæ vel Sacrarum Scripturarum authoritatem continent, vel in Concilijs Episcoporum statuta inveniuntur, vel quæ consvetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt: ergo, &c.

2. *Quod ulterius probatur ex usu.*

Probatur secundò: Ex antiquissimo usu omnium Conciliorum Generalium, ab initio Ecclesiæ semper condentium aliquos Canones pro Ecclesiæ communi bono.

Probatur de Summo Pontifice; nam hanc potestatem semper exercuerunt Papæ, confirmanda omnia Generalia CC. à primo Nicæno incipiendo, usque ad ultimum Trident: sic etiam dicit Innoc: 3. cap. *Sollicitæ. de Major: & Obed: Nobis in Petro sunt oves Christi commissæ, dicente Domino, pasce oves meas;* adeoque & potestas Leges pro eis ferendi.

3. *Episcopi. & Concilia Provincialia, valent condere Leges pro Diœcesi sua.*

DICO secundò: Etiam Provincialia Concilia, & Episcopi proprij pro sua Diœcesi habent authoritatem Leges Provinciales ferendi. Est communis Canonist:

Probatur de hujusmodi Episcopis dicitur Act: 20. *Quod eos posuerit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei:* ergo eis necessaria est potestas Legislativa pro hujusmodi regimine debitè obeundo: Et habetur *cap. de Major. & Obed:* De Concilijs extat vetustissima tolerata praxis, quæ refert omnis generis nationales Synodales Leges, quarum multæ à Pontificibus deinde fuerunt approbatæ.

4. *Etiam Capitulum Canonicorum Sede vacante.*

DICO tertiò: Etiam Capitulum Canonicorum Sede Episcopali vacante condere potest Leges. Ita pariter Canonistæ, & Summistæ.

Probatur: Hujusmodi Capitulum succedit jurisdictioni Episcopi, quo ad totam administrationem in temporalibus & spiritualibus, præterquam in casibus à Jure prohibitis, cujusmodi non est Legislatio; ut habetur cap. *Cùm olim, de Major. & Obed.*

Quando autem in Jure dicitur: *ne Sede vacante aliquid innovetur;* intelligendum est, *de Iuribus, & Bonis Episcopalibus,* propter quod Capitulum non potest conferre beneficia, Episcopo reservata.

5. *Et Legati Sedis Apostolicæ.*

DICO quartò: Legati Sedis Apostolicæ etiam possunt ferre Leges pro Legationis suæ Provincia.

Probatur: Ex cap. ultimo *de Officio Legati*, & cap. *Finali.* Et praxi, admissâ à Summis Pontificibus.

6. *Cardinales pariter.*

DICO quintò: Etiam Cardinales eandem habent pro Titularibus suis Ecclesijs.

Probatur: Ex cap. *Querela, de Electione.* Et cap. *Hu quæ de Majoru. & Obed.*

7. *Et capita Ordinum respectivè.*

DICO sextò: Generales Ordinum pariter habent Potestatem, independentem ab Episcopis, pro suo Ordine toto, unà cum Capitulo Generali Leges ferendi: Item Provinciales cum Capitulo Provinciali respectu suæ Provinciæ.

Probatur: Quia hoc ipsis diversi concesserunt Pontifices, & quia hi assimilantur Archi-Episcopis, & Episcopis, adeoq; eandem proportionaliter cum eis habent vim Legislativam. Idem erit dicendum de Abbatibus exemptis, respectu suorum Cœnobiorum.

8. *Potestas legislativa activa Episcoporum est Iuris Divini.*

DICO septimò: Potestas activa condendi Leges residens in Episcopis, data est ipsis immediatè à Christo, & est Juris Divini: Passiva verò à Summo Pontif: Est contra Nav: Suar: &c.

Probatur prima pars Act. 20. de Episcopis dicitur: *Posuit eos Spiritus S. Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et ad Heb: 13. *Obedite Præpositis vestris, &c.* ergo, &c.

Confirmatur Trid: docet Sess: 23. c. 4. Episcopos in Apostolorum locum succedere: ergo sicut Apostoli Jure Divino à Christo immediatè acceperunt potestatem Leges pro Ecclesia ferendi, per illa verba Matth: 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Ita & Episcopi eorum Successores Legitimi.

9. *Alia ratio ad idem.*

Probatur secundò ratione: Consecratio Episcopalis, & Ordinis potestas huic annexa, est de Jure Divino, & à Christo immediatè, supposita priùs electione debitâ, & externa confirmatione adhoc factâ, ut con-

concedunt omnes: ergo & jurisdictio activa Leges ferendi. Consequentia tenet; quia Sum: Pontif: non dat aliam jurisdictionem, quàm assignando Diœcesim vel Subditos, in quos poterit activam jurisdictionem Episcopus exercere vi Consecrationis: ergo, &c.

10. *Passiva verò est Iuris Ecclesiastici.*

Probatur secunda pars: Ex Virgilio Papa, in quadam Epistola, quæ habetur in Decreto 2. dist. 6. dicente: *Ipsa namq; Ecclesia Romana, quæ prima est, ita reliquis Ecclesijs vices suas reddidit elargiendas, ut vocatæ in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis censeantur*: quasi diceret, primæ Ecclesiæ, & ejus capiti Papæ competere universale regimen Ecclesiæ, & tantùm committere suas vices Episcopis, particulares Ecclesias eis assignando pro Diœcesi, ut pro eis condant Leges, eosquè gubernent: ergo hæc passiva potestas est à Papa, & Juris Humani.

QVÆSTIO III.

Quis habeat Legislativam Potestatem condendi Leges Civiles?

1. *Authoritas ferendi Leges est radicaliter in Communitate.*

DICO primò: Potestas Legislativa Civilis residet primariò, ac radicaliter, in communitate civili: in Imperatoribus verò Regibus, & Principibus tantùm, ex concessione Communitatis, resignantis Jus suum in ipsos, eorumquè hæredes, vel ex speciali Dei ordinatione.

Probatur: Potestas Legislativa Civilis ex natura rei, tanquam proprietas quædam moralis sequitur conditionem corporis Politici; ergo primariò residet in ipso corpore politico communi. Antecedens patet, evolventi Historias & Scripturam S. in qua deprehenditur Potestatem Legislativam semper resedisse in corpore totius alicujus popoli, à quo deinde derivabatur in hoc, vel illud individuum Regis, vel Ducis.

2. *Ius semel translatum in Regem, nequit revocari.*

NOTA hic: Posteaquam Communitas Civilis semel transtulit jus suum Leges condendi in Reges, vel Imperatores, vel Duces, non potest illud ab eis auferre pro sua voluntate. Ratio est; quia illud transferendo se privavit per voluntariam alienationem: unde talis Rex, vel Imperator non est delegatus, sed ordinarius Rector Communitatis: ergo, &c.

3. *Nemo defacto potest condere Leges politicas pro toto mundo.*

DICO secundò: Nullus Imperator Romanus, nec in totum Orbem, nec in omnes Christianas Provincias potest ferre Leges: sed in solas Provincias Romano Imperio, sibiquè subjectas. Est communis TT. contra Bartolum, & alios Juristas nonnullos.

Probatur primò: Nullus Imperator Romanus nec à Deo, nec jure belli, nec hæreditariâ successione obtinuit totum Orbem, nec omnes Christianas Provincias, maximè Indias noviter inventas, neque ab Orbe toto accepit electionem: ergo, &c.

4. *Suadetur ex praxi Orbis.*

Confirmatur primò: Ex praxi antiqua orbis, nam jam olim, dum adhuc utrumq; Imperium Orientis & Occidentis esset Catholicum; Orientis non fuit subjectum Legibus Imperialibus Occidentis: nec illud pro hoc Leges tulit: ergo nec modò.

Confirmatur hoc experientiâ, quâ videmus Hispanias, & Gallias nil curare Leges Imperiales; ùt proinde dicatur *cap. Super speculâ, de Privilegijs*: in Francia, & nonnullis Provincijs Laici Romanorum Legibus non utuntur: ergo, &c.

5. *Fœmina Regina potest Leges ferre.*

DICO tertiò: Fœmina, si fuerit Domina Regni, potest condere Leges veras.

Probatur: Fœmina est capax jurisdictionis temporalis Regiæ, cum hæc dimanet à consensu populi transferentis eam liberè in Reginam: ergo poterit vi hujus Leges condere.

6. *Exempla hoc docent.*

Confirmatur usu laudabili plurium Regnorum Hispaniæ, Sveciæ, &c. ubi hoc nostro sæculo Reginæ veram Potestatem Legislativam exercuêre: ergo, &c.

7. *Textus Divi Pauli exponitur.*

Objic: Apostolus dicit: Fœminam debere esse subditam viro suo: ergo. Resp: hoc esse intelligendum quantum ad jura matrimonij, si virum habeat, non quòad jura politici regiminis.

8. *Et textus Iuris Civ:*

Objic: secundò: Lex *Fœmina, ff. de Regulis*, repellit fœminas ab Officijs Civilibus, & publicis, unde nequeunt esse judices, nec Magistratum gerere: ergo, &c. Respond: cum Baldo, illum textum non intelligendum esse de præcellentibus fœminis, & Regnorum hæredibus, sed de communibus.

9. *Rex propriâ Lege suum Regnum regere potest.*

DICO quartò: Quilibet Rex & Princeps potest Legibus proprijs suas gubernare Provincias. Est communis DD.

Probatur: Quia communis Regni, vel Provinciæ consensus ei concedit hujusmodi Potestatem in sua inauguratione: nonminùs quàm Imperatori Imperium: ergo.

10. *Non item Princeps inferior.*

Sed quid sentiendum de Principibus inferioribus? Respondeo hos nullas posse condere Leges stabiles, & perpetuas, nisi à Supremo Principe ei concedatur, prout concessum est varijs Germaniæ, & Italiæ Dynastis. Ratio est; quia hujusmodi Principes feudales, nec ex se, nec ex populi con-

consensu habent absolutam authoritatem Leges decernendi: ergo, &c.

11. *Reges peccatores possunt ferre Leges.*

DICO quiotò: Potestas Legislativa à fide, & moribus Principis non dependet. Est contra errorem Viclephi, damnati in Constant: Conc:

Probatur: Authoritate S. Scripturæ, qoæ narrat Saulem, Davidem, Salamonem, &c. fuisse veros Reges, & Legislatores, non obstante quòd magni essent peccatores. Unde jubet D. Petrus 1. Petri 2. ut fideles *Obediant Dominis suis non tantùm bonis, sed & discolis*: ergo, &c.

12. *Potestas Ecclesiastica Legislativa est eminentior Civili.*

DICO sextò: Potestas Legislativa Civilis est minor Ecclesiasticâ.

Probatur: Ecclesia sibi subordinat Civilem, eámqoe limitat, corrigit, imò reprobat, dum Leges conscribit depravatrices morum, aut offendentes libertatem Ecclesiasticam: ergo, &c.

13. *Pontifices Imperatores exauctorarunt.*

Unde NOTA: Ecclesiā ob hujusmodi præ Civili Potestate præeminentiā, & ex rationibus gravissimis etiā exauctoràsse Reges, & Imperatores: sic in Concilio Lugdun: Fridericus secundus fuit Imperiô privatus, Et Leo tertius Imperium Occidentis transtulit in Carolum Magnum.

14. *Indirectè subordinantur Imperat: Papæ quoad exauctorationem.*

NOTA secundò: Hanc subordinationem esse tantùm indirectam, id est quæ solùm se extendit ad promovendum bonum spiritnale Ecclesiæ, quod attingi ab Ecclesia quandoque non potest, nisi per correctionem & reprobationem Supremæ potestatis Civilis, deflectentis ad hæreses, Tyrannidem, & depravatos mores cum præjudicio Catholicismi.

15. *Testimoniū pro authoritate Supremæ Papæ.*

Hanc porrò præeminentem & sobordinatricem facultatem Ecclesiæ DEI, insinuat Bonifacius 8. in Extrav: *Unam Sanctam, de Major: & Obed:* dum ait: *Si deviat terrena potestas, judicabitur à potestate spirituali, &c.*

QVÆSTIO IV.

Quos Actus Externos possit præcipere Legislator per Legem humanam?

1. *Quos actus externos possit Legislator præcipere.*

DICO primò: Omnes illos Externos Actus, & solos potest Legislator Lege humanâ graviter obligante præcipere, qui aut sunt moraliter necessarij, aut utiles ad bonum commune subditorum; possibiles tamen elici: & vetare, qui non sunt necessarij, vel utiles. Hanc tenet D. Thomas cum suis, & Scotistis.

Probatur: Legislativa potestas est concessa ad felix & quietum guberniom communitatis procurandum: ergo omnes illos, & solos actus externos potest Legislator suâ Lege præcipere, qoi hujusmodi felix gubernium inducunt, quales sunt omnes & soli Actus necessarij ac utiles ad commune bonum subditorum: Et vetare, qui id impediunt. Ex his

2. *Actus indifferentes possunt præcipi ab homine.*

Infero primò: Legislatores posse quandoque etiam præcipere Actns Externos ex se indifferentes. Ratio est; quia hi huic, vel illi commonitati possunt esse utiles ad scopum suum prævium attingendum. Idem dicendum de vetatione inutilium.

3. *Et Virtutū naturaliū.*

Infero secundò: Eosdem quandoque posse præcipere Actus aliquos virtotum naturalium, non tamen omniom, & similiter prohibere potest vitia eis opposita. Ratio primi est; quia ejusmodi Actus pariter conducere possunt ad commune bonum: & vitia opposita ei adversari: ergo. Ratio secundi; quia nonnulli ex ipsis sunt adeò difficiles, ut communiter loquendo superent fragilitatem humanam; unde si præciperentur, injiceretur laqueus animabus subditorum v. g. præcipere perpetuam castitatem, & voluntariam altam paupertatem: Potest tamen hos actus Legislator annectere alicui statui, prout Ecclesia eos annectit certis statibus.

4. *Et Moralium.*

Infero tertiò: Etiam actus virtutum moralium, qui non spectant ad justitiam distributivam posse præcipi Lege humanâ: sic dicit Aristoteles 5. Eth: c. 1. *Præcipit lex, & ea agere, quæ ad virum pertinent fortem, ut non deserere locum in acie, non fugere, non hastam abjicere.* Item *Quæ sunt materia justi, ut non pulsare, non convitia dicere, & in cæteris virtutibus atque vitys alia jubens, alia vetans.* Ratio est eadem, quæ ante.

5. *Lex non respicit actum præteritum.*

DICO secundò: Lex humana dum fertur sub propria ratione Legis, non respicit actum præteritum, vel præsentem; sed solùm futurum.

Probatur: Lex est quædam Regola secundùm quam homo dirigat suos actus; sed nequit eos dirigere, nisi ad Legem jam positam: ergo, &c.

DIXI sub *propria ratione Legis*; potest enim Legislator per Legem sob ratione sententiæ se extendere, etiam ad actum præteritum, illum castigando, irritando.

Et sic intelligenda sunt Jura *c. 2. fin. de Cens: & L. Leges C. de Legibus.*

QVÆSTIO V.

Utrum Actus Interni possint præcipi, vel vetari Lege Humanâ.

1. *Quid actus purè internus, externus, & mixtus.*

NOTA primò: Actus *purè Internos esse* illos, qui à solis potentijs internis compleantur v. g. intelligere, speculari, meditari. *Actus purè externi* sunt, qui dicuntur actione aliqua externa compleri v. g. ambulare, legere, &c. *Mixti* sunt, qui præter existentiam Actûs externi purè, requirunt ex decentia alios actus, talis est oratio vocalis, quæ requirit intentionem.

2. *Internus potest indirectè præcipi Lege humanâ.*

DICO primò: Lex humana potest indirectè præcipere, vel prohibere Actum Internum. Est communis.

Probatur: Ex facto Ecclesiæ, quæ præcipit auditionem Sacri, & indirectè ad minùs etiam intentionem & attentionem, ùt habetur *cap. Dolentes, de Celebratione Missæ*: ergo, &c.

3. *Ratio ad hoc.*

Probatur secundò: Actus Internus requiritur necessariò, ut habeatur externus in ratione humani & voluntarij actûs: ergo Lex humana, quæ est Regula actuum humanorum præcipiens Actum externum, præcipit indirectè etiam Internum.

4. *Potest etiam directè probabiliter præcipi Actus Internus.*

DICO secundò: Lege humanâ Ecclesiasticâ probabiliter etiam possunt præcipi, vel prohiberi Actus purè Interni. Ita Caramuel in Theol: Fundamentali c. 4. Rotella. Adrianus, &c. contra communem Thomist: Scotist: & Neutrist:

Probatur primò: Hæresis mentalis est Actus purè Internus, sed hæc defactò per Clem: 1. *de Hereticis* est prohibita, & excommunicatione fulminata; ùt patet ex *cap. Si quis per stipendium*; d. 30. ergo, &c.

5. *Alia Ratio pro hoc:*

Probatur secundò: Potest Ecclesia præcipere omnia quæ prudenter putat esse necessaria & conducentia ad salutem animarum consequendam, juxta illud: *Quæcunque alligaveritis super terram erunt ligata & in cælo, &c.* Sed Actus Interni sunt necessarij aliquando, & conducentes Ecclesiæ ad salutem animarum: ergo, &c.

Confirmatur: Ordo Seraphicus defactò approbante Ecclesia condidit statuta præcipientia Actus purè Internos mentalis Orationis, horis statutis hebdomadæ: ergo.

6. *Iterum alia.*

Probatur tertiò: Christus potuit Actus purè Internos præcipere: ergo & Ecclesia, seu Papa, qui habet authoritatem Christi, circa hoc non limitatam per ullam Scripturam.

Confirmatur: Papa potest præcipere Actum Internum & Externum simul, & defactò præcepit: ergo & ipsum Internum solum, & secundùm se. Consequentia tenet ex illa Regula Juris 53. *Cui licet id, quod est plus, licet utique quod est minus.*

7. *Quarta Ratio ad idē.*

Probatur quartò: Ecclesia in *cap. Dolentes, de Celebratione Missarum*; præcipit attentionem & intentionem in recitandis Horis Canonicis, & celebratione Missæ, unde peccat qui celebrat Missam sine attentione & intentione: ergo præcipit Actus Internos.

8. *Ecclesia potest aliquid præcipere, quod non potest punire.*

Objic: Illud non potest Ecclesia præcipere vel prohibere, quod non potest punire, sed Actus Internos non potest punire: ergo, &c. Respond: Majorem esse falsam, nam actus externos, secretos tamen & incognitos v. g. secretam omissionem Breviarij, Ecclesia potest prohibere, & tamen non potest punire stante secreto, idem dic de hæresi mentali.

9. *Quomodo sit intelligendum illud Trid:* Ecclesia nō judicat de occultis.

DICES: Ecclesia Trid: Sess: 24. c. 1. de Clandestino Matrimonio, dicit: *Se non posse judicare de occultis*; ergo neq; potest præcipere, vel prohibere interna. Respondetur Distinguendo Antecedens; dicit se non posse judicare de occultis potestate coërcitivâ Concedo Antecedens, directivâ Nego Antecedens. Itaque in Ecclesia sunt duo Tribunalia, & duæ Potestates: Externum & Internum: In Externo formantur Judicia, potestate coërcitiva & præceptiva ac directiva simul: In Interno solâ potestate præceptivâ, seu directivâ, & coërcitionem seu punitionem Ecclesia DEO relinquit defectu scientiæ.

QVÆSTIO VI.

De Promulgatione Legis Humanæ.

1. *Explicatur Promulgatio.*

NOTA primò: Promulgationem solemnem Legum præceptoriarum (quæ est necessaria conditio Legis) idem esse, quod apertam declarationem voluntatis Legislatoris, factam subditis signo aliquo sensibili, quod aut sit Scriptura, aut aliud signum, sufficienter manifestativum.

2. *Nulla habetur forma certa promulgationis.*

NOTA secundò: Nullam certam esse determinatam formam, vel modum ex natura rei promulgationis solemnis Legum, unde sufficiet quæcunque, quæ in Provincia hac, vel illa est usitata.

3. *Quæ censenda solemnis promulgatio.*

NOTA tertiò: Non censeri solemnem illam Promulgationem Legum præceptoriarum, quòd Lex noviter cusa edatur in sola curia, coram Consiliarijs, aut typis man-

mandetur, niſi ulterius ſubditis intimetur quò ad majorem eorū partem, ita ut poſſit ad ſingulorum nutitiam facilè pervenire. Ita Scotus 4.d.3. q.4.D. Thomas & alij. Et in his concordant DD. ſed diſcordant circa locum & tempus Publicationis Legis. Qua in re...

4. *Factâ Promulgatione non ſtatim obligat Lex Civilis.*

DICO primo: Leges Civiles à Supremo Principe pro pluribus Provincijs latæ, absque temporis determinatione, non obligant, niſi facta promulgatione in ſingulis Provincijs reſpectivè. Ita Juriſtæ cum pluribus Theologis.

Probatur ex praxi communi: Et authentica, *ut facta nova Conſtit.* in qua dicitur: *Ut facta nova conſtitutiones poſt inſinuationes earum poſt duos menſes valeant*: quæ Authentica non ſolùm loquitur de Teſtamentis ibidem ſpecificatis, ùt vult Vaſquez, ſed de omni Lege, à Supremo Principe lata; ùt patet ex Pio IV. Papa, hanc Authenticam generaliter allegante: & Titulo, ſeu Rubrica univerſali præfixa, quæ juxta Baldum & Juriſtas communiter habet vim textûs, indicatque Jus univerſale, quatenùs non repugnat nigro ſeu textui, & quando habet completum ſenſum, uti hæc Rubrica univerſalis habet: ergo, &c.

5. *Quod intelligitur de novis Legibus.*

NOTA autem Concluſionem noſtram eſſe intelligendam de Legibus noviter latis & necdum redactis in Corpus Juris: quia eò ipsò, quòd aliquà Lex inſeratur Corpori Juris, non indiget alia Promulgatione, quia hoc Corpus ubique locorum in Scholis legitur.

6. *Conſtitutiones Pontificia debent promulgari in omnibus Provincijs.*

DICO ſecundò: Leges & Conſtitutiones novæ Sumi: Pontif: pro univerſa Eccleſia latæ, vel pro pluribus Provincijs, non obligant vi ſolius Promulgationis in Urbe Romana factæ, niſi oppoſitum in ipſa Conſtitutione exprimatur: ſed debent in quavis Diœceſi, vel Metropolitana Eccleſia ſolemniter promulgari. Ita Navar: Angelus, Armilla, Vaſquez, &c.

Probatur in c. 1. *de Novi operis nunciatione*, & habetur 5. Decretal: Tit: 32. Pontifices volunt Jus Imperatorium ſervari, ubiq; ubi Jure Canonico nil eſt conſtitutum; ait enim: *Sicut Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum ſtatuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur*: & cap. *Si in adjutorium*, diſt: 10. dicitur: *Leges Imperatorum in adjutorium Eccleſiæ aſſumendas eſſe, exemplo Pauli, qui adverſus injurioſos ſe Civem Romanum eſſe, teſtatus eſt*, ubi Gloſſa ait: *Ubi deſunt Canones, Leges citari poſſunt*: ſed de Jure Canonico nil conſtat, quo tempore incipiat Lex Pontificia obligare: ergo recurrendum eſt ad Leges Imperatorias, & conſequenter ſicut hæ, ita & illæ non obligant, niſi poſt Promulgationem in ſingulis Diœceſibus factam.

Confirmatur: Quia præſumendum eſt de pia & paterna Sum: Pontif: voluntate: quod non velint tam ſubitaneam inducere in ſuis Legibus obligationem: ſed ſe conformare communi Juris Ordini quò ad hoc: ergo, &c.

7. *Firmatur idem aſſertum.*

Probatur ſecundò: Ipſi Pontifices in quibuſdam Legibus requirunt, & mandant Promulgationem fieri in ſingulis Provincijs, & quandoque determinant tempus, poſt quod incipit primùm obligatio, uti eſt Lex Trid: *de Matrimonio Clandeſtino*; & ſimiles in Bulla Pij IV. ſuper *Declaratione temporis*, quô debebat obſervari Trid: & Lex lata circa Medicos cap. *Cùm infirmitas de Pœnitentia & Remiſſione*; ergo idem dicendum in alijs Legibus.

Confirmatur: Ipſa Lex Chriſti Hieroſolymis non fuit in die Pentecoſtes ſufficienter pro toto Orbe promulgata, uti omnes concedunt: ergo nec Pontificia in ſola urbe promulgata. Conſequentia tenet, niſi detur diſparitas.

8. *Cur multæ Bullæ non obligent.*

Ex hac doctrina patet; quomodò multæ Bullæ Pontificiæ editæ, in varijs Regnis, & Provincijs non obligent de factò: eò quòd ab Ordinarijs Locorum, aut ex negligentia, aut alijs de cauſis gravibus v.g. ob Laicam poteſtatem, vel defectum finis Legis, non fuerint debitè promulgatæ in ſuis Diœceſibus, juxta Paparum voluntatem, & mandatum, contra quas longa conſvetudo populi contraria invaluit, & vim contrariæ Legis tandem obtinuit.

9. *Quædam Bullarum Clauſula explicantur.*

Objic: primò: In Bullis Pontificijs ordinariè adduntur iſtæ particulæ, *ex nunc, &c. ex tunc, &c.* ergo ſtatim obligant: Reſpondeo Negando Conſequentiam; quia illæ particulæ tantùm indicant, quòd facta Promulgatione, in Diœceſi hac vel illa, ex tunc obligent Bullæ.

10. *Decreta publicantur per inſertionem in Corpus Iuris.*

Objic: ſecundò: Multa Decreta extant in Jure Canonico, & Bullarijs, nunquam in Diœceſibus ſingulis promulgata, ſed tantùm Romæ, ſed hæc obligant totam Eccleſiam: ergo, &c. Reſpondeo hujuſmodi Decreta eſſe ſufficienter promulgata per diutinam inſertionem in Corpus Juris publici: ideoquè de factò obligare.

11. *Lex Epiſcopalis ſufficienter promulgatur in ſola Eccleſia Matrice.*

DICO tertiò: Leges Epiſcopales & Concilij Provincialis, ſufficit promulgare in Eccleſia Matre.

Probatur: Quia nec ratio, nec Jus poſitivum plus requirunt: ergo, &c.

12. *Conſvetudinaria Leges nō egent*

DICO quartò: Ad Leges conſvetudine introductas, nulla alia requiritur Promulgatio, diſtincta à conſvetudine.

Pro-

Promulgatione. Probatur: Quia ipsa cosvetudo supplet locum Promulgationis, eò quod faciat Legem publicam ac notoriam sufficienter: ergo, &c.

13. *Leges ligant post bimestre à Promulgatione.* DICO quintò: Etsi Lex tam Civilis, quàm Pontificia, dum est promulgata in Provincia, vim habeat obligandi, ejus tamen obligatio suspenditur usque ad duos menses à tempore Promulgationis. Patet ex suprà dictis. Deinde

Probatur: Quia Lex non potest statim innotescere singulis subditis totius Provinciæ, nisi post aliquod tempus, quòd pro Civilibus Legibus ex Authentica citata, sunt duo menses, & idem censendum est de Legibus Pontificijs, cùm de ipsis nil specialiter ordinatum sit in Jure Canonico: ergo, &c.

14. *De Lege Papali specialis probatio.* Probatur secundò: Specialiter de Lege Pontificia, ex Bulla Pij IV. citata, *de evulgatione Trid:* ubi dicitur: Jure communi sancitum esse, ut novæ Constitutiones, non nisi post tempus certum vim obtineant: & ideò statuit, ut Leges Tridenti Concilij de facto non teneantur, nisi post tres menses à promulgatione.

15. *Limitatur præcedens Doctrina.* Omnia hactenus dicta intelligenda sunt, nisi Pontifex, vel Imperator expressè se declaret aliter in Lege, noviter à se lata: quia si se declaret, standum erit eorum judicio, contrario, & obediendum.

QVÆSTIO VII.

An ad Legis Humanæ Constitutionem requiratur Populi Acceptatio, & qualiter Legislator ligetur suâ Lege.

1. *Acceptatio Populi non requiritur ad rationē Legis.* DICO primò: Ad naturam & constitutionem Legis humanæ non requiritur Acceptatio populi: unde si Lex justa sit, tenetur eam acceptare sub peccato. Ita plures Juristæ & Theologi contra Suarez, &c.

Probatur: Si considerentur Leges Civiles, supra conclusum est, quod communitas Jus suum efformandi tales Leges, transtulerit liberè in Supremum Principem Civilem; ùt patet ex *L. 1. ff. de Constit. Principum;* ergo constitutio Legis humanæ ab ejus Acceptatione ampliùs non dependet. Si verò attendantur Leges Papales, hæ à fortiori condi, & essentialiter constitui possunt sinè subditorum consensu, cum potestas Legislativa in Pontifices derivetur immediatè à Christo, non à subditis: ergo pro libitu suo possunt condere Leges, sinè populi Acceptatione obligantes.

2. *Lex potest abrogari, nō tamen impediri, non recipiatur.* Objic: Lex per consvetudinem potest abrogari: ergo & impediri, ut non sit valida, & obligans. Respondeo Negando Consequentiam, disparitas est; quia obrogatio Legis per consvetudinem, est quasi jus præscriptionis: Jus autem præscriptionis, licèt valeat ad retinenda bona alterius, non tamen ad ea ipso invito primùm auferenda: sic licèt valeat consvetudo ad retinendam libertatem à Lege, non tamen ad eam primò vendicandam invito Legislatore.

3. *Lex injusta ex natura rei rejicitur.* Objic: Aliquando sunt Leges injustæ: ergo has potest rejicere & non acceptare populus: ergo quascunque. Respondeo Negando Consequentiam ultimam, si enim Leges sint injustæ evidenter, non erunt Leges, & sic reijci possunt à populo, non propter authoritatem populi, quam super Leges haberet, sed ex natura rei, & judicio cujuscunque prudentis.

4. *Remedium supplicationis suspendit obligationem Legis.* Objic: tertiò: Leges sunt aliquando valdè duræ & aggravantes Respublicas: ergo saltem has potest non acceptare. Respondeo in hoc casu Populum non posse simpliciter reijcere Leges, sed debere recurrere ad Principem per remedium supplicationis pro sublatione Legis: quâ stante supplicatione, licitum est Populo, suspendere obligationem Legis; ùt benè notat Rodriqu: Bonac: &c. quia tunc Supremus Princeps præsumitur rationabiliter esse contentus hâc Legis suspensione; ùt patet manifestè ex Rescripto quodam Alexandri III. *cap. Si quando 5. de Rescriptis.*

Circa alteram Quæstionis partem.

5. *Quid sit vis directiva, & coactiva.* NOTA duplicem esse vim in Lege Directivam, & Coactivam: *Vis Directiva* est, quando quis Legem observare debet ob aliquod peccatum, non ob pœnam Civilem. *Coactiva* est, quando observare debet Legem ob utrumque, & peccatum, & pœnam.

6. *Legislator non obligatur vi coactivâ Legis.* DICO secundò: Legislator Supremus & absolutus non obligatur vi coactivâ ad suam Legem servandam: benè tamen vi directivâ. Ita communis Theologorum.

Probatur prima pars: Vis coactiva ordinatur ad pœnā invito infligendam: ergo cùm solus Legislator voluntariè possit punire transgressores, non poterit vim coactivam in se exercere: quia nemo invitus sibi pœnam infligit.

7. *Benè tamē directivâ.* Probatur secunda pars: Ex *cap. Cùm omnes, de Constit.* ubi dicitur: *Cùm quis Legem statuit, debere eam servare, juxta illud sapientis dictum: patere tu Legem, quam ipse tuleris.* Et *L. Verè ff. de Legibus.* Et Ambros: Lib.

Lib. 2. Epistolarum Epist: 15. *Leges Imperator fert, quas primus ipse custodiat* Et ratio est; quia vis directiva ordinatur ad bonos mores, sed Legislator æquè tenetur ad bonos mores: ergo, &c.

Nota hoc secundùm Conclusionis membrum fore intelligendum de Legibus, versantibus circa materiam, quæ est accommodabilis ipsi Legislatori Supremo, qualis non esset hæc, *Nemo Holosericu in toto Imperio incedat*,

QVÆSTIO VIII.

De Ecclesiasticis, Religiosis, & Peregrinis, qualiter Legibus constringantur.

1. *Ecclesiastici & Religiosi non comprehenduntur Lege trahente eos ad forum sæculare.*

DICO primò: Ecclesiastici & Religiosi in causis Ecclesiasticis, & spiritualibus, non ligantur ullis Legibus trahentibus eos ad forum sæculare. Ita communis doctrina omnium DD. & Canonum.

Probatur: Quia hæc exemptio deducitur ex ipsis principijs Juris Divini; ut patet in Trid: Sess: 25. c. 10. *de Reform:* & habetur hujus exemplum in Genesi 47. & 1. Esdræ 7.

Patet etiam ex perpetua praxi Ecclesiæ: & Jure Can: Tit: *de Foro competenti.* Bullâ Cœnæ, &c. ergo, &c.

2. *Benè tamen alijs Legibus directivè.*

DICO secundò: Ecclesiastici, & Religiosi secundùm vim directivam ligantur communibus Principum sæcularium Legibus; quæ tamen, nec Divino Juri, nec S. Canonibus adversantur. Ita Canonistæ, & TT. communiter.

Probatur: Ecclesiastici & Religiosi spectant tanquam membra ad Corpus Politicum communitatum: ergo ligantur communibus Legibus, concernentibus commune bonum communitatum; cujusmodi est observantia Legum. Unde benè D. August: Lib. 3. Conf: c. 8. *Turpis est omnis pars suo universo non congruens.*

3. *Species Legum Civilium, quibus exempti tenentur.*

Ex his infero primò: Ecclesiasticos teneri ad sequentes & similes Leges, à Principe sæculari latas, pro communi bono: ut si rebus venalibus pretia certa constituat: si jubeat, ut à nemine noctu arma deferantur absque lumine, ne quis urbis portas egrediatur certo tempore, frumenta extra territorium divendat; & similes.

4. *Ecclesiastici, & Religiosi nullâ Lege Civili coërceri possunt.*

DICO secundò: Ecclesiastici & Religiosi quò ad vim coactivam, nullò modò subduntur Legibus Principum sæcularium, etsi hujusmodi Leges non concernant spirituales causas eorum. Est Canonistarum & Theologorum contra Calvinum, &c.

Probatur primò: Ex Concil: Calced: can: 9. ubi dicitur: *Si Clericus adversus Clericum habeat negotium, non relinquat Episcopum, & ad sæcularia judicia non recurrat*, Idem præcipitur in Concil: Agatensi Can: 32. & passim in Jure tam Cæsareo, quam Pontificio: Unde laudatur apophtegma *Constantini*, editum in Concilio Niceno, cui cum diversi Libelli supplices à Clericis & Episcopis præsentarentur; nullo lecto dixit: *Vos Dij estis à Summo Deo instituti, convenientes autem non est, ut homo judicet Deos:* & sic singulos dimisit.

5. *Calvinus depravat verba Constant: Imperat.*

DICES ex Calvino, idem Constantinus Epistola *ad Nicomedenses*, testatur se exilio mulctâsse Eusebium Episcopum Nicomedensem; & addit hæc verba: *Si quis Episcoporum tumultuatus fuerit, Ministri Dei, hoc est mea executione illius audacia coërcebitur:* ergo Constantinus ostendit se habere potestatem, hujusmodi tumultuantes coërcendi. Respondeo primò illum Eusebium fuisse condemnatum in Concil: Nicæno hæresis Arrianæ, depositum proinde ab Episcopatu, & meritò Judici sæculari traditum. Ad dictum Constantini dico, illud corruptè allegari à Calvino: sic enim verus textus habet: *Si autem quispiam* (non dicit Episcoporum) *temeritate & audaciâ accensus eas Ecclesiæ partes, vel Episcopos Arrianos, à Concilio damnatos, vel memoriâ, vel laudibus celebrare aggrediatur, confestim operâ ac diligentiâ Ministri Dei, hoc est, meâ, pœnas suæ justitiæ dabit.* Non loquitur Imperator de Episcopis, sed de Laicis, volentibus laudare, & memoriâ celebrare damnatos à Concilio.

6. *Bona Ecclesiastica sunt immunia à tributis Principum.*

DICO tertiò: Etiam Bona Ecclesiasticorum de Jure sunt libera à tributis, & exactionibus Principum, quantum ad vim coactivam. Ita Canonistæ passim.

Probatur primò: Ex Decreto Concilij Later: sub Alexandro III. & Innocent: III. Item extra *de Constit. cap. Ecclesia & quanquam de Censibus in 6.* Item ex *L. Cassa*, & *L. Sancimus. C. de SS. Ecclesijs.* Item ex Legibus plurimorum Pontificum, quos vide apud Canonistas adductos, etiam post Justini tempora, licèt antea solùm essent Clerici immunes à tributis personalibus, non autem ab alijs, quæ solvi debebant ratione possessionum.

7. *Limitatio prioris doctrinæ.*

Nota autem præfatam doctrinam modificari in sequentibus Casibus.

Primò: Si bona priusquàm ad Clericos devolvantur, habuerint annexum certum onus v. g. censum annuum, vel ser-

Yyy

servitutem, transeunt hæc bona ad Clericos cum suo onere, ùt habetur *cap. Pastoralis de Decimis.*

Secundò: Si exactio cedat in privatum commodum etiam Clericorum v.g. si agger sit reparandus, ne aquæ exundent in agros, tenentur etiam Clerici contribuere.

Tertiò: Si Laicorum media non sufficiant alendo v.g. Exercitui pro Reipublicæ defensione, potest Princeps exigere tributa à Clerico per *cap. Adversus*, & *cap. Non minus de Immunit: Ecclesiarum*: requiritur tamen consensus Episcopi, & Exemptorum Prælatorum: imò Bulla Cœnæ requirit etiam consensum Summi Pontificis, nisi sit periculum in mora. Vide plura hac de re in Tract: meo de Jure, & Justit: dist: 14. q. 3.

8. *Circa Peregrinos, in quibus conveniant DD.*

Quò ad aliud Quæstionis punctum, de Peregrinis.

Conveniunt primò DD. quòd Peregrini diu moram trahentes in aliquo territorio, cujusmodi sunt Scholares, Mercatores, &c. omnibus Legibus territorij ligentur. Ratio est; quia per talem moram acquiritur forum judiciale, & figitur domicilium; unde sicut Incolæ territorij ligantur, ita & tales Peregrini.

Conveniunt secundò: Si speciales Leges in aliquo territorio conderentur pro Peregrinis expressè v.g. ne arma portent, ligabuntur statim omnes Peregrini his Legibus. Ratio est; quia tales Leges sunt quandoque necessariæ pro communi bono, & ipsorum Peregrinorum.

Inquiritur ergo de Legibus communibus talis territorij, per quod transeunt, qualiter ijs ligentur Peregrini.

9. *Peregrini non stringuntur Legibus territorij.*

DICO quartò: Peregrini, cessante scandalo, non ligantur Legibus communibus territorij, quod pertranseunt. Est contra plures TT. & Canonistas.

Probatur: Ex *L. Hæres absens, ff de Iudicijs*; ubi dicitur: non acquiri forum competens, ratione brevis moræ: Item ex *cap. Finali, de foro competenti*; ubi dicitur nemo sortitur forum, nisi ratione delicti, contractûs, domicilij, vel rei in territorio possessæ: sed sortiri in territorio, est Legibus ligari: ergo, &c.

Probatur secundò ratione: Nimis durum, & onerosum foret, Pragâ peregrè proficiscentem Romam, omnium locorum Legibus diversissimis arctari, absque magno fundamento, quod pro altera sententia assignari nequit: ergo, &c.

10. *Limitatur Conclusio.*

NOTA tamen tales Peregrinos ligari Legibus concernentibus contractus, domicilia, delicta publica, & res possessas; ùt patet ex cit: *cap. finali.* Hi enim casus specialiter in Jure exprimuntur.

11. *De Peregrinis & Vagis idem judicium est hic.*

NOTA secundò: Quòd resolutiones præfatæ etiam valeant pro vagis, qui nusquam domicilium figunt.

QVÆSTIO IX.

An Humana Lex obliget cum Dispendio bonorum vitæ: ubi etiam de ejus Interpretatione, & Epikeja.

1. *Aliqua Lex obligat cum Dispendio vitæ.*

DICO primò: Lex humana habens per se annexum periculum vitæ, & cedens in magnam communitatis, vel Religionis utilitatem, obligat in conscientia cum Dispendio vitæ, & bonorum. Est Cajetani & aliorum Theologorum.

Probatur primò: Inductione Legum militarium, de stationibus conservandis; de pugnando & congrediendo cum hoste. Item Legis illius Parochorum, de cura infirmorum tempore pestis obeunda, quæ omnia, si non obligarent cum vitæ periculo, & consequenter possent omitti, Publicum bonum magnam pateretur jacturam, unde istiusmodi Leges semper in aliquo principio Legis naturalis, vel Divinæ positivæ sunt radicatæ.

Probatur secundò ratione: Bonum publicum est præferendum bono personali Civium, dicente Philosopho 8. Polit: *Civem esse magis Reip. quàm sui ipsius*: ergo, &c.

2. *Aliqua verò non.*

DICO secundò: Quando opus Lege præceptum non habet annexum periculum vitæ, nec cedit in notabilem Reipublicæ, vel Religionis utilitatem, non obligat in conscientia, cum vitæ, vel bonorum Dispendio. Ita Vasqu: Marchantius noster, &c.

Probatur: Lex Divina non obligat in his circumstantijs cum vitæ & bonorum Dispendio, nam David in necessitate concedit Panem Sanctum, Lege Divina prohibitum Laycis; & Machabæi in Sabbato pugnàrunt: ergo nec humana à fortiori.

3. *Quid sit naturalis, & civilis proprietas verborum?*

NOTA: Duplicem esse verborum proprietatem, Civilem & Naturalem. Proprietas *Civilis* dicitur talis, quia ob similitudinem, aut vocis fictionem extenditur à jure ad aliud significandum, talem habet vox *Mors* quatenùs significat mortem Civilem Religiosi, quæ fit per Religiosam professionem. *Naturalis* dicitur talis, non quasi à natura esset significatio verborum, sed quia est talis ex prima ipsorum institutione,

tione, aut communi loquendi uſu populi, talem habet ipſa eadem vox *Mors*, ſignificans naturaliter mortem phyſicam.

4. *Interpretatio Legum quid?*

Nota ſecundò: Legem interpretari, eſſe Legem explicare, ſeu declarare quò ad ſenſum Legis. Eſt autem juxta Gloſſam triplex explicatio, Authentica, Uſualis, & Doctrinalis.

Authentica eſt; quæ fit ab illo, qui Legem poteſt condere, de qua loquitur Lex 5. *C. de Legibus.* Et eſt ejuſdem authoritatis cum Lege. *Uſualis* eſt idem, quod conſvetodo, de hac dicitur *cap. Cùm dilectus, conſvetudo eſt optima Legum interpres. Doctrinalis* eſt; quæ fit à viro prudenti & practico in Legibus: & hæc vim Legis non habet, trahit tamen ſecum pondus æſtimationis; Unde ſi plurimi DD. ſeu prudentes concordent in eodem intellectu Legis, naſcitur æſtimatio humana certiſſima de tali ſenſu verborum.

5. *Leges poſſunt licitè interpretari.*

DICO tertiò: Licitum eſt Leges interpretari, eas exponendo, quandoque per ampliationem, quandoque per reſtrictionem. Colligitur ex *L. unica, C. de Poſſeſſionibus;* & eſt communis DD.

Probatur: Ex communi praxi præclariſſimorom Virorum TT. Canoniſtar: & Juriſtarum, quibus nec Supremus Princeps ſæcularis, nec Eccleſiaſticus contradicit: ergò, &c.

6. *Quo ſenſu Pontifex prohibeat fieri gloſſas in Leges Eccleſiaſticas?*

DICES: Papam Pium contradicere, dum in *Extrav: Benedictus*, prohibet ſub graviſſima pœna fieri Commentarios, Gloſſas, &c. ſuper Decretis Trident: ergo, &c. Reſpondeo Pontificem citatom tantum prohibere Commentarios, qui ex profeſſo & quaſi authoritativè contra Concilium fierent, non verò de aliqua intelligentia, quæ reverenter, & humiliter in re dubia obiter fit circa Concilij diſpoſitiones, quod praxis tolerata DD. probat in omnibus Scholis.

7. *Lex favorabilis naturaliter & civiliter extendi poteſt.*

DICO quartò: Lex in materia favorabili extendenda eſt, non ſolùm juxta proprietatem naturalem, ſed etiam juxta civilem: in materia verò odioſa quantùm verba patiuntur, juxta proprietatem naturalem reſtringenda eſt, niſi neceſſitas cogat.

Probatur prima pars: Ex illo Axiomate Juris communis: *Favores ſunt ampliandi.* Unde Lex loquens *de Filys Legitimis*, extendi poteſt etiam ad legitimatos. Et alia loquens de filijs indefinitè, extenditur etiam ad adoptatos.

8. *Odioſa poteſt reſtringi.*

Probatur ſecunda pars, ex eodem Jure dicente: *Odia eſſe reſtringenda.* Et ex communi axiomate DD. in odioſis v.g. pœnalibus, benigniorem partem eſſe amplectendam: ergo. Sic interpretari debent Leges odioſæ, ſtatuentes aliqoid contra Clericos, hi enim & Religioſi non comprehenduntur in odioſis; licèt benè in gratioſis.

9. *Epikeja quid nomine, & rei?*

Circa Epikejam Nota in Latino ſignificare æqoitatem, & definitur à Philoſopho 5. Ethic: 10. quòd ſit emendatio Legis, ex ea parte, qoà deficit propter univerſale: quia enim fieri non poteſt, quin in caſo particolari ſubinde deficiat univerſalis homanæ Legis diſpoſitio, eò quòd humanæ res ſubſint innumeris mutationibus & caſibus contingentibus, quos Legiſlator hamanos non potuit prævidere, idcircò per judiciom prudentiæ corrigitur univerſalis Legis expreſſio, quò judicantur non fuiſſe mentem Legiſlatoris, caſum aliquem particularem comprehendere, ſi prævidiſſet.

10. *Diſtinctio inter Epikejam, & interpretationem?*

Nota ſecùndò: Epikejam etſi ſit qnædam Legis Interpretatio, ab ea tamen ſtrictè loquendo diſtingvi: nam Interpretatio verſatur circa verba Legis obſcura: Epikeja verò emendat Legem, declarando certum caſum non comprehendi, etiamſi alioquin circa verba Legis nulla ſit obſcuritas, vel ambiguitas.

11. *Quando Epikeja poſſit adhiberi.*

Nota tertiò: Epikejam locom habere circa Leges, primò quando caſus particularis foret perniciosus bono communi. Secundò; quando caſus ob ſupervenientem aliqoam circumſtantiam ſit illicitos, eò quod repognet Legi naturæ, aut alteri altioris Ordinis, vel ſtrictiùs obliganti. Tertiò; quando caſus ſupervenit, quò Legis obſervantia foret nimiùm difficilis, v.g. ob onus, vel damnum in honore, famæ, vitæ, vel rebus fortunæ, tam acqoiſitis quàm acquirendis. Quartò etſi Lex non ſit rigida, conſtat tamen moraliter quòd Legiſlator vòloerit aliqnem particularem caſum comprehendere.

QVÆ-

QVÆSTIO X.

De Interitu Legis, & alijs nonnullis Quæstiunculis.

1. *Intrinsecè & extrinsecè perit Legis obligatio.*

NOTA primò: Legem humanam interire, & cessare, quando ejus tollitur obligatio: hoc autem diversimodè; aliquando ab intrinseco, cessante videlicet fine: aliquando velut ab extrinseco, si revocetur a Superiore, vel abrogetur, vel in desvetudinem abeat.

Circa cessationem Legis ab intrinseco.

2. *Cessat Lex cessante fine Legis.*

DICO primò: Legem cessare absolutè, si generaliter & absolutè cesset finis. Est communis Doctorum.

Probatur: Arg: *cap. Cùm cessante de Appell:* ubi dicitur: *Quòd cessante causâ cesset effectus*; causa autem est bonum commune. Si verò causa Legis solùm cesset pro aliquo tempore, Lex non cessat simpliciter, sed pro aliquo tempore tantùm sopitur, resumptura vires sinè nova promulgatione, ubi causa cæperit reviviscere: ergo, &c.

Circa cessationem Legis extrinsecam.

3. *Et nolitione Legislatoris.*

DICO secundò: Quòd si Legem nolit Successor Legislatoris, Legem tunc abrogari penitùs.

Probatur: *Omnis enim res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, cap. Omnes res, de Regulis Iuris* in 6. ergo, &c. Debet autem Successor prudenti & moderatò modò per suam notitiam Legem abrogare: *Cùm in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debeat, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est*, inquit Lex 2. *ff. de Constitut. Princip.* & plura incommoda, & perturbationes in moribus populi emergunt ex tali Legum immutatione: Unde Legum correctio est odiosa, acquantùm fieri potest, evitanda.

4. *Qualiter Lex posterior deroget priori speciali.*

NOTA: Quod Legi præcedenti speciali, per clausulas generales Successoris non fatis derogetur, nisi Legis specialis fiat expressa mentio; ùt habet Bonifacius VIII. c. 1. *de Constit.* in 6.

Circa cessationem Legis per consvetudinem.

5. *Consvetudo destruit Legem.*

DICO tertiò: Quod ipsa à majori parte Communitatis frequentata abroget omninò Legem humanam.

Probatur: Ex *L. quibus ff. de Legibus.* Et *cap. Finali, de consvetudine*: ergo, &c.

DIXI *Legem humanam*; quia Lex naturæ, & Divina positiva, nulla hominum consvetudine potest abrogari.

6. *Lex pœnalis primò post sententiam obligat.*

Quæres primò: An Lex pœnalis ferendæ sententiæ ad aliquid obliget delinquentem antequam Judex sententiam ferat? Respondeo Negativè: odia enim sunt restringenda quantùm sinè Legis enervatione fieri potest: ergo, &c.

7. *Leges Iudicè constringunt.*

Quæres secundò: An Lex pœnalis sententiæ ferendæ obliget ipsum Judicem, ut juxta eam sententiam ferat? Respondeo Affirmativè. Ratio est, quia Judex tenetur Legibus obedire, sed Lex illi mandat, ut pœnalem sententiam dicat: & quidem aliquando determinatam: ergo, &c.

8. *Reus tenetur sustinere pœnam.*

Quæres tertiò: An reus latâ sententiâ teneatur ad subeundam pœnam in conscientia? Respondeo Affirmativè; nisi sit pœna nimis difficilis. Ratio primi est; quia quivis tenetur obedire Legi sibi justè latæ: ergo & reus.

9. *Nisi sit extrema.*

Probatur secunda pars: Ex Victoria, Corduba, &c. quia tales pœnæ non sunt commensuratæ humanæ fragilitati; unde condemnatus ad mortem potest aufugere, sicut & infamiter flagellandus; ùt habent citati AA.

DIS-

DISTINCTIO IV.

DE CONSVETUDINE, ET DISPENSATIONIBUS.

PROLOGIUM.

NErvus Legis humanæ frequenter eliditur per contrarias Consvetudines, & Dispensationes, immissas in Leges: Consvetudo nascitur à frequentatis actibus contra tenorem Legis: Dispensatio provenit ab ipso Legislatore, modificante, vel relaxante jus à se latum: de utroque hic.

QVÆSTIO I.

Quid sit Consvetudo, & an Legem queat inducere?

1. Definitio Consvetudinis.

DICO primò: Aptè definitur Consvetudo: est *Ius quoddam, moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit Lex.* Ita Isiodorus Lib. 5. *Etym:* citatus à Gratiano dist: 1. cap. *Consvetudo.*

Probatur: Quia habet omnia requisita ad aptam definitionem. Explicantur autem singulæ particulæ: dicitur *Ius quoddam*, id est, justa quædam facultas ad agendum, utendum, vel possidendum, additur *moribus institutum*, quod per se dictamine Legis naturalis scriptò, vel verbò non est traditum, etsi tamen postea tradi possit. Dicitur *quod pro Lege suscipitur*, id est, pro Regula rationali directiva. Ponitur tandem, *cùm deficit Lex*, id est, cùm Lex Divina, naturalis, vel humana, Ecclesiastica, vel Civilis in vigore non est, vel contraria non est.

Ex hac definitione infertur.

2. Prima Conditio Consvetudinis Legalis, ut sit justa.

Primam Legalis Consvetudinis conditionem esse, ut *sit justa*; id est, rationi, vel Legi Divinæ, & veritati consentanea: si enim à veritate, & ratione dissentiat, corruptela dicenda est, non consvetudo, ut ait Papa Nicolaus apud Gratianum dist: 8.

3. Secunda, ut suscipiatur pro Lege.

Secunda est; ut *suscipiatur pro Lege obligante*: unde non sufficit aliquam consvetudinem esse usu receptam, ob decentiam, pietatem, honestatem, & utilitatem, quæ in illa continetur, nisi etiam sub obligatione Legis suscipiatur.

4. Tertia ut deficiat Lex.

Tertia; ut *deficiat Lex*; si enim constet de Lege in vigore perseverante, nunquam consvetudo contraria potest obtinere vim Legis, consvetudo autem debet cedere Legi, juxta illud Isidori, *Usus authoritati cedit, pravum usum Lex & ratio vincat.* Dicitur autem deficere Lex, quando Legislator scit illam non servari, & consvetudinem actibus contrarijs pluribus frequentari, ac prævalere, & non impedit, sed tolerat, & interpretativè consentit. Item quando non fuit debitè promulgata, vel quando contra Legem currit præscriptio certi temporis.

5. Decennium sufficit ad formandam Consvetudinem.

Circa quod nota secundùm communem, ad præscriptionem sufficere tempus decennij, tam in materia Civili, quàm Ecclesiastica, sive Princeps adsit, sive non. Ratio est; quia Jura requirunt tantùm diuturnam consvetudinem, ut patet *L. 33. ff. de Legibus.* tempus autem decennij est diuturnum, ut habetur Instit: *de Usucapionibus*, §. 1.

6. Consvetudo benè circumstantionata inducit Legem.

DICO secundò: Consvetudo facti, his conditionibus legitimata, potest inducere Legem. Est communis.

Probatur primò: Ex *cap. Consvetudo*, d. 11. & *cap. In his*, dist: 11. Item ex Civili Jure *L. de quibus ff. de Legibus.*

Probatur ratione: Consvetudo potest habere omnia requisita ad rationem Legis obligantis: potest enim versari circa honestum objectum, & utile communi bono, potest tacitus Principis assensus concurrere, tolerans actus publicos, contra Legem latam attentatos: potest hujusmodi exercitium actuum frequentari à potiori Communitatis parte: ergo, &c.

QVÆSTIO II.

Quid sit Dispensatio: num hæc in Legem humanam possit induci: & qua de Causa?

1. Definitio Dispensationis.

DICO primò: Rectè definitur Dispensatio: est *relaxatio Legis, absolvens particulare aliquod individuum, vel corpus politicum particulare, ab obligatione, remanentibus aliis sub obligatione.* Est conformis Scoto 3. d. 37. qu: unica.

Probatur: Ex sufficientia debitarum Legum Summulisticarum, pro exacta definitione: ergo, &c. Nec indiget explicatione.

2. Legislator potest dispensare.

DICO secundò: Potest Supremus Legislator inducere Dispensationem in Legem humanam. Est communis Canon: TT. & Juristarum.

Probatur primò: Ex Trid: quod Sess: 25. c. 18. docet, expedire quòd Legis vinculum quandoque relaxetur: ergo, &c.

3. Vti patet etiam ex praxi.

Probatur secundò: Continua praxi utriusque Legislatoris Supremi, Ecclesiastici & Civilis, qui diversas suarum Legum generalium relaxationes concedunt, justis de causis. Sic Papa passim dispensat in Tridentina Lege super ætatem canonicam pro ordinibus suscipiendis. Et ratio hujus potestatis Dispensativæ fundatur in illo Scripturæ: *Quæcunq; solveris super terram, erunt soluta, &c.*

4. Modi varij dispensandi.

NOTA autem primò: Dispensationem hujusmodi contingere posse triplici modo: Primò per modum suspensionis Legis, generaliter obligantis: si v. g. indulgeat Legislator, ut Respublica per semestre certis Legibus non ligetur. Secundò per modum exceptionis à Lege, si v. g. individuum aliquod, vel aliquod particulare corpus politicum Monasterij absolutè à Legis observantia absolvatur. Tertiò modo mixto: si v. g. persona hæc, vel illa pro determinata tantùm temporis differentia à Legis obligatione absolvatur.

5. Effectus primarius dispensationis quis?

NOTA secundò: Ex his patere quis sit primarius effectus Dispensationis, nempe absolutio à vinculo Legis ad tempus, vel perpetuò. Quò ad secundarios, dico tot esse effectus hujusmodi, quot ipsius Legis. Sed

6. Dispensatio operatur, dũ Dispensatus eã acceptat.

Quæres quando Dispensatio hunc suum effectum primarium operetur? Respondeo effectum Dispensationis, tunc primò poni; quando Dispensatio ad plenam notitiam Dispensati venit, ipseque Dispensatus eam per se acceptat. Ratio est; quia hujusmodi Dispensatio à Jure exorbitat, & jus vulnerat; unde strictè est interpretanda quò ad productionem sui effectûs.

7. Quæ materia, & forma Dispensationis?

NOTA tertiò: Ipsas personas, quibus Dispensatio elargitur, esse materiam remotam Dispensationis; formam verò esse signum illud, quò ad extra patesit Legislatoris volitio dispensativa, quod potest esse, vel Scriptura, vel verba, vel quodcunque aliud signum sensibile.

Circa Causas Dispensationum.

8. Causa pro Dispensatione legitima.

NOTA: Ex D. Thoma secundâ secundæ qu: 63. art. 2. multas justas posse assignari causas, quæ validam faciant Dispensationem; ùt, si adsit utilitas communis, vel privata, necessitas communis, vel privata, pietas, gloria DEI, periculum incontinentiæ in habente votum castitatis, indigentia mulieris in impedimento matrimonij, bonum pacis inter Principes, & similia, quæ fuerint judicata sufficientia à viro prudenti pro qualitate loci temporis & personæ.

9. Valida est Dispensatio data sinè causa.

DICO tertiò: Dispensatio in Lege concessa à Legislatore sinè justa causa, valida quidem est, non tamen licita.

Probatur prima pars: Lex præcisè pendet à potestate, & voluntate Legislativa Legislatoris in fieri, & conservari; ergo potest in eam mittere Dispensationem sinè causa justa.

Confirmatur: Valida est absolutio ab Excommunicatione, concessa sinè causa ab Authore censuræ, per *cap. Venerabilibus de Sententia Excommunicationis* in 6. ergo & Dispensatio.

10. Non tamen licita.

Probatur secunda pars: Ex Trid: Sess: 24. c. 5. *de Reform: Matrimonij*; ubi ordinat circa Dispensationes Matrimoniales, ut non nisi ex causa concedantur. Et Sess: 25. c. 18. generaliter petit justam causam.

Unde docent DD. peccare Principem in concedendis Dispensationibus sinè causa, sicut & Consiliarium inducentem. Nocet enim bono communi; quod ex justitia Legali, tenetur promovere, & non servat justitiam distributivam in impari onerum distributione.

11. Ad malè narrata sequitur dispensatio irrita.

NOTA quartò: Si supplicans pro Dispensatione alleget falsas causas, aut tacet verum, quod petunt Jura allegari; Dispensatio redditur invalida. Ita resolvitur *cap. Finali, de Filijs Presbyt:* in 6. Unde omne Rescriptum & Dispensatio, aut datur expressè, aut censetur dari, cum ista clausula, *Si preces veritate nitantur*; ùt dicitur *cap. Ex parte, de Rescriptis.*

12. Quid subreptio, & obreptio Dispensationis.

Ex his infertur Dispensationem fore invalidam; si in petitione taceatur gradus affinitatis, vel consangvinitatis: item si à divite

divite postuletur Dispensatio in forma pauperis. Et prima Dispensatio censebitur *Subreptitia* id est obtenta per suppressionem veri: altera *Abreptitia*, id est per expressionem falsi obtenta.

QVÆSTIO III.

Quæ Personæ possint Dispensare?

1. *Omnes habentes ordinariam potestatem possunt Dispensare.*

DICO primò: Potestas ordinaria Dispensandi, residet in omnibus Superioribus, habentibus jurisdictionem ordinariam, cujusmodi sunt Papa, Episcopi confirmati, Principes Sæculares, Prælati Regularium; eorumque Vicarij in absentia: Item Vicarius Generalis, Episcopi, &c. Secùs est de Archi-presbyteris, seu Vicarijs foraneis. Est communis DD.

Probatur: Quia Dispensatio est actus jurisdictionis fori externi: ergo cum prædicti habeant jurisdictionem ordinariam in foro externo, poterunt Dispensare. Deinde illius est solvere, cujus est ligare: ergo, &c.

2. *Mendicantium particulare privilegium.*

DIXI *potestas ordinaria*: Quia Nos Mendicantes ex delegata Papæ facultate, possumus dispensare in diversis votis & alijs vinculis, etiam cum forensibus, ut dicetur in Materia de Privilegijs.

3. *Potest delegari potestas Dispensandi.*

DICO secundò: Facultas Dispensandi potest delegari ab ijs, quibus illa jure ordinario competit.

Probatur ex praxi Ecclesiæ; & *L. more, ff. Iustificatione*; ubi dicitur: *More majorum ita comparatum est, ut is demum jurisdictionem mandare possit, qui eam suo jure, non alieno beneficio haberet.*

4. *Primò quivis in Legibus suis. Deinde successor & superior.*

DICO tertiò: Potest quisque jure ordinariò in Lege à se lata Dispensare. Idemquè potest Successor, & in jurisdictione Superior. Ita TT. & Juristæ.

Probatur: Quia illius est solvere, cujus est ligare Legibus: ergo, &c.

5. *Archi-Episcopi non possunt dispensare cũ subditis Episcoporum.*

DIXI in *Iurisdictione Superior*; Quia Archi-Episcopi, & Primates non possunt Dispensare cum subditis suorum Episcoporum comprovincialium in eorundem Legibus; quia non sunt Episcoporum Superiores in jurisdictione; sed tantùm per viam appellationis, & in quadam dignitate, cui pauci actus jurisdictionis jure expressi annectuntur.

6. *Papa amplissima potestas Dispensandi.*

Ex Conclusione sequitur, Papam posse Dispensare in toto Jure Canonico, quatenùs concernit mores, & consideratur esse Ecclesiasticæ potestatis, etsi leges aliquæ ibi sint ordinatæ à Generalibus Concilijs, & Apostolis, est enim Concilijs Superior, Petro, cui succedit, æqualis, cæteris Apostolis Superior, etsi in gratijs gratis datis, & munere Apostolatûs sit eisdem inferior. Idem est de Episcopo respectu Constitutionum Synodi, quæ sunt propriè ejus Constitutiones.

7. *Inferior nequit Dispensare in Lege Superioris, etiam indefinita.*

DICO quartò: Prælati inferiores non possunt ordinariè in Lege Superioris Dispensare, etsi Dispensatio non reservetur expressè per Superiorem. Est probabilior contra Covarruv. &c. oppositum tamen etiam est probabile.

Probatur ex Clement: *Ne Romani de Elect:* Et est ratio; quia Dispensatio est actus jurisdictionis, inferior autem non habet jurisdictionem in Legem Superioris; nisi quatenùs ei potestas conceditur: ergo, &c. Et

8. *Vnde Episcopus non valet Dispensare in Lege Papali nisi in certis casibus.*

Infertur primò: Episcopos non posse Dispensare in Legibus Pontificum, & Conciliorum, exceptis sequentibus casibus, in quibus censetur Papa authoritatem concessisse. Primò: Quando jus concedit, etsi tantùm impersonaliter, seu indefinitè. Secundò quando materia videtur parva, aut leviter obligans. Tertiò quando frequens occurrit necessitas, tunc possunt Dispensare in Lege Papæ; hoc enim tunc requiritur ad bonam Ecclesiæ gubernationem, ne gravia sequantur incommoda; ùt fit in jejunijs. Quartò quando gravis occurrit necessitas, & est periculum in mora, aut ad Papam difficulter recurri potest ob paupertiem, vel similes rationes. Hinc possunt Episcopi positâ necessitate, tam ante, quàm post contractum Matrimonium, pro foro conscientiæ, in impedimentis occultis Matrimonij Dispensare, nisi de facili adiri possit Nuntius; ùt habet Præpositus q. 97. Ex dictis

9. *Regulares Prælati in quibus possint Dispensare cũ subditis.*

Infertur secundò: Prælatos Regularium Exemptorum, posse cum suis subditis Dispensare in Legibus Pontificijs, in ijsdem casibus, quibus possunt Episcopi cum suis: quia in illis, quæ sunt merè jurisdictionis, gaudent potestate Episcopali respectu suorum subditorum.

10. *Archi-Episcopi in Legibus Concily Provincialis non possunt Dispensare.*

Sequitur tertiò: Episcopos, imò & Archi-Episcopos ac Primates, cùm sint inferiores Concilio Provinciali, non posse in illo Dispensare, nisi tanquam in Lege Superioris, in similibus casibus, ùt supra dictum est in illatione prima: si v.g. non possit tam citò Capitulum congregari, &c. adeoquè non nisi quantùm eis est concessum per Concilium Provinciale. Idem dic de Generalibus Ordinum, & Provincialibus, qui sunt inferiores Capitulo; unde solent à

Ca-

Capitulo Syndicationem, & correctionem habere.

11. *Ordinarius Superior poteſt Diſpenſare cum Forenſibus.*

DICO quintò: Ordinarius loci Superior poteſt etiam cum forenſibus Diſpenſare in Legibus communibus, & municipalibus territorij Ordinarij. Ita Baſilius, Pontius. &c.

Probatur: Cujus eſt ligare, eſt quoque obligationem tollere per Diſpenſationem: ſed Ordinarius loci poteſt forenſes ligare ſuis Legibus: ergo, &c. Deinde eſſent forenſes pejoris conditionis, quàm ſubditi, quod dici nequit: ergo, &c.

12. *Exceptis votis & nonnullis alijs.*

DICO ſextò: In votis tamen juramentis, irregularitate, vel alio ſingulari impedimento Ordinarius loci cum forenſibus non poteſt Diſpenſare: Unde conſequenter ſinè domicilio non contrahitur forum, aut Parochia. Ita Sylv: Barboſa, &c. contra Leſſ. Rodriq: &c. quorum ſententia etiam eſt probabilis.

Probatur: Concluſio ex declaratione Cardinalium, quam circa hoc refert Garcias, & Farinacius. Et ratio eſt, quia forenſes, quà tales, non fiunt veri Subditi Ordinarij loci: ergo cum ijs nequit jurisdictionem Diſpenſationis exercere. Melius proinde tales in Diſpenſationibus votorum, &c. recurrunt ad Mendicantes.

13. *Ordinariâ gaudens facultate etiã ſecum poteſt Diſpenſare.*

DICO ſeptimò: Habens Ordinariam poteſtatem Diſpenſandi, etiam ſecum poteſt diſpenſare. Ita communis.

Probatur: poteſt ſe ligare Legibus ſuis, ergo & ſolvere, non enim requiritur hìc diſtinctio inter diſpenſantem & diſpenſatum ullo Jure. Et hinc poteſt Summus Pontifex etiam ſibi ipſi dare Indulgentias, & ſecum Diſpenſare in Legibus, Votis, ſive per ſe, ſive vices ſuas committendo alteri.

(o)

ET SIC FINIT MATERIA DE LEGIBUS.

Has, & quaſcunque meas Lucubrationes ſubjicio Matris Eccleſiæ limitationi, & correctioni.

TRA-

TRACTATUS
DE
PRIVILEGIJS.

PRÆFATIO.

PRæsentem Tractatum de PRIVILEGIJS, signanter Regularium, maximâ, quâ potui securitate, & circumspectione, summariè compilavi, usus approbatissimis, & versatissimis Auctoribus, qui fideli calamo authenticas Regularium registrârunt gratias, à pluribus Summis Pontificibus Paternè elargitas, & rationabilissima motiva, quæ suo loco adducuntur. Interim de Privilegijs in communi sit

DISTINCTIO I.
DE PRIVILEGIJS UT SIC.

QVÆSTIO I.
De Definitione, Divisione, Interpretatione, & Causa concedente Privilegij.

PRIVILEGIUM est quasi *Privata lex*, contra jus commune obtentum, ut dicitur *C. Abbate, de Verbor: significatione:* Sed meliùs

1. *Definitio Privilegij.*

DICO primò: Benè describitur Privilegium: *Est constitutio Principis specialem favorem concedens contra, vel ultra jus commune.* Hæc patet ex se.

DIXI: *Contra vel ultra jus commune*; quia Privilegium non semper concedit aliquid, quod est contra jus, sed sæpè quod est ultra jus; ùt patet in facultatibus absolvendi, dispensandi, &c. quas Pontifices Religionibus concesserunt.

2. *Non coincidunt Privilegium, & Dispensatio.*

Et hinc sequitur: Non omne Privilegium esse dispensationem, sed illud solum, quod est contra jus. Privilegium distingvitur à Lege, quòd lex sit perpetua, & Communitati perfectæ data; Privilegium verò non petit perpetuitatem, nec perfectam communitatem.

3. *Nec Scriptura, nec Bullatio est de ratione Privilegij.*

DICO secundò: Scripturam & Bullationem non esse de essentia Privilegij.

Probatur: Ex *C. Institutionis* 25. qu. 2. & Clem: *Dudum, de Sepulturis.* Unde Leo X. concessit FF. Minoribus; ut possint uti in foro conscientiæ omnibus concessis à Sede Apostolica, sive per Bullas, aut Brevia, sive Vivæ Vocis Oraculò.

4. *Quid Privilegium Reale, & Personale?*

Dividitur Privilegium primò: In Reale, seu Locale, & Personale. *Reale* conceditur directè alicui rei, muneri, vel conditioni, distinctæ à persona, v. g. Prædio, Monasterio, Ecclesiæ, dignitati Episcopali: & tale Privilegium dicitur perpetuum. *Personale* est; quod proximè, ac directè personæ, vel intuitu personæ conceditur; & hoc tantùm personam sequitur, & extingvitur cum persona: ex *c. Privilegium, de Regulis iuris* in 6.

5. *Quid Generale, & Speciale?*

Secundò dividitur: In Generale, & Speciale. *Generale* dicitur; quod pluribus,

ciale, gratiosum, remuneratorium, favorabile, odiosum, temporale, perpetuum, &c.

bus, vel omnibus conceditur. *Speciale* est è contra.

Tertiò dividitur: In Gratiosum, & Remunerativum: *Primum* est datum sinè respectu ad merita: *Alterum* cum respectu.

Quartò: In Favorabile, quod nulli nocet: & odiosum, quod alicui tertio nocet.

Quintò: In Temporale, & Perpetuum.

Sextò: In Affirmativum, & Negativum.

Septimò: In Privilegium pro Foro Interno, & Externo. Quæ, & similes divisiones ex se ipsis patent.

6. *Interpretatio Privilegij desumenda est ex mente concedentis.*

Circa Interpretationem Privilegij, hæc fermè sunt observanda. Primò, & ante omnia mens, & intentio concedentis inspiciatur, & colligatur, tum ex postulatione & præmio, tum ex materia Privilegij, & circumstantijs omnibus, præsertim personæ conferentis, ejúsque cui confertur.

7. *Sed quid si hæc dubia?*

Secundò: Quando quis dubius manet de voluntate privilegiantis; Interpretatio facienda est, secundùm communem, & usitatam vel propriam verborum acceptionem: nam Privilegia non plus operantur, quàm verbis exprimunt, juxta *c. Privilegia* d. 3.

8. *Favorabile est extendendum.*

Tertiò: Privilegium Favorabile ultra verborum vim, & acceptionem ad alias personas est extendendum, quando æquiparatio Juris talem extensionem exigit: sic Privilegium in Trid: concessum Episcopis, quòd possint dispensare super omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, excepto homicidio, ad Episcopum etiam confirmatum tantùm, & non consecratum extendere possumus.

9. *Privilegiū debet ad commodum Privilegiati exponi.*

Quartò: Privilegium est interpretandum ita, ut privilegiato non sit onerosum, sive ut illi potiùs aliquid tribuat, quàm auferat, juxta *Reg: Iuris* in 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.*

10. *Quid sit Mare Magnum, & Bulla Aurea?*

Nota secundò: Quòd Mare Magnum (quod frequenter citabitur imposterùm) sit quædam compilatio multorum Privilegiorum Papalium, pro diversis Religionibus facta. Tale Mare fecit pro nobis Minoribus Sixtus 4. in Bulla 6. *Regimini Universalis Ecclesiæ*: & pro Prædicatoribus in Bulla 7. Bulla Aurea, & similis etiam collectio pro Minor: & Prædicatoribus simul apud eundem Sixtum, & incipit: *Sacri Prædicatorum, & Minorum, &c.*

11. *Solus Papa interpretatur Privilegia Regularium.*

DICO tertiò: Nemo Forensium potest Juridicam Privilegiorum Regularium Interpretationem dare, nisi Papa. Probatur ex *c. Cùm venissent, de Iudicijs.* Ratio est; quia ipse solus Privilegia Regularibus dedit, ergo & solus ordinariè poterit interpretari. Generales etiam Ordinum ex concessione Clementis VIII possunt in dubijs sua Privilegia interpretari.

Quoad Causam Privilegij.

12. *Quæ sit causa concedens Privilegia?*

Nota: Causam Concedentem, seu Efficientem, esse illum, qui legem condere potest. Privilegium enim est lex quædam privata. Hinc Papa ob universalissimam jurisdictionem in Ecclesiam, quam in eo agnovère Concil: Nicænum can: 39. Calced: act: 3. Florent: Sess: 14. Trident: Sess: 24. *de Reform:* cap. 1. Privilegia concedere potest contra universos Canones generales, non continentes materiam Fidei.

QVÆSTIO II.

De Materia, Forma, Effectu, & Interitu Privilegij.

1. *Materia Privilegij.*

DICO primò: Materia remota Privilegij est Persona, cui conceditur Privilegium; proxima est favor concessus.

Probatur: Quia nihil aliud pro his assignari potest, quam dicta duo: ergo, &c.

2. *Forma Privilegij.*

DICO secundò: Forma intrinseca Privilegij, est consensus & intentio concedentis: extrinseca verò est signum extrinsecum sensibile, vel scriptura, vel vox, vel quid simile. Est communis DD.

Probatur: Hæc duo formaliter constituunt tenorem, & valorem Privilegij, illúdque specificant, & distingvunt ab omni alio, quod Privilegium non est: ergo, &c.

3. *Effectus Privilegij.*

Nota: Circa Effectus Privilegij: tres communiter generaliores assignari: primò enim dat jus agendi, vel non agendi. Item jus recipiendi, & conferendi. Secundò derogat juri communi, si fit Privilegium contra jus obtentum. Tertiò obligat alios, ne impediant executionem.

4. *Privilegiū Papale, indefinitum ubiq; valet.*

DICO tertiò: Privilegium à Summo Pontif: concessum sinè determinatione ad certum locum, valet ubique, & licitè eò utique utimur. Probatur: quia tunc Privilegium provenit à generalissima potestate: ergo ubique valet, nisi ipsum Privilegium aliud sonet.

5. *Concessum à limitata persona, quomodo valeat?*

Nota secundò: Privilegiò concessò ab aliquo, non habente universalem potestatem, Privilegiatus potest ubique, etiam extra Territorium uti; si non sit contra legem territorij, nec dependeat in sui usu à voluntate, Superioris alterius territorij.

Sic

Sic Privilegium eligendi Conſeſſarium, valet etiam in alieno Territorio.

6. *Differentia inter Privilegium motûs proprij, & poſtulatum.*

Nota tertiò: Differentiam inter Privilegium conceſſum ad petitionem partis, & Privilegium propriò motu conceſſum: primum enim non eſt tam voluntarium, ac liberale, ſicut alterum. Deinde de primo poteſt eſſe ſuſpicio, quòd ſit ſubreptitium, non de ſecundo. Tandem primum faciliùs poteſt pati replicam, quàm ſecundum.

7. *Quid dicendum de ampliatione Privilegij?*

Nota quartò: Circa ampliationem Privilegij: quòd Privilegium purum beneficium continens, nulli tertio, vel juri communi præjudicans, poſſit ampliari. Probatur: Quia purus favor eſt. Si etiam Privilegium deroget juri communi, concedatur tamen motu propriò, & ex certa ſcientia, vel contineatur in Corpore Juris, vel detur ob merita, cujuſmodi ſunt Privilegia Regularium potiori ex parte, poteſt ampliari. Ratio eſt; quia hujuſmodi Privilegium non debet cenſeri odioſum.

Circa Interitum Privilegij.

8. *Quomodò intereat Privilegium?*

DICO quartò: Privilegium temporale amittitur lapſu temporis præfiniti; & conceſſum ſub conditione, ceſſante conditione: item conceſſum pro aliquo ſtatu, mutato ſtatu. Probatio petitur ex ipſa voluntate Privilegiantis, ſub his modificationibus.

9. *Quomodò Gratioſum?*

DICO quintò: Privilegium Gratioſum non extingvitur, etiam re integrà, per mortem concedentis, vel abdicationem officij, eſto ante mortem non eſſet acceptatum. Probatur: quia gratia Principis, quantùm eſt de ſe, debet eſſe perpetua ex cap. *Si ſuper gratia*, & cap. *Is qui nulla. de præbendis* in 6. niſi ipſe Princeps contrarium expreſſerit in Privilegio, vel niſi ſit Privilegium contentioſum, hoc eſt ad lites componendas, hoc enim expirat morte concedentis, ſi res ſit integra.

10. *Privilegia pereunt per renunciationem.*

DICO ſextò: Interit Privilegium per renunciationem Privilegiati; ſi Privilegium erat pro ipſo ſolo. Probatur; quia liberum eſt unicuique ſuo juri cedere, ex cap. *Si de Sacra.* Secùs eſt de Privilegijs pro tota Communitate, vel Eccleſia datis.

11. *Et damnificationem Privilegiati.*

DICO ſeptimò: Extingvitur Privilegium, ſi incipiat eſſe in majus damnum ipſius Privilegiati. Prob: ex Regula Juris in 5. *Quod in gratiam alteriùs conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.* Item, ſi incipiat afferre notabile Reip: diſpendium; uti colligitur ex cap. *Suggeſtum, de Decimis.*

12. *Similiter ceſſante fine.*

Nota quintò: Quòd etiam quandoque ceſſet Privilegium ceſſante causâ finali, ob quam datur; quandoque non. Et primò quidem non ceſſat, ſi nulli Juri communi, vel tertiò præjudicet. Secundò ſi de mente Legislatoris præſumi poſſit rationabiliter, quod non velit Privilegium ſtatim ceſſare, ceſſante causâ finali ejus.

13. *Ac per abuſum.*

DICO octavò: Amittitur etiam Privilegium per abuſum, ſi quis v. g. ex Privilegio occaſionem ſumat peccandi, aut fini Privilegij directè repugnet. Prob: ex illo Simplicij Papæ Epiſtola 2. *ad Epiſcopos Raven:* uti habetur cap. *ubi dist.* 74. *Privilegium meretur amittere, qui conceſsâ ſibi poteſtate abutitur.*

14. *Aliqua per non uſum evaneſcunt.*

Nota ſextò: Quòd affirmativa Privilegia (hoc eſt quæ dant jus ad aliquid faciendum oneroſum) amittantur per non uſum, ſpatiò aliàs ad præſcribendum ſufficienti. Ratio fundatur in Jure præſcriptionis.

15. *Et aliqua per contrarium uſum.*

Nota ſeptimò: Quòd Privilegia negativa (hoc eſt quæ dant jus, ſeu licentiam ad aliquid omittendum alijs oneroſum) exempli gratiâ Privilegium exemptionis à Decimis, à jurisdictione Ordinarij; per contrarium uſum tolluntur, poſt elapſum tempus legitimum, præſcriptioni præfixum à Jure. Tandem extingvuntur Privilegia per revocationem concedentis, vel ejus Succeſſoris.

DIS-

DISTINCTIO II.
DE PRIVILEGIJS REGULARIUM.

QVÆSTIO I.

Qui Summi Pontifices concesserint, & confirmaverint Regularium Privilegia: & ob quæ motiva?

1. *Cathalogus Sum: Pontif: qui Regularibus Privilegia concesstere.*

NOTA primò: Plures Pontifices, singulis sæculis Regularibus Privilegia concessêre: nomina eorum sunt: Gregorius IX. Innocent: IV. Alex: IV. Urbanus IV. Clemens IV. Honor: IV. Bonifac: VIII. Bened: II. Clemens V. Joan: XXII. Gregor: II. Bonif: IX. Innoc: VII. Martin: V. Eugenius IV. Nicol: V. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innoc: VIII. Alex: VI. Julius II. Leo X Clemens VII. Paulus III. Julius III. Paulus IV. Pius IV. Pius V. Gregor: XIII. Sixtus V. Gregor: XIV. Clemens VIII. Paulus V. Gregor: XV. Urbanus VIII. Innoc: X. &c. ut videre est in Vaticana Bibliotheca, & Bullarijs.

2. *Causa priva concessionis Privilegiorum Regularii.*

NOTA secundò: Causas justissimas propter quas Summi Pontifices Regularibus concesserunt tot Privilegia,

Primò: Propter statum Professionis Regularium, indissolubili vinculo DEO, & S. Sedi Apostolicæ consecratum: item propter eorum virtutes, capacitatem, & indefessum laborem pro defendenda Ecclesia, & Papæ authoritate, item in peccatoribus, Hæreticis, & Infidelibus convertendis cum vitæ periculo, morte, & Fidelibus, ac bonis conservandis.

3. *Secunda causa.*

Secundò: Propter promptam, & expeditam eorum obedientiam in exequendis Summorum Pontificum mandatis, in partibus Catholicorum, & Hæreticorum, in profectione ad longinquas partes Orbis Novi, & aliorum Regnorum, propter animarum salutem Ecclesiæ dilatationem, & fidei Catholicæ plantationem.

4. *Tertia causa.*

Tertiò: Propter eximiam Regularium Sanctitatem, & Scientiam, ex quibus tot Sancti, Doctores, Episcopi, Patriarchæ, Cardinales, & Summi Pontifices prodière, cum magno Ecclesiæ incremento.

5. *Quarta causa.*

Quartò: Propter maximos labores præstitos in administrandis Sacramentis, maximè Pœnitentiæ, quod Regularibus, maximè Mendicantibus in eorum locis, quasi totum incumbit.

Circa Confirmationem Privilegiorum.

6. *Privilegia Regularii sunt diversimodè confirmata.*

DICO: Privilegia hæc Regularium per Jus commune, & Brevia concessa, confirmata sunt per varios Pontifices, ideoquè in suo robore firma existunt. Probatur: Quamvis enim aliqua fuerint à Pontificibus Romanis revocata, eorum tamen benignitate postea sunt revalidata, & in pristinum statum restituta, ac cum alijs confirmata, *ex certa scientia, motu proprio. & de plenitudine potestatu*: ita fecit Paulus III. Constitutione 25. Sixtus IV. Constit: 6. Leo X. Constit: 2. Clemens VII. Constitut: 2. Julius II. Constit: 10. Paulus IV. Constit: 1. Greg: XIII. Constit: *Ex benigna.* Sixtus V. Constit: *Etsi Mendicantium.* Clemens VIII. Constit: *Ratio Pastoralis.* Paulus V. Pius V. Gregor: XV. & ultimò Urbanus VIII. confirmat omnia Privilegia Regularibus, concessa pro Congregatione Servorum Joannis DEI. Item pro Minimis. Et tandem pro Fratribus B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, cum quibus communicant alij Regulares, & Mendicantes; ut infra: ergo, &c.

QVÆSTIO II.

De Privilegiorum Regularium Firmitate, Stabilitate, & Duratione.

1. *Privilegia Regularii aliqua jam sunt jura quæsita.*

NOTA primò: Quòd Privilegia Regularium, maximè quoad prædicationes, confessiones, approbationes, & exemptiones, ac alia hujusmodi, sint ita firma, & stabilita; ut ampliùs non censeantur Privilegia, sed jura quæsita; sicut est fundus in lite obtentus, unde sunt jura perpetua, incorporata, ac radicata in Regularibus: Jurique Canonico inserta à Summis Pontificibus potiori ex parte.

DICO

2. *Privilegia Reg: ob merita emanârunt.*

DICO primò: Privilegia Regularium non sunt concessa à Summis Pontificibus ipsis Regularibus ex mera liberalitate, sed ob merita ipsorum. Probant hoc (præter quatuor causas quæstione præcedenti in Notabili secundo assiguatas) initia diversorum Diplomatum; initium maximè Bullæ Sixti IV. editæ Anno 1479. pro nobis Minoribus. Item Pauli III. Anno 1549. & Leonis X. Constitut: 22. cum alijs, in quibus plurima, maximaquè merita recensent Pontifices, ob quæ deinde, vel concedunt, vel roborant Privilegia. Unde

3. *Privilegia Reg: sinè causa gravissima non solent auferri.*

DICO secundò: Hæc Regularium Privilegia, sinè gravissima causa à Pontificibus non solent ab eis auferri. Probatur: quia ista Privilegia & sunt gratiæ Principum, jura quæsita, ob merita data, & sunt jura libertatis, juraquè realia: ergo, &c. Ita sentit Isernia, & Lomedes; qui hoc probat multis Canonibus, Scripturâ; & Jure Civili. Item Rebuffus, Emanuel Rodriquez, &c.

4. *Quid operetur illa clausula, quatenus sunt in usu?*

NOTA secundò: Illa verba, *quatenùs sunt in usu*; id est Privilegia Regularium, posita in diversis Diplomatibus Pontificum, sic possunt intelligi: *Primò*: si contra illa non est præscriptum spatiô 100. Annorum per non usum, talis enim annorum decursus requiritur ex Honorio III. Gregor: IX. & alijs, ad legitimam præscriptionem Privilegiorum Regularium. *Secundò*: eô modò confirmantur, quò sunt in usu; ita ut, si una pars Privilegij sit in usu, & altera non, illa, quæ est in usu, confirmatur; altera non.

5. *Privilegia Reg: semper fuerunt in usu.*

Ex his infertur primò: Privilegiorum Regularium stabilitas: cùm enim ab omnibus fermè Pontificibus fuerint confirmata, saltèm respectu unius Religionis, ac cæteris per communicationem, ideò *non usu* locum habere non potuit ad præscriptionem.

6. *Quæ Privilegia Reg: post Trid: vigeant.*

DICO tertiò: Privilegia Regularium etiam post Concil: Trident: manent in suo robore, exceptis ijs, quæ Canonibus, & Decretis Concilij Trident: contrariantur. Probatur: ex Bulla Pij IV. *In Principis Apostolorum Sede.* Item ex Constitut: Gregor: XIII. & aliorum Pontificum, qui post Tridentin: Regularibus Privilegia confirmârunt.

7. *Quomodo sit intelligenda illa clausula · Quatenus Sacris Canonibus, ac Decretis*

NOTA tertiò: Quòd ista Clausula Bullis confirmatorijs, post Trident: factis, inserta, *quatenùs Sacris Canonibus, ac Decretis Concilij Trident: non adversantur*; non comprehendat Canones, qui sunt inserti in Jure communi, & illud constituunt: nam cùm omnia Privilegia sint contra Canones Juris communis; parùm prodesset illa confirmatio. Sunt itaquè illi Canones, ipsi Concil: Trident: Canones. Ita Sorbus, Rodriquez, uterque, Brugnoli, &c. Unde ad tollendum omne dubium, hæc verba, *Sacris Canonibus*, in confirmatione nova Privilegiorum Ordinis Seraphici sustulit Sixtus V. & Clemens VIII. diu post Tridentinum.

Conc: Tridi non advertantur.

8. *Primũ Privilegium à Trid: revocatum.*

NOTA quartò: Quòd Privilegia Regularia, quæ per Canones, & Decreta Tridentini expressè revocata videntur, sint sequentia.

Primum habetur Sess: 5. cap. 2. *de Reform:* ubi datur facultas Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, procedendi contra Prædicatores, aut scandala seminantes in populo.

9. *Secundum.*

Secundum habetur Sess: 5. c. 2. quòd Regulares non prædicent in suis Ecclesijs, nisi à suis Superioribus approbati, & cum benedictione Episcopi, & extra suas Ecclesias etiam cum licentia Ordinarij. Et Sess: 24. c. 4. non possint prædicare, etiam in suis Ecclesijs, dum Episcopus ipse vult prædicare, aut facit coram se prædicare.

10. *Quid DD. circa hoc sentiant.*

Notant tamen circa hoc DD. quòd Regulares possint prædicare in suis Ecclesijs, cum petita tantùm benedictione Episcopi, licèt non obtentâ. Item ut in alijs Ecclesijs possint prædicare aliquoties, sufficit ut Parochus loci det licentiam.

11. *Tertiũ Privilegium Reg: revocatum.*

Tertium est Sess: 22. *in Decreto de Observandis, &c.* quòd Ordinarij omninò prohibeant, quidquid pro Missis novis datur, & ne cuivis vago, & ignoto Sacerdoti Missas celebrare permittatur, neque in privatis domibus, extra Ecclesiam, vel Oratoria ab Ordinario designata, cujus tamen ultimam clausulam DD. Ordinis censent, non esse revocatam, de quo alibi.

12. *Quartum.*

Quartum extat Sess: 23. c. 10. ubi interdicitur Abbatibus, & alijs quibuscunque exemptis conferre Ordines Minores, nisi tantùm suis subditis Regularibus.

13. *Quintum.*

Quintum habetur Sess: eadem c. 12. ubi ordinatur, quòd nullus etiam Regularis ante 22. annum ad Subdiaconatum, & ante 23. ad Diaconatum, & ante 25. ætatis ad Presbyteratum promoveatur.

14. *Sextum.*

Sextum eadem Sess: ubi statuitur, ne duo Sacri Ordines eôdem die, etiam Regulari conferantur, nec promoti ad Subdiaconatûs Ordinem, ad altiorem gradum promoveatur, nisi per annum in eo fint versati, ad arbitrium tamen Episcopi. Sed DD. nostri in hoc ultimo punctò dicunt

Bbbb

cunt antiquum adhuc vigere Privilegium.

15. *Septimum.* Septimum eâdem Sess: c. 15. ubi interdicitur; ne quis, etiam Regularis, possit sæcularium Confessiones audire, nisi Parochiale habeat beneficium, aot ab Episcopo per examen, aut aliàs idoneus reputatus, approbationem obtineat.

16. *Octavum.* Octavum extat Sess: 25. c. 22. quòd omnia ad Regulares pertinentia, in illa Sess: 25. posita, debeant observari, non obstantibus Privilegijs quibuscunque.

17. *Nonum.* Nonum eâdem Sess. c. 11. ubi prohibetur locationes bonorum Ecclesiæ, & solutiones anticipatas fieri.

18. *Decimum.* Decimum eâdem Sess: habetur c. 13. *de Reformat:* ubi statuitur: quartam funeralium solvendam esse Ecclesiæ Cathedrali, & Parochiali cum conditinne ibidem posita, de hoc infrà. In his videntur expressè revocata Privilegia Regularium.

19. *Super qua Privilegia cadat hac clausula: & Decretis Trid: non adversantur.* Nota quintò: Quòd ista clausula Trident: *& Decretis Tridentinis non adversantur*, tantùm afficiat Privilegia expressè à Tridentino revocata; id est, præfata decem, unde alia quæ expressè non revocantur; tacitè admittuntur: tale est, quòd Sacri Ordines etiam post Tridentini prohibitionem communem, possint conferri Regularibus, extra tempora à Jure statuta.

20. *Trid: non debet specificare Papa, dum id revocat.* DICO quartò: Papa concedens Privilegium, vel confirmans, non tenetur facere specialem mentionem Tridentini, quando illud in aliquo puncto revocare intendit.

Probatur: Quia dicit ipsum Trident: Sess: 25. c. 2. Quòd omnia in eo Decreta ita sint, *Ut in hu salva semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur*; quibus verbis datur intelligi. Papam posse revocare Tridentini Decreta pro libitu, etiam non factà expressà mentione eorundem. Et ita declaratum est in Cancellaria Apostolica, & per S. Congregationem Concilij.

QUÆSTIO III.

De Privilegiorum Regularium Revocatione, & Cessatione.

1. *Solus Papa revocat Privilegia Regularium.* DICO primò: Solâ Revocatione, vel sententiâ Summi Pontificis Privilegia Regularium amittontur.

Probatur: Quia si alier amitterentur, hoc esset, vel per non usum, vel quia eis esset renuntiatum, vel propter aliquod delictum: sed nullò horum modò amittuntur: ergo, &c. Non per non usum; quia hactenùs semper à pluribus Pontificibus fuerunt confirmata, ut dixi supra. Nec per renuntiationem; quia Regulares per se non possunt renuntiare Privilegijs Ordinis sui, cum etiam Jus Papæ hic tangatur; quia hæc Privilegia concessit in communem utilitatem Ecclesiæ, & Ordinum, privatus autem non potest nocere publico bono: ergo, &c. Neque per delictum; quia amissio Privilegij, cùm pœna sit, non incurritur, nisi per Judicis sententiam, id est, Papæ: adenquè solà Papæ sententiâ Regularium Privilegia omitti possunt.

2. *Generalis revocatoria, non revocat Privilegia Regularium.* DICO secundò: Privilegia Regularium non revocantur, per generalem Revocationem Privilegiorum, licèt apponantur similia verba: *Privilegijs in contrarium penitùs derogatis, & excissis.*

Probatur: Quia Privilegia Regularium quandam excellentiam sortiuntur, ob quam expressior generalis requiritur revocatio: quia duplex est genus Privilegij, unum, quod privatis conceditur, & est odium Juris, alterum, quod à Principe conceditur perpetuò, in bonum alicujus communitatis, aut Ordinis, & hoc aquatur legi, ac si insertum esset in Corpore Juris, sicut aliæ leges perpetuæ, estquè amplè interpretandum; & quia ob meritæ est datum. quod sinè injuria nequit auferri. Ita sentit Oldradus cons: 30. *in Compend Privil Minor:* S. Thomas, Jason, Marcellinus a S. Benedicto, & alij plurimi DD.

3. *Inserta Iuri non sunt à Trid: revocata.* DICO tertiò: Quamvis aliqoa Privilegia Regularium fuerint per Trident: revocata, ea tamen, quæ in Corpore Juris inserta sunt, non censentur revocata, nisi de eis fiat specialis mentio.

Probatur: Alia Privilegia priùs inserta Juri non revocantur per posteriùs inserta, nisi in posterioribus fiat specialis mentio: ergo idem hìc dicendum.

Pro-

Probatur secundò: Ex *Mari Magno* Sixti IV. Ex Bulla Sixti V. Eugenij IV. concessa Prædicatoribus, & Leonis X. pro Benedictinis; ubi dicitur: *Quod non possit derogari ipsorum Privilegijs, nisi de ipsorum Ordine, & hujusmodi litteris Apostolicis fiat de verbo ad verbum expressa mentio.* Ita etiam docent Rodriqu: Tomo 1. *qq. Regular:* q. 9. art: 6. Arch-Angelus Romanus, Mendosa, Germes, &c.

4. *Revocatio specialis ut operetur, debet juridicè intimari Regularibus.*

DICO quartò: Privilegia Regularium non censentur abrogari per quamlibet Revocationem, etiam cum speciali mentione, nisi ipsa revocatio Regularibus juridicè, id est tribus distinctis vicibus intimetur.

Probatur: Quia ita habet expresè Bulla Gregor: XIII. *Æquum reputantes*, concessa Societati JESU, & alijs Regularibus per communicationem: ergo. Ita etiam statuunt Decisiones Rotæ, & DD. quos citat Diana Tract. 2. Resol: 68. ergo, &c.

DICO quintò: Sufficienter tamen revocantur Privilegia Regularium, per similes clausulas Papales: *Volumus tales litteras* (subintellige Privilegium Regulare continentes) *haberi pro expressis, ac si de verbo ad verbum insererentur.* Item *Non obstantibus Privilegijs, sub quacunque forma verborum concessis.* Ita habetur in Clem: 1. & 2. *de Sepultur:* Item, *Etiamsi de illis specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret.* Ita Canonistæ Reg: &

Probatur: Quia ita determinat Urban: VIII. & observat stylus Curiæ; docetque Mendosa, & alij apud Rodriqu: communiter.

5. *Greg: XIII. revalidavit Privilegia Regul.*

Quæres autem: Cùm Pius V. maxima concesserit Privilegia Regularibus, in Bulla 41. *Etsi Mendicantium*; an ea sint revocata per ejus Successorem Greg: XIII. in Constit: *In tanta?* Respondeo omnia fuisse revocata per Gregorianam prædictam: postea tamen iterum ab eodem Gregorio per tres alias Constitutiones fuisse revalidata omnia, contenta in Piana, *Etsi Mendicantium.* Prima incipit, *Ex Benigna.* Secunda, *Regimini militantis.* Tertia *Spectatus.* Ita Brugnoli noster: & patet ex textu dictarum trium Constitutionum Gregorianarum.

6. *Omnia Vivæ Vocis Oraculo Regularium jam sunt bullata, & ideo in vigore.*

NOTA primò: Quòd omnia Privilegia vivæ vocis Oraculo facta, & concessiones factæ à Summis Pontificibus solà voce, tam quoad forum interius, quàm exterius spectantes, fuerint revocata à Gregor: XV. per Bullam *Romanus Pontifex.* Anno 1622. 2. Julij. Intelligitur autem hoc tantùm de vivæ vocis Oraculis, & gratijs sic concessis, usque ad Annum 1606. 29. Aprilis, quo anno Paulus V. per Constit: *Injuncti nobis*, omnes gratias, & Privilegia per solam signaturam, aut Vivæ Vocis Oraculò concessa, confirmavit, Bullæ suæ inseruit, & sic inserta non manebant amplius nuda Vivæ Vocis Oracula tempore Gregor: XV. sed erant jam Privilegia, motu propriò, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis per Breve Apostolicum concessa; adeoquè ista non censentur revocata.

7. *Quod Generales Ordinum possint circa Privilegia Regula.*

DICO sextò: Superiores Ordinum, & Capitula Generalia, habentia delegatam potestatem specialem Apostolicam, possunt limitare, vel omninò tollere à Fratribus usum Privilegiorum Apostolicorum.

Probatur: Quia sic concessum est Minoribus à Leone X. Et Jesuitis à Gregor: XIII. sic nostri Reformati renunciaverunt Privilegijs relaxativis; sed non conservativis puritatis Regulæ nostræ: ergo, &c.

8. *Posterius Privilegiũ derogat priori, si mentionem ejus faciat.*

NOTA secundò: Quòd primum Privilegium tollatur per posterius, de priori faciens mentionem. Probatur: quia sic habetur *c. Veniens, de præscript.*

9. *Secus, si non faciat.*

NOTA autem tertiò: Quòd si non faciat mentionem, licèt sit speciale, non derogat priori generali, ratione cujus jam quæsitum est jus tertiò, quod non censetur Princeps auferre velle sinè illius notitia. Ita Glossa in dictum caput. Item debet facere mentionem clausulæ derogatoriæ, & derogatoriarum derogatoris, positis in illo priori Privilegio, nisi Privilegium legis formam, nomenquè teneat, tunc enim primum clausulà derogatorià munitum tollit, & revocat. Ita Rodriqu: Abbas, Felinus, &c.

10. *Quando speciale derogat generali, & utrum generale alteri generali?*

NOTA quartò: Privilegium tamen speciale derogare generali, si generale contineat jus ad rem, non verò si contineat jus in re, sive istud præcedat, sive sequatur. Ita Abbas c. 1. *de Rescript.* Si verò utrumque Privilegium sit Generale, vel utrumque speciale, vel utrumque clausum in Corpore Juris, posterius tollit prius. Ita Felinus, Abbas, &c.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

De Communicatione Privilegiorum inter Regulares.

1. Quid sit Communicatio Privilegiorum?

NOTA primò: Communicationem Privilegiorum esse extensionem quandam, ratione cujus jus uni Religioni concessum, alteri etiam conceditur.

2. Mendicantes omnes communicant amplissimè inter se in Privilegijs.

DICO primò: Mendicantes habent inter se plenissimam Communicationem Privilegiorum, concessorum, & concedendorum, imò & cùm alijs Ordinibus, non Mendicantibus.

Probatur: Quia ita declaratum est, per Julium II. Sixtum IV. Leonem X. Paulum IV. & Pium V.

Pro meo Ordine Minorum videatur amplissima concessio Clem: VII. Bulla 2. in qua motu propriô, & ex certa scientia, tribus Ordinibus S. Francisci communicat omnia indulta, gratias, indulgentias & alia quæcunque Privilegia concessa, & concedenda alijs quibuscunque Ordinibus; tam Mendicantibus, quàm non Mendicantibus, perinde, ac si eis specialiter concessa fuissent, quæ Bolla confirmata est à Paulo IV. Pio IV. Pio V. Gregor: XIII. Sixto V. &c.

3. Non tamen in pœnis.

NOTA secundò: Quamvis omnes Ordines Mendicantium simul communicent, in omnibus Privilegijs, non tamen communicant in pœnis, & censuris latis, contra aliquem Ordinem ipsorum Mendicantium: *Cum Odia sint restringenda.* Ita Sorbus, Portel, &c. Hioc si in una Religione lata sit excommunicatio Papalis contra Subornatores, hæc non extenditur ad alias Religiones.

4. Etiam est Communicatio in Indulgentijs.

Ex Conclusione sequitur: Quòd omnes Indulgentiæ Plenariæ concessæ v. g. Prædicatoribus in Festo S. Dominici, S. Thomæ Aquinatis, &c. sint concessæ Ecclesijs Minorum pro Festo S. Francisci, S. Antonij, &c. ùt habet Rodriqu: Marchant, &c. Quidquid dicat in contrarium Antoninus, Diana alioquin in praxi versatissimus, & doctissimus, sed in præsenti materia ignorans, cum hoc expressè habeatur apud Sixt: IV. Julium II. Leonem X. &c.

5. Communicantes Ordines possunt se tueri, communicato Privilegio contra se invicem.

NOTA tertiò: Cùm per communicationem Privilegium fiat Religioni communicanti ita proprium & speciale, ac si primò ei fuisset concessum, posse illam se tueri per Privilegium communicativum, contra aliam Religionem, cui illud primò fuerat concessum, v. g. nobis Minoribus primò fuit concessum Privilegium, ne intra spatium 300. cannarum nostri Monasterij, alius Conventos possit ædificari, hoc eodem se tueri possunt Prædicatores, contra nos Minores.

6. Novitij gaudent Privilegijs Regul:

DICO secundò: Novitij gaudent Privilegijs concessis illius Ordinis Professis, in quo annum probationis faciont.

Probatur: Ex diversis concessionibus Pontificijs, quas vide in *Compend. Privileg: Societ:* titulô *Communicatio.* Et habet Suarez, Riccius, & alij apud Dianam.

7. Etiam Moniales.

DICO tertiò: Omnes Moniales S. Claræ & Tertiariæ claustraliter viventes, subditæ Minoritis, item etiam aliæ Moniales, quæ non sunt Clarissæ, vel Tertiariæ, modò sint subditæ Minoribus, gaudent Privilegijs FF. Minorum. Ita Rodriqu: Tomo 1. *qq. Regul:* q. 55. ubi plores affert Bullas Papales, per quas probatur Conclusio. Idem dic de alijs Monialibus, alijs Religionibus subjectis.

8. Et Conversæ subjectæ Mendicantibus.

DICO quartò: Etiam sorores conversæ, oblatæ, ac utriusque sexûs personæ *de Pœnitentia* nuncupatæ, votô continentiæ emisso, & viventes sob directione Mendicantium Ordinum, gaudeot Privilegijs omniom Mendicantium, quantùm capacitas eorum permittit, ac vicissim Mendicantes illarum.

Probatur: Ex Bulla Leonis X. *Datum per nos.*

9. Cordigeri in quibusdam etiam gaudent.

DICO quintò: Etiam sæculares Confratres Chordæ nostræ, Corrigiæ, Scapularis, &c. participant Privilegijs Mendicantium, quoad indulgentias, & remissiones peccatorum tantùm, noo autem in his, quæ possent perturbare jurisdictionem Ordinarij, conformiter ad Decretum Conc: Trid: Sess: 24. *de Reform.* c. 11.

Probatur: Ex pluribus Pontificijs concessionibus, quas vide apud Compendiatores Privilegiorum.

10. Quomodo sit intelligenda Communicatio Privilegiorum?

DICO sextò: Communicatio Privilegiorum diversorum Ordinum inter se, ita debet intelligi, ut quæ Generalibus unius Ordinis conceduntur, Generalibus alterius Ordinis concessa esse censeantur, & sic de Provincialibus, Superioribus localibus, Ecclesijs, &c.

Probatur: Quia ita habetur in Constit: Julij II. *Alias ad supplicationem, &c.*

11. In Repugnantibus Privilegijs, non fit Communicatio.

DICO septimò: Privilegia repugnantia observantiæ Regulæ hujus Religionis, cui fit Communicatio, non veoiunt communicanda, nec potest illis frui Ordo participans. Ita Rodriq: & alij DD.

Probatur: Aliàs hæc Communicatio

non

non cederet in favorem, sed odium: non in ædificationem, sed destructionem: ergo, &c.

12. *In Communicatione nō attenditur ad usum, vel non usum.*

Nota autem quartò: In Communicatione Privilegiorum non communicari usum, vel non usum Privilegij, sed jus utendi Privilegiô, unde tametsi aliquis Ordo perdidisset per sententiam, vel non, usum præscriptum Privilegia, alius tamen participans, seu communicans non perdidit illa Privilegia. Ita Rodriqu: della Crux, &c.

QVÆSTIO V.

De Exemptione Regularium, ab Ordinarijs, quoad Regimen.

1. *Qui censendi Ordinarij.*

NOTA primò: Nomine Ordinarij intelligi hic illum, qui jurisdictione propria solemni præditus est, cujusmodi sunt Episcopi, Archi-Episcopi, eorumque Vicarij, Abbates, Regulares exempti, & Legati Apostolici, ut habet Henriqu: Tambur: &c.

2. *Causa Exemptionis Regularis ab Ordinarijs.*

Nota secundò: Causas principaliores, propter quas Papa exemit Regulares à jurisdictione Ordinarij. *Prima* est; Propter studium, & lectionem Divinorum, ad removendam periculosam ignorantiam in populo DEI. *Secunda* est: Exhortatio populorum ad vitiorum manifestationem fidelibus peccatoribus, ut convertantur. *Tertia* est: Doctrina Magistrorum, ad S. Scripturæ expositionem faciendam, quæ tria non ita debitè præstare possent Regulares, si essent sub Episcopi jurisdictione. *Quarta* est: Oppressio quam faciebant olim circa Regulares quidam Episcopi, partim ex ignorantia rituum & morum Regularium: partim propter disparem Professionem: partim ex offenso animo erga Regulares probos, pios, doctos, &c.

3. *Omnes Mendicantes nunc exempti sunt à regimine Ordinariorum.*

DICO primò: Omnes Mendicantes nunc omnino sunt liberi à jurisdictione Ordinariorum, & lege eorum, quoad regimen, & gubernium.

Probatur: Ex cap. *Nimis iniqua*, 16. cap. *Nimis prava*, 17. *de excessibus Prælatorum.* in Clem: 1. & 2. & in Trid: Seß: 25. *de Regul:* c. 20.

4. *Exemptio specialis Fratrum Minorum.*

Nota tertiò: Quòd specialiter nos Minores, & Prædicatores exemerit Sixtus IV. in *Mari Magno Minorum*, *& Prædicatorum.* Et in Bulla Aurea, *Regimini*, *&c.* alijquè Pontifices.

5. *Etiam Ecclesia, Oratoria, &c. sunt exempta.*

DICO secundò: Non solùm personæ Mendicantium quoad se, sunt exemptæ à jurisdictione Ordinarij, sed etiam eorum Ecclesiæ, Oratoria, Monasteria, & Hospitia.

Probatur: Ex citato Sixto IV. & alijs.

6. *Etiā grangia, &c.*

DICO tertiò: Etiam Monasteriorum grangiæ (id est prædia) utilitatis, vel recreationis causâ acquisitæ, sunt exemptæ.

Probatur: Ex eodem Sixto IV. & Alex: VI. Paulo V. &c. ut videre est, in compendijs diversis Privilegiorum.

7. *Ordinarijs non licet visitare Regulares Ecclesias, Altaria, &c.*

Ex dictis sequitur: Ordinarium non posse visitare, neque Personas, neque Ecclesias, Oratoria, Altaria, Sacristias, Paramenta, Monasteria, Hospitia, aliavè loca Regularium. Visitatio enim est actus jurisdictionis. Unde hujusmodi Visitatio est Ordinarijs expressè prohibita à Pio V. in Bulla, *Etsi Mendicantium*, *&c.* Item à Mart: V. in Bulla, *Sedes Apostolica.*

8. *Nisi exerceant curā animarum.*

DICO quartò: In Ecclesijs tamen Regularium, ubi cura animarum exercetur, potest Episcopus visitare illud altare, quod est deputatum pro cura; item Baptisterium, & Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti.

Probatur: Ex quadam decisione Romana Anno 1631. 5. Aprilis emanata, quam refert Barbosa Capitulo 7. Seß: 7. Trident: Possunt item visitare beneficia curata, ut quibuscunque beneficijs, & pijs locis: sicut & personas exercentes curam animarum in Monasterijs Regularium. Patet ex Trident: Seß: 25. c. 11. *de Reg:* Et habet Barbosa, Navarrus, &c.

9. *Moniales pariter cum suis personis sunt exemptæ.*

DICO quintò: Etiam Monasteria Monialium, eorumquè personæ Regularibus subjectæ, ab Ordinarij visitatione sunt exemptæ.

Probatur: Ex Maribus Magnis Sixti V. & singulariter ex conceß: Pij V. *Etsi Mendicantium.* Possunt tamen Ordinarij Visitare Moniales exemptas in puncto clausuræ restaurandæ, & conservandæ, ut habet Trident: Seß: 25. c. 5. *de Regularibus*, & Decretum S. Congregationis: quod vide apud Sperellum, decisione 97.

Cccc QVÆ-

QVÆSTIO VI.

De Exemptione Regularium, quoad Leges Diœceſanas Ordinariorum, & coactivam poteſtatem.

1. Regulares ſunt exempti à lege Diœceſana.

DICO primò: Regulares non obligantur ad obediendum legibus Epiſcoporum. Ita communis ſententia DD. in cap. 1. *de Conſtitut.* Covarr: Bartholus, Suar: &c.

Probatur: Quia ut inquit Pontifex c. *A nobis*, *de Sententia Excommunicationis*, *extra Territorium jus dicenti, non paretur impunè*: ſed Regulares, & eorum loca, ſunt extra Territorium Epiſcoporum, ùt habetur ex cap. 1. *de Privilegijs* in 6. præterquam in Caſibus à Jure expreſſis, de quibus infra: ergo non obligantur parere eis, jus dicentibus, ſeu condentibus leges. Secundò: Ordinarij, ut viſum eſt quæſtione præcedenti, non habent juriſdictionem in Regulares; ergo Regulares eorum legibus non tenentur obedire. Unde

2. Et ab acceſſu ad Synodum.

DICO ſecundò: Regulares exempti non tenentur accedere ad Synodum, niſi habeant curam animarum.

Probatur: Ex c. *Nimìs prava* 17. *de Exceſſibus Prælatorum.* Et Conc: Turon: relato in c. *Epiſcopus.*

3. Et à Decretis Synodalibus.

DICO tertiò: Neque ſubjiciuntur Decretis factis in Synodis, aut Concilijs Provincialibus. Ita habet Barboſa, Suarez, &c.

Probatur: Quia, quoad leges Diœceſanas, pariter moraliter extra Territorium Synodi cenſentur eſſe: ſi tamen habeant curam animarum, tenentur accedere, & ſubjiciuntur Decretis Synodalibus, ut habetur in Trid: Seſſ: 24. c. 2. *de Reform:* & c. *Ex ore*, *de Privilegijs.*

4. A votis, & jejunijs populi.

DICO quartò: Regulares non tenentur ad jejunia, vota, à populo facta, etiam Decretò Epiſcopi confirmata, vel alias obſervantias novas, niſi adſit Decretum Papæ. Ita Bordonus, Suarez, Roder: in *Additionibus ad Summ: Moral:* Tit: 4. cap. 110.

Probatur: Quia non conſtat ex lege, hoc præcipiente exemptis Regularibus. Deinde, quia in his ſtatuendis de novo, vocari deberent, Capita familiæ, aut principales Provinciæ, & voto ſtabilito deberent petere benedictionem ab Epiſcopo: ſed in nullo horum vocantur Capita Regularium Monaſteriorum: ergo, &c.

5. Et à Feſtis novis Diœceſanis.

DICO quintò: Regulares, quantùm eſt de ſe, non tenentur ſervare Feſta, de novo ab Epiſcopis ordinata, niſi ex non obſervantia ſequeretur ſcandalum populi, vel conſvetudo oppoſitum urgeret. Ita Brugnoli, &c.

Probatur: Quia ita conceſſit Eugenius IV. pro Monachis S. Benedicti Congregationis Hiſpaniæ; ùt refert Rodericus Tom: 2. *qq* q. 70. art: 1. cum quibus alij Religioſi communicant: ergo, &c. Conſultum tamen eſt, ut Regulares in horum Obſervantia ſe conforment Diœceſi, cùm per hoc procuretur major DEI cultus, & populi Devotio.

6. Tridentinũ gloſſatur pro Regularibus.

DICES: Trident: Seſſ: 25. præcipit, ut dies Feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos Epiſcopi præceperint, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus ſerventur. Reſp: Trident: cit: loqui tantùm de Feſtis ſervandis, quoad conciones, & lectiones, quas Regulares ad populum habuerint, id eſt, ut ſe conforment in Evangelijs, & Epiſtolis ſolitis prælegi populo, quibus illis Feſtis utitur Clerus: non verò quoad Miſſas celebrandas, & officia Divina. Ita in Terminis explicat Trident: S. Congregatio, in uno Decreto, quod adducit Quaranta, Barboſa, & Brugnoli f. 152. in ſuo ſpeculo. Vide etiam Declarationes Trid: in Seſſ: 25. cap. 12. *de Regularibus.*

7. Quid operetur Confirmatio Papa, data ſuper Synodales leges.

DICO ſextò: Tametſi Conſtitutiones Synodales à Papa confirmentur, non tamen eò ipsô facit illas legem ſuam, ſed manent leges Epiſcopales, unde Regulares illis adhuc non obligantur. Ita Canoniſt: Reg:

Probatur: Quia illa Confirmatio jus novum non tribuit, ſed antiquum conſervat, uti conſtat ex cap. 2. d. 12. *Cùm dilecta* 4. ad medium, *de Confirm:* ergo, &c.

8. Regulares poſſunt celebrare in ſuis Eccleſijs quandocunque volunt.

DICO ſeptimò: Regulares non poſſunt ab Epiſcopis prohiberi in ſuis Eccleſijs Miſſas privatim, & ſolemniter celebrare quâvis horâ ſolitâ, ritosquè ſui Ordinis, & Cæremonias in Feſtis, & alijs diebus obſervare.

Probatur: Quia ita Pius V. conceſſit, Bulla *Etſi Mendicantium*: & S. Congregatio. Unde poſſunt ijdem Regulares proceſſionem ſolemnem facere extra Clauſtra infrà Octavam Corporis Chriſti, quâlibet die, ut conceſſit Gregor: XIII. Bulla, *Cùm interdum contingat*; quam Bullam etſi Clemens VIII. revocaverit, attamen hanc gratiam poſtea per Bullam, *Ratio Paſtoralis*, confirmando ex certa ſcientia Privilegia Minorum, iterum confirmavit.

9. Et mendi-

DICO octavò: Regulares Mendican-

tes,

care ubique cerrarum.

tes, possint ubique sinè licentia Episcopi, aut alterius Ordinarij mendicare, neque possint ullò modò prohiberi.

Probatur: Quia ita concessit Leo X. Alex: IV. Julius II. Et Sixtus IV. vult Ordinarios, & quosvis alios prohibentes, ne Carmelitis (idem est de alijs Mendicantibus) dentur Eleemosynæ, esse ipsò factò excommunicatos: ergo, &c. Vide Compendium Privilegiorum FF. Minorum, & aliorum.

10. *Mendicantes non sunt quæstores, prohibiti à Tridens:*

DICO nonò: Mendicantes non connumerantur inter quæstores, de quibus loquitur Tridentin: Sess: 21. c. 9. *de Reformat:* & jubente Concilio debent aboleri.

Probatur: Quia ita declaravit expresè Pius V. in Bulla, *Etsi Mendicantium*: unde Mendicitas nostra licita est, & meritoria, ut ait Alex: IV. & Nicol: III. in Bulla, *Exijt, qui seminat*.

11. *Regulares sunt exempti à foro Episcopali.*

Circa Exemptionem, à coactiva potestate Regularium ab Ordinarijs.

DICO decimò: Regulares sunt omninò exempti, ut nec ratione delicti, nec ratione contractûs, vel rei positæ intra loca eorum, de qua contra ipsos agitur, conveniri possint coram Ordinario locorum, sed coram solo Romano Pontifice, tanquam judice vero Regularium.

Probatur: Quia ita habet Mare Magnum Sixti IV. in Constit: *Regimini universalis*, pro nobis Minoribus facta; Et Bulla Benedicti XI. *Inter cæteros*, quæ omnium clarissimè loquitur: ergo, &c.

12. *Censura Episcoporum in Regulares sunt nulla.*

Ex quibus sequitur: Quòd delinquens in Monasterio Regularium, non subjiciatur pœnis ab Episcopo positis: censetur enim esse extra Territorium sui Ordinarij; ùt habet Naldus, Zerola, Sylv: Peyrinus, &c. Item, quòd delictum v. g. homicidium Regularis, extra claustrum patratum, à Superiore suo, non immediatè ab Ordinario, debet puniri; ùt constat ex Trid: Sess: 25. c. 14.

Ex dictis sequitur secundò: Quòd Censuræ ab Episcopis latæ contra Regulares, sint omninò irritæ; ùt habet expresè Mare Magnum Sixti IV. in Bulla *Regimini universalis, &c.* Et tenet Sayrus, Cavatius, Rodericus, &c.

QUÆSTIO VII.

Recensentur Casus, in quibus ex Tridentini Decretis Regulares Episcopis subjiciuntur.

QVoniam Regularium exemptio in aliquibus est limitata à Trid: breviter puncta singula examinabo.

1. *Primus Casus in quo Regulares juxta Trid: Ordinarijs subjiciuntur.*

Primus itaque Casus habetur Sess: 5. *de Reformat:* c. 2. & reperitur Sess: 24. c. 4. *de Reform:* & à Greg: XV. in Bulla, *Inscrutabili*, §. 8. *Quòd Regulares dum volunt prædicare in alienis Ecclesijs, debeant petere licentiam ab Episcopo, dum verò volunt in suis, benedictionem.* Circa quam

2. *Mens S. Congregationis circa hunc Casum.*

Nota: Quòd quoad benedictionem istam declaraverit S. Congregatio, sufficere eam petere, licèt non obtineatur, ut refert Peyrinus Tom: 1. *de Privilegijs.*

3. *Secundus Casus subjectionis.*

Secundus Casus subjectionis est Sess: 6. c. 3. *Quòd Regularis extra Monasterium degens, si deliquerit, possit ab Ordinario, tanquam à Sede Apostolica delegato visitari, & corrigi.* Circa quem Casum

4. *Explicatur Tridentinū.*

Nota: Quòd intelligi debeat hoc Decretum tantùm de illis Regularibus, qui absquè licentia sui Prælati extra Monasterium stabiliter manent, & ab eo quotannis non visitantur, ùt habet Panorm: Navarr: Henriqu: &c.

5. *Tertius Casus.*

Tertius habetur Sess: 25. c. 11: *de Reform: Quòd Regularis curam animarum exercens pro sæcularibus, subsit visitationi, & correctioni Episcoporum.*

Circa quem Casum

6. *Regulares in cura animarum existentes plenè Ordinarijs subjiciuntur.*

Nota: Quòd primò hoc intelligebatur, de correctione emendativa, non punitiva, nam juxta Leonem X. in sua Declaratione, in Constit: 22. quoad punitionem tradi debet suo Superiori Claustrali. Attamen deinde Gregor: XV. Regulares curas animarum habentes, omnimodæ jurisdictioni, adeoquè etiam punitivæ per Censuras, subjecit Episcopis Diœcesanis, per Bullam *Inscrutabilis*. Unde licèt eos Episcopi Censuris Excommunicationis, alijsquè pœnis, quà Ordinarij corrigere non possint, possunt tamen ùt Sedis Apostolicæ Delegati.

7. *Quartus Casus.*

Quartus ponitur Sess: 7. c. 14. *Quòd Regulares extra claustrum degentes, possint conveniri coram Ordinario, in causis civilibus mercedum, & miserabilium personarum, & cogi ad solvendum debitum.*

Circa quem Casum

8. *Elucidatur Tridentinũ.* NOTA: Quòd dicantur Regulares tantùm illi extra claustrum degere, qui ex speciali licentia, vel Privilegio habent domum extra claustra: non verò qui causa prædicationis, confessionis, vel eleemosynæ ad tempus extra Claustrum manent. *Miserabiles personæ* dicuntur pauperes, vel morbò diutinò fatigati ex c. *Significasti, de Privil:* in 6.

9. *Exceptio à Tridentino.* NOTA deinde: Quòd Regulares inter Claustrum degentes per dictum Trident: Decretum, in nullo dictorum Casu civili possint conveniri coram Ordinario; ùt habetur expressè in S. Congregationis decisione, Anno 1573. die 19. Julij, & refertur à Bauer: Tom: 2. qq. Reg. q. 2.

10. *Quintus Casus subjectionis.* Quintus est Sess: 23. c. 8. *de Reform:* ubi dicitur: *Quòd unusquisque ordinetur à proprio Episcopo*: & c. 12. *Vt præcedente diligenti examine Episcopi ordinent Regulares.* Sed Pius V. interpretando octavum caput hujus Sess: dicit: *Ipsum locum non habere in Regularibus, qui proinde à quolibet Antistite gratiam, & Communionem Sedis Apostolicæ habente sine licentia Ordinarij, in domibus FF. vel alibi possunt ordinari.* Ita Bulla, *Etsi Mendicantium.*

11. *Sextus Casus.* Sextus est Sess: 23. c. 15. *de Reform: Quòd Regulares non possint Confessiones secularium audire, nisi fuerint ab Episcopo approbati.* de quo in Tract: *ab Sacr: Pœnit:* & infrà.

12. *Septimus Casus.* Septimus Sess: 25. c. 4. *Quòd contra Regulares sine licentia sui Prælati, à Conventibus recedentes, etiam sub prætextu Superiores accedendi, Ordinarius possit procedere puniendo eos.* Qualiter hoc sit intelligendum dicetur in Casu 15.

13. *Octavus Casus.* Octavus eàdem Sess: ponitur: *Quòd illi qui studiorum causà ad Vniversitates mittuntur, in Conventibus tantùm habitent, aliòquin ab Ordinarijs contra eos procedatur.*

14. *Nonus Casus.* Nonus habetur eàdem Sess: c. 12. *Quòd Censura, & Interdicta, ne dum à Sede Apostolica, emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, & dies Festivi novi serventur:* sed hoc ultimum Decretum servandum est tantùm secundùm modificationem, quam posui *Quæst: præcedenti*, in *Responsione ad instantiam contra Conclusionem 5.*

15. *Decimus Casus.* Decimus est: *Quòd Regulares etiam Monachi, ad publicas processiones vocati, accedere teneantur, & compellantur, ijs tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò vivunt.* Publicæ autem processiones vocantur, quæ ex causa publica & magna, v.g. pestis imminentis, vel similis flagelli, vel pro gratiarum actione, vel in adventu novi Episcopi, vel in Festo Corporis Christi, Patroni terræ, vel tandem ex antiqua consvetudine, ordinantur.

16. *Regulares per Censuras nequeunt compelli ad processiones.* NOTA autem: Quòd probabilior sit sententia Henriq: Roder. Moroni, Sanchez, &c. quæ dicit, quòd Regulares nolentes accedere processiones publicas, licèt possint compelli, non tamen per aliquas Censuras Ordinarij: nam ex c. *de Privil.* in 6. generaliter prohibentur omnes Ordinarij in quavis causa, contra Regulares Censuras fulminare, & Trid: nullam facit hic mentionem Censuræ.

17. *Vndecimus Casus.* Undecimus habetur Sess: 22. *in Decreto de Observ: & evitandis in celebratione Missæ; ubi datur Episcopis facultas procedendi per Censuras, contra Exemptos, celebrantes in Domibus privatis, atque omninò extra Ecclesiam.* de hoc *in dist. de Missa;* ubi afferentur Regularium Privilegia circa celebrationem Missæ.

18. *Duodecimus Casus.* Duodecimus est: Sess: 25. c. 5. *de Regularibus; Vbi datur facultas eisdem Episcopis ad compellendum Moniales omnes ad observantiam Clausuræ, excommunicando rebelles, & inobedientes.*

19. *Decimus tertius Casus.* Decimus tertius ponitur Sess: eàdem c. 16. *Quòd nulla renunciatio, aut obligatio facta à Novitio valeat, nisi cum licentia Episcopi intra duos menses proximos ante professionem. Et ut Novitijs abeuntibus à Religione, omnia restituantur; circa quod Episcopi etiam per Censuras possint compellere contravenientes.* Finis hujus Decreti est, ne Novitius omnibus destitutus, cogatur profiteri non liberè.

20. *Explicantur verba Tridentini.* Circa hoc NOTA: Quod nomine *Renunciationis*, atque *Obligationis*, non intelligatur hic Testamentum, vel donatio causà mortis, neque Codicillus, unde Novitius Regularis quandocunque voluerit, poterit testari sine licentia Episcopi. Ita Vega, Molina, Rodriqu: Intelliguntur itaque illi contractus, quibus Novitius se spoliat notabili parte hæreditatis, cujusmodi est donatio, alienatio, &c.

21. *Casus Decimus quartus.* Decimus quartus est Sess: 25. c. 13. *Quòd controversia omnis de præcedentia, etiam inter Regulares, in processionibus, & funeribus Episcopus amotà omni appellatione componat.*

22. *Casus Decimus quintus.* Decimus quintus habetur Sess: 25. c. 14. *Quòd Regularis exemptus intra Claustrum degens, & extra illud notoriè delinquens cum scandalo populi, Episcopo instante à suo Superiore, intra tempus ab Episcopo præfigendum, debeat severè puniri, & Superior de punitione debet Episcopum certiorem facere, &c.*

23. *Corollarium* Ex quo liquet: Quòd Ordinarius non possit

prioris Cando.

possit per se, vel per alios procedere ad punitionem, vel capturam Religiosi delinquentis, etiam Novitij tantùm; ut etiam habet Clem: unica *de Excessibus Prælatorum*; quòd si capi faciat, incidit in excommunicationem, unà cum capientibus; ùt habet Henriqu: Sorbus, Navarrus, &c. per c. 1. *Si quis suadente Diabolo*. Excipe casum, quo timeretur fuga Religiosi, ob enorme crimen patratum, tunc enim non tantùm Episcopus, sed & Judex sæcularis in absentia Judicis Ecclesiastici potest capere Religiosum in flagranti enormi delicto deprehensum, sed debet eum Superiori Regulari intra 20. horas tradere, qui debet illum processare, & punire; ùt habet Abbas, Tambur, Henriqu: Panorm: Guido, Pape, &c.

QVÆSTIO VIII.

De Exemptione Sæcularium ab Ordinarijs, per respectum ad Regulares, ubi de libera, Sepultura.

1. Sæculares sunt exempti à Parochiali Missa.

DICO primò: Sæculares sunt exempti ab obligatione audiendi Missam diebus Dominicis, & Festivis in Ecclesijs Parochialibus, si eam audierint in Ecclesijs Regularium.

Probatur: Ex Bulla Leonis X. *Intelleximus*. Et Pij V. *Etsi Mendicantium*. Unde Clemens IV. graviter reprehendit Prælatos Ecclesiarum, cogentes sæculares ad audiendam Missam in suis Ecclesijs. Hinc Trid: quòd Sess: 22. *de celebratione Missæ*; videtur docere oppositum, est tantùm de Consilio non præcepto intelligendum, ùt declarat S. Congreg: apud Zerolam; & ideo utitur tantùm verbo, *moneant Episcopi*.

2. Et Confessione Parocho facienda.

DICO secundò: Sæculares etiam sunt exempti ab obligatione confitendi proprio Parocho, si Regularibus confiteantur, unde non tenentur eadem peccata denuò Parocho reconfiteri.

Probatur: Quia ita habetur in Extrav: Joan: XXII. inserta Corpori Juris, *de Hæret*: Item in Conc: Lateran: sub Leone X. Contrarium sentientes sunt excommunicati à Bonifacio VIII.

3. Censura Episcopales

DICO tertiò: Sæculares sunt exempti, & liberi à Censuris, & correctione Episcoporum, si contra eos latæ sint, ideò quòd in Ecclesijs Regularium Conciones, & Divina Officia frequentent.

contra sæculares frequentantes Regularia Divina, sunt invalida.

Probatur: Quia ita determinat Clem: VIII. in Brevi, directo Episcopo Tricariensi Nuntio in Belgio Anno 1592. die 22. Decembris, & Clem: IV. ut habet *Compend: Privileg*.

4. Sæculares non tenentur obedire Episcopo, dum præjudicatur Privilegijs Regularium.

DICO quartò: Nulli Sæculares Laici, & Clerici tenentur obedire Episcoporum præceptis, factis contra Privilegia Regularium.

Probatur: Quia subditi non tenentur obedire Episcopis in ijs, in quibus nullam habent jurisdictionem: sed in nos Regulares, & nostra Privilegia, nullam habent jurisdictionem; ùt patet ex c. *Quando amplius de Privil*: ergo, &c.

Circa Sepulturas.

5. Electio Sepulturæ est liberrima in Ecclesijs Regularium.

DICO quintò: Sæculares possunt relictâ Parochiâ sibi eligere Sepulturam in Ecclesijs quibuscunque Regularium.

Probatur: Quoad primam partem; quia resolvit ita Alex: III. in Conc: Later: & habetur cap. 1. *de Sepulturis*. Item Bonifacius VIII.

Probatur: Quoad Ecclesias Regularium; quia ita concessit Clem: IV. in Bulla, *Virtute conspicuos*. Sixtus IV. in Bulla, *Regimini*. Julius II. &c. Et licèt ipsi defuncti non elegerint Sepulturam apud Regulares, poterunt hoc facere hæredes, vel Curatores funeris. Ita Pius V. in Bulla, *Ad hoc nos Deus*. Leo X. Clemens VII. &c.

6. In habitu S. Francisci eligentes sepeliri plenariam Indulgentiam lucrantur.

DICO sextò: Sæculares eligentes sepeliri, in Ecclesia Franciscana, cum habitu S. Francisci, lucrantur plenarias Indulgentias. Ita Rodriq: in Bullarin, & Peyr:

Probatur: Ex Leone X. ut habet Casarub: in *Compend: Privil*: Verbò *Indulgentia*, &c.

7. Limitatio prioris asserti.

NOTA: Quòd si in alia Ecclesia sepeliantur cum habitu Franciscano, nullas lucrantur Indulgentias. Ita Bulla Aurea, &c. Pariter si Cadaver induatur habitu S. Francisci, inconsultò Superiore FF. Minorum, nullas lucratur Indulgentias anima defuncti: ùt habet Brugnoli, &c. DD.

8. Regularibus invitis nec Sepultura fieri, nec Divina peragi possunt ab alijs in eorum Ecclesijs.

DICO septimò: In Ecclesijs Regularium nullus sepeliri potest ipsis invitis, sicut nec in ipsis fieri Divina Officia, benedictiones, processiones, & exequiæ celebrari super corpore ibi sepulto, absque expressa licentia Superioris Regularis, ad quos spectat Divina Officia recitare, non ad Curatos, vel alios.

Probatur: Ex Clem: IV. in Bulla *Virtute conspicuos*, & Julio II.

Dddd Nu-

9. *Pœna inducentium ad sepulturam determinatam.*

NOTA: Quòd quicunque Clericus Sæcularis, vel Religiosus inducens aliquem ad eligendam Sepulturam apud suam Ecclesiam, incurrat pœnas à Jure in 6. c. 1. *de Sepulturis*: quæ sunt; quòd nimirum electio Sepulturæ sit nulla: quòd non possint sepeliri in loco electo: quòd Clerici inducentes debeant restituere Cadaver, & alia accepta: Et nisi restituant, quòd sint interdicti.

10. *Conditiones prioris doctrinæ.*

NOTA secundò: Ad incurrendas has pœnas requiri, ut Clericus inducens suadeat, & exhortetur efficaciter, ad eligendam Sepulturam, neglectâ Sepulturâ, priùs electâ alibi: item ut hoc fiat interposito, vel juramento, vel voto, vel fide seu promissione formali eligentis: aliàs non incurruntur dictæ pœnæ, ut habet Brugnoli, &c.

QVÆSTIO IX.

De Exemptione Regularium ab Ordinarijs, quoad Funeralia: ubi de Portione Canonica.

1. *Privilegia Regularium circa comitivam cadaverum, & celebrationem Missarum.*

DICO primò: Regulares non possunt prohiberi associare corpora defunctorum: nec Curati possunt cogere hæredes defunctorum celebrari facere Missas in suis Ecclesijs Parochialibus.

Probatur: Quia ita constituit Urbanus VIII. in constitutione *Nuper pro parte, &c.*

2. *S. Congregatio pro Regularibus stat.*

DICO secundò: Cadavera defunctorum in Ecclesijs Regularium sepelienda, ab ædibus defunctorum, ad Regularium Ecclesias rectò tramite possunt deferri, monitò tamen priùs & expectatò Parochò propriò, quò venire expressè recusante, possunt ijdem Regulares, etiam ipsò invitò cadavera ad suas Ecclesias transportare.

Probatur: Quia ita resolvit S. Congregatio die 14. Januarij, Anno 1639. pro nobis Minoritis. Decretum per extensum habetur apud Brugnoli Tract: 4. c. 15.

3. *Eadem S. Congregatio pro Regularibus.*

DICO tertiò: Cadavera Regularium, decedentium extra Claustra, possunt à Regularibus defuncti Religiosi, irrequisitò Parochô, & eò inconsultò, ad Regulares Ecclesias deferri.

Probatur: Quia ita decrevit S. Congregatio, die & Anno, mox citato.

4. *Item S. Congregatio rescribit pro Regularibus.*

DICO quartò: Quando cadavera sepelienda sunt in Ecclesijs Regularium, spectat ad Regulares declarare, an, per Civitatem, vel rectam viam, sint exportanda.

Probatur: Quia ita S. Congregatio declaravit, die 22. April: Anno 1588. Consvetudo tamen obtinuit in his Germaniæ Provincijs, ut hæredes defuncti, iter declarent.

5. *Etiam pro Monialibus mittitur edictum & Congregationis.*

DICO quintò: Non solùm virorum Regularium; sed etiam Monialium exemptarum Ecclesiæ, exemptæ sunt à jurisdictione Parochorum, & aliorum in materia Funeralium; ita ut nullus intra earum Ecclesias, quoties Cadavera defunctorum ad easdem deferuntur, possit Officia Mortuorum, ac alia solita adhiberi, in tali ministerio peragere.

Probatur: Quia ita Congregatio, ut supra, ordinavit, ut habet Bordonus Tom: 2. *Consil:*

Circa alteram partem Quæstionis.

6. *Quid sit Portio Canonica, & Quarta Funeralis.*

NOTA primò: Quòd *Portio Canonica* sit quædam pars, quæ jure debetur Episcopis, seu Ecclesijs Parochialibus, de rebus provenientibus illis aliquâ ratione. Dicitur *Canonica*; quia debita est ex Ordinatione Canonum. Et est duplex una debita Episcopo, ab omnibus Ecclesijs totiùs Diœcesis, de omnibus legatis, seu relictis Parochorum. Altera est debita Parochiali Ecclesiæ, de relictis à Parochiano, vel advenientibus, ratione Funeris illi loco, in quo eligit Sepulturam, hæc vocatur *Quarta Funeralis*; quia diversi Pontifices, & Tridentinum, Portionem illam debitam Parochis, pro Parochianis tumulatis, in Ecclesijs Regularium de Funeralibus, quæ cum corpore defuncti solita sunt deferri, ad quartam partem taxarunt. Funeralia autem dicuntur, ex quibus quarta Funeralium constat, quæ cum funere processionaliter tantùm deferuntur v. g. Ceræ, & similia, non autem alia legata, v. g. Domus, pallia, panni, planetæ, ornamenta Ecclesiæ, Missæ, &c. Ita declaravit Benedictus II. in Extrav: *Inter cunctas, de Priv:* in 6. & Pius V. *Etsi Mendicantium*, de ista Portione, seu quarta est quæstio præsens.

7. *Adducuntur Summi Pontifices eximentes.*

DICO sextò: Regulares sunt exempti à Solutione quartæ Funeralium.

Probatur: Quia sic jure Privilegij omnium primus Gregor: XI. & postea Martinus V. Et Eug: IV. juri communi, & in specie Clementinæ *Dudum* (quam prose habent Parochi) derogantes, simul cum Sixto IV. in Bulla *Regimini, &c.* exemerunt Dominicanos, & tres Ordines Minorum, à solutione quartæ Funeralis. Et Leo X. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcepit in Constit: *Exponi nobis &c.* ne Parochi contra Privilegia nostra, à Fratribus occasione quartæ Funeralis, aliquid extorqueant,

quetant; vel defunctorum parentes, aut hæredes inquietent. Idem concessit Paulus IV. in Constit: *Ex clementi*, ubi revocat Constit: Bonifacij VIII. *Super Cathedram*, & Clem: *Dudum*, pro Parochis emanatas.

8.
Textus Trid: pro solutione Quartæ Funeralis.

Nota autem secundò: Ad tollendas Controversias, quæ fortassis erant inter Parochos, & Regulares, Trid: Sess: 25. c. 13. *de Reform*: fecit sequens Decretum Anno 1563. 4. Decembris: *Decernit S. Synodus quibuscunque in locis jam ante annos 40, Quarta, qua Funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocunq; Privilegio, alijs Monasterijs, hospitalibus aut quibuscunq; locis pijs concessa; eadem posthac integro iure, & eadem portione, quâ antea solebat Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persolvantur, non obstantibus concessionibus, gratijs, Privilegijs, in Mari Magno nuncupatis, aut alijs quibuscunq;.*

9.
Quos dictus textus comprehendat?

Ex quo Decreto sequitur primò: Quòd loca fundata post annum 1523. quo hoc Decretum fuit publicatum, & indies ædificantur, non teneantur Parocho solvere Quartam Funeralium. Et ita post Trid: declaravit Pius V. in Constit: *Etsi Mendicantium*. Et S. Congregatio Concil: Trid: quam adducit in terminis Brugnoli Tract: 5. c. 14.

10.
Non ligat præfatus textus Fratres Minores.

Sequitur secundò: Quòd Parochi ab illis solis Regularibus exigere possint vi Trident: Quartam Funeralem, qui 40. annis ante promulgationem Tridentini Concilij habuerunt consvetudinem solvendi, non verò ab ijs, apud quos non fuit consvetudo, ut declaravit citatus Pius V. Quocirca, cùm consvetudo quo ad nos Minores vix probari possit de quarta tali soluta ante Tridt quia habuimus Privilegia semper cum expressa derogatione Clementinæ *Dudum*, ac etiam post Tridentinum, currente præscriptionis tempore confirmata, quæ consvetudinem impediebant, ideò præsumendum est, quòd nulla fuerit Juridica consvetudo quoad nos Minores solvendi præfatam Quartam; adeoquè nec modo in ullo loco solvere tenemur.

11.
Gravis interminatio super Parochos ultra solitam extorquentes pro sepulturis, factis apud Regulares.

DICO septimò: Parochi non possunt plus recipere ab hæredibus in Sepulturis, quæ fiunt in Ecclesijs Regularium, quàm in eis, quæ fiunt in proprijs, seu aliorum Clericorum.

Probatur: Ex determinatione Urbani VIII. in Decreto, *Cùm sicut dilectus*, &c. Et Paulus V. in Bulla, *Expositum nobis*, &c. prohibet sub excommunicationis pœnâ Papæ reservatâ, ne Parochi aliquid ultra Quartam Funeralium à Regularibus exigant, qui eam soliti fuerunt dare ante Trid: & modò dant; etsi ad hoc haberent consilium, vel mandatum, vel consensum Episcopi, quam ipsô factô incurrunt contravenientes. Et ex Bulla 21. Urbani VIII. *Dilectis Filijs*, &c. tales Parochi possunt denuntiari Tribunali S. Officij, & ab Inquisitoribus adversùs hæreticam pravitatem contra ipsos, ùt suspectos de hæresi potest procedi. Accessit alia gravissima prohibitio Clem: X. nunc Sedentis Summ: Pontific: edita Romæ Anno 1672. die 18. Januarij.

12.
Remittit se Auctor circa alia Privilegia Regularium ad diversos Tractatus sui Operis.

De alijs particularibus Privilegijs Regularium remitto Lectorem ad *Tract: meum de Sacramentis*. Et primò quidem: quoad Privilegia Administrationis SS. Eucharistiæ à Regularibus, videatur in præfato Tract: Dist: 4 quæst: 41. Secundo: circa Celebrationem Missæ à Regularibus quo ad locum, & tempus & benedictionem vestium SS. videatur ibidem Dist: 5. qu: 12. Tertiò: circa Confessiones audiendas videatur d. 4. q 51. Quartò: circa approbationem Regularium ad Confessiones ibidem Dist: 11. qo: 4. Quintò: circa potestatem in Casus Reservatos & Censuras ibidem Dist: 11. qu: 9. Sextò: circa susceptionem Ordinum ibidem Dist: 15. qu. 4. Septimò: de Indulgentijs Regularium validis defacto ibidem Dist 13. q. 6. Circa absolutionem à Censuris & dispensationem super Irregular: Tract: *de Censuris*, d. 3. qu: ultima. Circa Dispensationes Votorum Tract: *de Religione*, dist: de Voto, qu. 5.

QVÆSTIO X.

De Pœnis Violantium Privilegia Regularium, & eorum Conservatoribus.

1.
Pœna Violantium Privilegia Regularium.

NOTA primò: Prohibitum esse locorum Ordinarijs, & alijs, ne Regulares directè, vel indirectè molestent, vel eorum Privilegia violent. Primò: si Violatores sint Ordinarij, sunt ipsô factô interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & suspensi à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum; si verò sint tantùm Parochi, & Rectores Ecclesiarum Parochialium, vel alij quicunque, incurrunt ipsô factô excommunicationem latæ sententiæ, & privationem earundem Parochialium Ecclesiarum; ac omnium aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent; nec non inhabilitationis ad illa, & alia imposterum obtinenda. Ita Papa

Papa Sixtus IV. & Bulla *Regimini*, & Bulla, *Sacri Prædicat:*

2. *Plures alia pœna.*

Nota, secundò: Quòd multas alias etiam pœnas incurrant Ecclesiarum Rectores, & alij, molestantes Regulares in Privilegiorum suorum possessione; ùt videre est apud Leonem X. in Bulla, *Exponi fecerunt*, Pium V. in Bulla *Etsi Mendicantium*.

3. *Exemplum fatale Impugnatoris Privilegiis Regularium.*

Si hæc fulmina procedentia à Christi Vicarijs non timeant Anti-Regulares, timeant saltèm ea, quæ à DEO immediatè vibrata fuère; quorum tot calamitosa apud Ecclesiasticos Historicos extant exempla: maximè illius Doctoris Sorbonici, qui factos Archi-Episcopus exterminavit unum Conventum FF. Prædicatorum, postea factus Cardinalis, extremò odiò erga Minores, & Prædicatores, eorumquè Privilegia exarsit, rogatus, & admonitus prophetiee à quodam Fratre Minore, non cessavit, quoad usque eodem die prædictionis in domo propria per gradus corruit, & fractò collò, ac cervice, miserè expiravit; ùt narrat Cantipratanus, & Brug: Tract: 4. c. 22.

Circa Conservatores.

4. *Provisio Apostolica per Conservatores.*

Nota tertiò: Quòd cum Regulares ab omni jurisdictione Ordinariorum sint exempti; & Romà distantes, ut plurimùm coram Papa respondere non possint, dum infestantur in suis Juribus, ideo Summi Pontifices, ne in hoc nimium dispendium paterentur; opportunè providendo eisdem Regularibus, particulares Judices in partibus deputandos decrevère, coram quibus, tanquam præfatæ Sedis Apostolicæ Delegatis, illorum causæ agitatæ, fine debito, ac Authoritate Apostolicà absolverentur; qui quidem Judices ab eorum officio *Conservatores* nuncupati sunt.

5. *Qualitates Conservatorum.*

Nota quartò: Quòd isti Conservatores secundùm Decretum Bonif: VIII. quod habetur cap. *Statutum, de Rescriptis* in 6. debeant esse dignitate aliqua præditi, aut personatum obtinentes, id est aliquam prærogativam, aut Ecclesiarum Cathedralium Canonici, in Synodis Provincialibus, si fieri possit, ab ipsis Regularibus electi; & ut sint Ecclesiasticæ personæ, una, vel plures.

6. *Conservatores Fratrum Minorum.*

Nota quintò: Quòd pro nobis Minoribus datus sit Conservator sub nomine Syndici, seu Executoris Bullarum à Sixto IV. per Bullam, *Regimini*. Et sub nomine Expresso *Conservatoris* à Leone X. per Bullam, *Dum intra mentis*.

7. *Potestas Conservatorum Generalis.*

Nota sextò: Quòd isti Conservatores vigore Bullarum diversarum, primò: sint Judices Ordinarij Regularium: ita Greg: XIII. in sua Conservatoria, pro Jesuitis, incipit: *Æquum reputantes*. Secundò: quòd possint defendere nos Regulares, non tantùm à manifestis injurijs, illatis nobis ab hominibus cujuscunque gradus; ùt patet ex Sixti IV. Bulla, *Regimini, &c.* etiam per Censuras, aliasque pœnas procedendo contra eos, ùt habet Bulla Julij II. *Militantis Ecclesiæ*: sed etiam ab his, quæ probabiliter creduntur inferendæ, tam à Laicis, quàm Clericis, ita Molina, Azorius, &c. Tertiò: quòd possint agnoscere de omnibus causis; de manifestis quidem, in quibus testes haberi possunt, per modum accusationis, vel denuntiationis: in occultis verò per modum inquisitionis possunt procedere contra omnes reos, à quibus Regulares injurias acceperunt. Ita habent Conservatoriæ, Eug: IV. Julij II. Gregor: XIII. &c.

8. *In quibus dam habent limitatam authoritatem.*

Nota tamen septimò: Quòd isti Conservatores non possint per judiciariam indaginem, seu inquisitionem procedere v. g. si delicti contra Regulares patrati ignoretur author, non possunt cogere testes per incarcerationem, vel torturam, sed tantùm per amicabilem inquisitionem, & veritatis investigationem. Ita Conservatoria dictorum Pontificum.

9. *Ampla potestas Conservatorū circa criminalia, Civilia, & Mixta.*

Nota octavò: Quòd nostri Conservatores possint etiam cognoscere de causis criminalibus, civilibus, & mixtis, in summa de omnibus, per quæ læduntur Privilegia, & Jura Regularium: Ita Julius II. in Bulla, *Militantis*; & Conservatoria Gregor: XIII. incipit, *Æquum*; quòd verùm est, sive Regulares sint rei, sive actores, ùt declarat Conservatoria Clem: VIII. incipit, *Conquestionem*.

10. *Item circa alia.*

Nota nonò: Quòd Conservatores possint citare reum per Edictum; ubi tutus non patet accessus ad personaliter citandum. Ita Clemens citatus.

11. *Extra Diœcesin nil possunt operari.*

Nota decimò: Quòd Conservatores extra Civitates, & Diœceses suas existentes, non possint Conservatoris Officium exercere, poterunt tamen hoc alteri delegare; ùt habent Moneta, Chokier, &c.

12. *Authoritas Conservatorum etiā in ipsos etiā Ordinarios.*

Nota undecimò: Quòd Conservatores per Censuram possint cohibere etiam Ordinarium loci, exercentem jurisdictionem suam in Regulares, per cap. *Si Judex de Sententia Excommunicationis* in 6. Et Chokier dicit p. 1. q. 39. quòd Ordinarij exercentes jurisdictionem suam in Exemptos, incurrant excommunicationem Bullæ Cænæ, contra scienter usurpantes, & turbantes jurisdictionem S. Romanæ Ecclesiæ.

13. *Conserva-*

Nota duodecimò: Quòd Conservator ad executioni mandandas suas sententias,

...res possunt ...ati brachio ...eculari

tias, possit brachium auxilij sæcularis implorare, seu familiam potestatis, seu Episcopi petere; ut habet Julius II. in Bulla, *Militantis. &c.* Et Judex sæcularis tenetur suum brachium dare, ut docet Innocentius, & Glossa in c. 1. *de Officio Ordin:* & DD. communiter.

14. *Et plura in ...*

Unde sequitur: Quód Conservatores possint delinquentes incarcerare in proprijs, vel alienis carceribus, ad carceres damnare, cum habeant facultatem, quasi Ordinariam; ut docet Chokier, de Conservat: Ecclesf: q. 97.

...specie facere licitè.

De Conservatione Privilegiorum, Regularium, vide plura apud Monetam, & nostrum Brugnoli, Peyrinum, Barbosam, &c.

Omnia dicta subjicio correctioni S. Matris Ecclesiæ.

Eeee TRA-

TRACTATUS
DE
CENSURIS, ALIJSQVE POENIS, ET IRREGULARITATE.

PRÆFATIO.

SAncta Mater Ecclesia providam circa Filios suos suggerens curam salutis, eos quandoquè salutaribus instruit monitis; quandoque etiam minis, terroribus, ac pœnis, si rebelles sint, ad Divinarum, Humanarumquè observantiam Legum, & salutis semitam compellit, quod ultimum præstare solet, diversas Ecclesiasticas infligendo Censuras: quarum notitia quoniam summoperè necessaria est Confessarijs, selectiorem de eis doctrinam, in hunc Tractatum compendiabo: qui fusiorem hac de re postulat; adeat Bonac: Suar: Tomo 5. Con: Layman, Sayr: Rodriqu: &c.

DISTINCTIO I.
DE CENSURIS IN COMMUNI.

QVÆSTIO I.

De Definitione, Divisione, & Differentijs Censuræ.

1. *Vnde Censura trahat Originem.*

NOTA primò: Hoc vocabulum *Censura* originem trahere à Romanis Censoribus: qui supra mores populi exorbitantes, Censuras, id est, certas pœnas pronunciabant. Ecclesia autem hoc ipsum usurpat pro quibusdam Canonicis pœnis, quibus corrigit depravatos Fidelium mores. Unde.

2. *Definitio Censuræ ist sic.*

DICO primò: Definitur benè Censura ùt sic: *Est pœna spiritualis inflicta ab Ecclesiastica potestate, privans hominem baptizatum usu aliquorum bonorum spiritualium per Ordinem ad salutem.* Est in re communis.

3. *Explicatur Definitio Censuræ.*

Probatur: Quia ritè explicat naturam Censuræ, habetquè omnia requisita ad debitam definitionem. Ly *Pœna.* est genus, reliqua sunt differentialia. Dicitur, *Pœna spiritualis*; quia pertinet ad animam spiritualem,

tualem, & ut differat Censura à pœnis corporalibus. Dicitur, *inflicta ab Ecclesiastica potestate*; per quod indigitatur efficiens causa Censuræ. Dicitur, *privans hominem baptizatum*; per quod monstratur subjectum capax Censuræ: Dicitur, *usu aliquorum spiritualium*; ùt ostendatur particularis effectus Censuræ, privat enim usu Sacramentorum, participatione suffragiorum, exercitiò Officiorum Ecclesiasticorum, &c. Et ponitur signanter, *aliquorum*; quia Censura non privat virtutibus infusis, nec actibus virtutum, qui bona spiritualia sunt. Et additur tandem, *per ordinem ad salutem*; quibus verbis exprimitur finis Censuræ, ut nimirum errans recedat vel à contumacia, vel à peccatis: unde colligitur omnem Censuram debere esse pœnam medicinalem, & non perpetuam.

Circa Divisionem, & species Censuræ ùt sic.

4. *Tres tantùm sunt propriè dictæ Censuræ.*

DICO secundò: Censuræ propriè dictæ sunt tantùm tres, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum. Ita Navarr: c. 27. disp: 1. sect: 3. Herincx, Brugnoli, & communior Canonist: contra Sotum, & alios DD.

Probatur: Ex Innoc: III. in *C. Quærenti, de Significat: Verbor.* ubi præfatas tres tantùm Ecclesiasticæ Censuræ species assignat: *Quærenti*, inquit ipse Papa, *quid per Censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, cùm ejusmodi Clausulam in literis nostris apponimus; respondemus, quòd per eam, non solùm Interdicti; sed suspensionis, & Excommunicationis sententia valeat intelligi*: ergò.

5. *Cessatio à Divinis non est Censura.*

Ex his infertur contra Sotum: Cessationem nequaquam esse Censuram; ùt habet Brugnoli, Filliucius, & communis DD. Et ratio ulterior est; quia cessatio hujusmodi non imponitur ad tollendam contumaciam; sed ad propulsandam injuriam factam Ecclesiæ: & ideò dicitur in Clement: cap. 1. *de Sententia Excommunicationis*; lumen unicum ad repellendas injurias Ecclesiæ factas.

6. *Nec Irregularitas, nec depositio nec degradatio.*

Infertur secundò: Neque Irregularitatem, Depositionem, & Degradationem esse Censuras Ecclesiasticas; ùt habet Navarr: Brugnoli; & alij DD. Ratio pro Depositione, & Degradatione est; quia hæc non imponuntur, ut recedatur à contumacia; quòd tamen debet facere Censura. Secundò, specialis etiam est ratio pro Irregularitate, quia non omnis Irregularitas est pœnalis, sicut debent esse Censuræ. Et licèt aliquæ Irregularitates pœnales sint, non tamen sunt medicinales, id est impositæ, ut redeat delinquens ad pœnitentiam.

7. *Quæ sit Censura lata ab homine, & à Iure.*

NOTA secundò: Quamlibet ex his tribus Censuris dividi in *Censuram latam à Iure, & latam ab homine*. Prima dicitur talis, quæ lata est à SS. Canonibus, & Statutis Ecclesiæ stabilibus. Secunda, quæ à Judice Ecclesiastico infligitur per sententiam. Ita Brugnoli, & communis DD.

8. *Quid generalis, & specialis?*

NOTA tertiò: Quòd Censura ab homine lata rursùm partiatur in *Generalem*, & *Specialem*. *Generalis* est; quæ infligitur per sententiam generalem pro culpis futuris, talis est quæ fertur contra omnes Hæreticos. *Specialis*, quæ ob contumaciam nominatim infligitur, per sententiam specialem v.g. contra Platonem. Ita Navarr: Brugnoli, Bonacin: &c.

9. *Quid lata, & ferenda sententia?*

NOTA quartò: Quamlibet Censuram ex dictis tribus, rursus subdividi in Censuram *Latæ sententiæ*, *& ferendæ sententiæ*. *Latæ sententiæ* est; quæ incurritur cum delicti patratione, sine aliqua Judicis sententia; talis est in cap. *Si quis suadente*; de percussione Clerici, & de tali dicitur cap. *Pastoralis*; quòd *Excommunicatio* Latæ sententiæ *executionem secum trahat*. *Ferendæ sententiæ* est; quæ non ipsô factô infligitur, sed eget Judicis declaratione. Ita Bonacin: Brug:

10. *Signa dignoscendi latæ sententiæ Censuram.*

NOTA quintò: Pro regula generali, Censuram *latæ sententiæ*, esse primò; si feratur verbis præsentis temporis modi indicativi, ùt si dicatur: *Excommunicamus, anathematizamus, suspendimus qui hoc fecerit, innodamus, &c.* constat ex cap. *Excommunicamus* 1. & 2. *de Hæreticis*. Secundò; quando fertur per verba præteriti temporis, ùt *Excommunicavimus, excommunicatus est, suspensus est, &c.* constat ex Clementina, *de Decimis*. Tertiò: dum similes voces apponuntur, *ipsô factô, ipso iure, illicò, mox, protinùs*, & aliæ æquivalentes. Ita Brugnoli Tract: 22. c. 1. Quartò; quando ad præteritum perfectum infinitivi modi additur antecedens verbum præsentis, vel præteriti temporis, v.g. si dicatur: *Noveris te esse excommunicatum, suspensum, declaro hunc esse excommunicatum*; & similia. Ita pariter DD. Quintò; quando Censura fertur per verbum imperativi modi, temporis præsentis, v.g. si dicatur: *Qui hoc fecerit, incidat in Excommunicationem, Suspensionem, &c.* Ita Bonac: *de Cens.* disp. 1. q. 1. & plures alij Doctores, signanter Brug: noster.

11. *Signa ferendæ Censuræ.*

NOTA sextò: *Ferendæ sententiæ* fore Censuram: si vel verba sint futuri temporis v.g. si dicatur, *Excommunicabitur, Excommunicabimus eum, &c.* vel si sint Comminatoria verba, v.g. *Præcipimus sub pœna Excommuni-*

municationis, sub Anathemate, &c. Ita, cit. DD.

12. *In dubio Censura, quid faciendum?*

NOTA septimò: Si dubia sit Censura, an sit latæ, vel ferendæ sententiæ: censeri potest, esse tantùm ferendæ. Ita Azorius, Sayrus, Suarez, &c. DD. Ratio est; quia Odia restringenda, & in meliorem partem interpretanda, per Regulam 15. & 40. Juris in 6.

13. *Ponuntur Differentia Censurarũ.*

NOTA tandem octavò: Differentiam Censurarum inter se; ab alijs pœnis Canonicis, & a Irregularitate. Primò enim omnes tres Censuræ generaliter differant à pœnis Canonicis, depositionis, degradationis, infamiæ: quòd Censuræ sint medicineles pœnæ, impositæ ut recedatur à contumacia: non sic aliæ pœnæ Canonicæ. Ab Irregularitate verò; quia multæ Irregularitates nullum supponunt peccatum; neque tolluntur per absolutionem sicut Censuræ; sed tantùm per dispensationem.

Inter se autem differunt tres Censuræ species ex effectu; nam Excommunicatio privat omnibus Sacramentis activè, & passivè: Suspensio autem tantùm activè, & interdictum tantùm aliquibus Sacramentis. Suspensio differt ab interdicto, in subjecto: quod ipsa possit ferri in solum Clericum, interdictum verò in Clericum, & Laicum: Et in effectu; quòd suspensio privet tantùm activà susceptione Sacramentorum: Interdictum etiam passivà privare possit.

QVÆSTIO II.

An, & quis habeat potestatem ferendi Censuras?

1. *Est authoritas in Ecclesia pro fulminandis Censuris.*

DICO primò: In Ecclesia residet authoritas ferendi Censuras Ecclesiasticas. Ita Catholici omnes, contra Lutheranos, aliosquè Hæreticos.

Probatur: Ex Concil: Constan: Sess: 8. hoc definiente. Secundò: ex perpetuo usu Ecclesiæ, Summ: Pontif: & Concil: Generalium. Tertiò: ex facto D. Pauli qui 1. ad Corinth: 5. excommunicat incestuosum. Quartò: ex cap. *ab Ecclesiarum, de Officio Ordinarij.*

Probatur deinde ex Scriptura: quæ Apostolis eorumquè Successoribus dat generalem facultatem corrigendi, adeoquè etiam per Censuras emendandi Fideles, nam dicitur Matth: 18. *Quæcunque alligaveritis super terram erunt ligata & in Cœlis:* ergo, &c.

2. *Specificantur Personæ potentes Censurare.*

DICO secundò: Potestas ordinaria ferendi Censuras, primario residet in Summo Pontifice respectu omnium Christianorum: deinde in Episcopis, Archi-Episcopis, Patriarchis, & Prælatis omnibus, etiam Ordinum, ordinariam jurisdictionem habentibus, respectivè ad suos subditos. Ita Herinex, Brugnoli, Bonacin: Filliuc: & communis Canonistarum.

Probatur de *Papa*; quia ipse habet solus supremam jurisdictionem in Christianos; uti patet ex illo Matth: 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, &c.*

Probatur de *Episcopis, Archi-Episcopis, & Patriarchis*: Quia hujusmodi facultas ipsis est necessaria ad munus Pastoris ritè obeundum: & quia habent altam jurisdictionem in suos: ergo, &c.

Probatur de *alijs Prælatis*: Ex diversis Capitibus Juris Canonici, Statutis Ordinum, & Congregationum, hoc eis in specie concedentibus; cùm verà, Ordinaria, & eminenti in suos gaudeant jurisdictione.

3. *Parochi nequeunt Censuras infligere.*

NOTA: Parochos, & similes, ordinariè non posse ferre Censuras; ùt habet Scotus in 4. dist: 19. quæst. unica, & DD. nisi in casibus à Jure eis concessis. Ratio est; quia periculum esset, quòd cum nimia pronitate, & frequentia hic gladius exímeretur, rarò alias eximendus; & quem D. Paulus legitur ter tantùm extraxisse.

4. *Nec Laicus*

DICO tertiò: Laicus nequit ferre Censuras, unde ad minùs debet ferens Censuras esse tonsuratus primâ tonsurâ: neque Fœmina potest. Ita S. Thomas, Brug: Navarrus, Covarr: & alij DD.

Probatur prima pars: Ex cap. *Decernimus, de Iudicijs.* Et quia Censuræ aliàs spectant ad Spiritualem Clavium potestatem: ergo, &c.

5. *Nec Fœmina.*

Probatur secunda pars: Ex cap. *Monialibus, de Sententia Excommunicationis.* Et cap. *Dilecta, de Major Obed.* ubi dicitur, quòd Abbatissa non possit suas Moniales excommunicare: ergo, &c. Non est tamen incapax ad hoc Jure Divino, sed humano; ùt habet Suarez, Palud: Hugolinus, &c.

6. *Potestas Censurandi potest delegari omnibus Clericis.*

DICO quartò: Potestas infligendi Censuras, potest ab Ordinarijs delegari quibusvis Clericis alijs, exceptis, conjugatis. Est communis Canonist:

Probatur prima pars: Per cap. *Præterea, de Officio delegati*; Et quia quivis Clericus tonsuratus est capax jurisdictionis spiritualis: ergo, &c.

Pro-

7. *Exceptio communitatis.*

Probatur secunda pars: Per cap. *Indicatum est*, dist: 89. Et quia talibus non convenit Ecclesiastica negotia committere; ut docent DD. passim.

QVÆSTIO III.

In quos Censura ferri possit, & propter quas Causas?

1. *Subjectum capax Censura quod?*

DICO primò: In solos baptizatos, viatores, doli, & rationis capaces, & subditos ferri possunt Censuræ. Est Conink, Nav: Herincx, &c.

Probatur *de Baptizatis*: Ex cap. *Gaudemus, de Divortijs*, Et cap. *de Iudæis*. Et Paolus dicit 1. ad Corinth: 5. *Quid mihi de ijs, qui foris sunt judicare?* ergo non baptizati non possunt Censurari.

Probatur *de Viatoribus*: Quia *mortuorum causa*, ioquit Leo I. *ad Rustic*: Epistolâ 90. *DEI judicio reservanda est*. Et ratio est; quia hi non possunt recedere à contumacia. Unde quando mortui quandoque leguntur Excommunicati fuisse post mortem, hoc intelligendum est, quo ad declarationem tantùm, quâ significatur, eos in Excommunicatione mortuos fuisse, vel dicendum est, quòd Excommunicati fuerint impropriè, id est execrati, propter enorme crimen, ad terrorem populi, quô pactô intelligitur factum Innoc: I. Papæ excommunicantis, Arsacium post mortem, in Epist: ad *Arcadium Imperatorem*.

Probatur *de doli & rationis capacibus*: Quia in non capacibus doli, & rationis, v.g. amentibus, pueris, furiosis, &c. cessat finis Censuræ, cùm à contumacia non dicantur recedere, quà tales: ergo, &c.

Probatur *de Subditis*; Quia jurisdictio, & subjectio sunt correlativa: si ergo necessaria est in eo, qoi Censuram imponere debet jurisdictio, etiam erit subjectio requisita in patiente illam: adeoquè solus subditus corrigi potest Censurâ.

2. *Summus Pontifex nequit Censuris ligari.*

Ex dictis Infertur: Papam non esse capacem Censuræ. Ratio est; quia non habet Superiorem in terris; cùm cunctis Superior sit, cap. *Cuncta per mundum 9. qu. 3.*

3. *Benè tamen alij omnes Prælati Ecclesiæ.*

Infertur secundò: Cardinales, Patriarchas, Episcopos, & Archi-Episcopos, posse à Jure, & ab homine excommunicari; ut habetur etiam *c. unic. de Schismat*: Lib. 6. Et Clem: a. Ratio est; quia sunt subditi Papæ: adeoquè ab eo possunt censurari.

4. *Universitates Collegia, Conventus, & Capitula non possunt excommunicari.*

DICO secundò: Universitates, Collegia, Capitula, & Conventus collectivè sumpti, non possunt Censura Excommunicationis castigari: benè tamen suspendi, & interdici. Ita Alensi: 4. part: *Summa* q. 22. memb: 1. S. Bonav: 4. d. 18. part: Sayr: Brugnoli, & communior.

Probatur prima pars: Ex cap. *Romana, de Sent: Excomm*. Lib. 6. ubi Innoc: IV. dicit: *In Universitatem, vel Collegium proferri Excommunicationis sententiam penitùs prohibemus, volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cùm nonnunquam contingeret innocuos hujusmodi sententia irretiri; sed in illos duntaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur.*

5. *Benè tamen suspendi, & interdici.*

Probatur secundò ratione: Excommunicatio infligitur ob peccatum, quod consistit in actu personali; unde non est actus Universitatis, vel Collegij: ergo, &c.

Probatur secunda pars: Suspensio, & Interdictum, non sunt pœnæ adeò graves, quandoquidem non privant suffragijs, & auxilijs Ecclesiæ: ergo non est inconveniens etiam innocentes his ligari, ob rationabiles causas: ut habet Rodriqu: 1. part: c. 78. Hugol: tab: 2. Sayr: Lib. 1. cap. 8. n. 2.

6. *Censura debet supponere causam peccati.*

DICO tertiò: Omnis Censura ut justè feratur, debet habere causam peccati in subdito. Est communis apud Bonac: Suar: disp. 4. sect. 1. Brug: Tract: 22. c. 3.

Probatur: Censura est pœna: ergo debet supponere culpam, seu peccatum. Insuper est medicina: ergo debet supponere morbum peccati: & quidem rationabilem; ut habetur cap. *Sacro, de Sententia Excommunicationis*: ergo, &c.

7. *Et quidem si gravis sit mortale.*

DICO quartò: Censura gravis v. g. Excommunicatio major, justè non potest ferri, nisi ob peccatum mortale. Est Cajetan: in *Summa*: versu, *Præcepti transgressio*; Pallud: Covarr: Brugnoli, &c.

Probatur: Ex cap: *Nemo Episcop.* Et cap. *Nullus* 11, qu. 3. & Trid: Sess: 25. c. 3. *de Reform*: Et ratio est; quia pœna debet esse commensurata culpæ, ex cap. *Felix, de Pœnis* in 6. ubi dicitur: *Iudex mitictur pœnam ex culpa*: ergo, &c.

8. *Quod debet esse completum.*

DICO quintò: Hujusmodi peccatum debet in genere suo esse completum. Ita Brugn: Tract: 22. c. 3. Navarr: *de Pœnis*: dist: 1.

Probatur: Quia in pœnis benignior interpretatio est adhibenda: ergò. Ex quo plures resolvunt Casus DD. quos hic consultò omitto, sufficit enim indigitare regulam generalem.

9. Et ob quodlibet indifferenter.

DICO sextò: Caotè infligenda est Censura: unde nuu pro quolibet mortali debet ferri. Ita Abbas, Avila, Sayrus, Brugnoli, &c.

Probator: Qoia ita ordinat Trid: Sess: 25. c. 3. *de Reform.* ubi mouet hunc gladium, & nervum disciplinæ Ecclesiasticæ sobriè, & magnâ circumspectioue exercendum. Idem facit Concil: Meldense: ergo, &c.

10. Quandoque Censura gravis debet præmitti Canonica admonitio, quandoque non.

DICO septimù: Censura gravis, ab homine non debet iufligi, nisi præcedeute commiuatioue, & monitione Canonicâ: nou item, quando à Jure iufligitur Censura. Ita Navar: c. 27. Laym. Sayr: Lib. 1. c. 12. &c.

Probatur prima pars: Ex illo ad Titum tom: 3. *Hæreticum hominem, post unam, & secundam correptionem devita*, habeturquè in cap. *Sacro de Sent. Excommun*; & cap. *Romana*. eodem tit: in 6.

Probatur secundò ratione: Ceosuræ feruntur in coutumaces: sed nemo censetur contumax, nisi qui præcedeute admonitione, & comminatione Censuræ renuit obedire: ergo, &c.

11. Canonica admonitio debet esse trina, vel æquivalens.

NOTA autem: Monitiooem Cauonicam ex Jure Canonico c. *Constitutionem, de Sentent. Excomm.* in 6. debere esse trinam, interposito aliquo notabili intervallo, debetquè dirigi ad reum persoualiter. Sufficit tamen etiam una pro tribos, si mora aliàs tribus assignata interponatur, per *L. Contumacia, ff. de re judicata*; nisi sit periculum in mora, quu stante, statim Judex exordiri potest rem, & comminari Excommunicationem, imò eam proferre. Ita Layman, Tract. 5. part: 1. c. 5. & alij DD.

Probatur secuoda pars: Ex cap. *Reprehensibilis, de Appellat:* Et quia talis Censura ceusetur semper loqui, & admonere.

12. Censura præsupponit contumaciam.

DICO octavò: Ut justè feratur pro peccatu præterito, aut præsente, debet in delinquente esse contumacia, seu inobedieotia. Ita DD. Heoriq: Lib. 13. c. 17. Navar: & Sotus lect: 3. *de Excommun.*

Probatur: Ex illo Matth: 18. *Si Ecclesiam non audierit*, id est si obediens non fuerit, *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, id est, taoquam nou sit intra gremium Ecclesiæ, quod licèt de Censura Excommunicationis dicatur; tamen de alijs est eadem ratio: ergo, &c.

13. Non item semper formalem contemptum.

NOTA: Nou requiri directum contemptum, vel coutumaciam formalem; sed sufficere generalem, & interpretativam ex præsumptioue; ùt habet Avila, Layman, &c. Et desumitur, ex cap. *Venerabilibus, de Sentent: Excommunicat:* Et debet esse gravis, ex cap. 2. *de Major. & Obedient.*

QVÆSTIO IV.

Varia circa Censuras resolvuntur.

1. Censura valida ferri debet signo exteriori.

DICO primò: Ut iucurratur Censura debet ferri a Judice per signa externa. Ita Navar: c. 27. Sylv: Verbo *Excommunicatio* 1. Sayrus Lib. 1. c. 2.

Probatur: Quàm dio Censura non exprimitur per signa externa, ignoratur: qoæ autem ignoratur, non incurritur: ergo, &c.

2. Non extat pro Censuris ferendis determinata forma.

DICO secundò: Nou requiritur aliqua determinata formola verbalis ad ferendam Censuram: sed sufficit quisque verborum contextos, vel Scriptora, declarativa mentis Censurautis. Ita Hugol: Tab: 1. c. 20. & alij, ab eo relati.

Probatur: Quia nullum Jus proponit Authori Censoræ aliquam determinatam formulam: ergu, &c.

3. Qualia debeant esse verba Censoris.

NOTA tamen: Verba Censoris, debere esse determinata, & directa clarè ad aliquod Individuum, quod castigatur Ceusurà: Quia verba Censuræ sunt practica, id est efficiunt id, quod significant: ergu debeut cadere super Individuum determinatum, ut efficiaut practicè, quod significant. Consequeotia tenet; effectus enim non fit, nisi in subjecto determinatu.

4. Extinguuntur Censuræ per suspensionem ferentis.

DICO tertiò: Si Jodex post inflictam Ceusuram privetur jurisdictione, & usu sui muneris; etsi restitutus sit deiode, extiugvuntur statim Censuræ, ab ipsu latæ. Ita Filliuc: Tract: 1. c. 3. Sayrus Lib. 3. c. 1. &c.

Probatur: Qoia extiucta authoritate, extinguitur sententia pendens à futura conditione, maximè si sit odiosa, & rigidè iuterpretauda: sed Censura in casu Conclusionis depeudet à futura conditioue: ergo, &c.

5. Non verò per mortem ejus naturalem.

NOTA autem: Si fereos moriatur naturaliter nou extinguitur; ita habetur cap: *Si Episcopus* 11, qu: 3. Et ratio est; quia transit Ceusura in rem judicatam.

6. Adducuntur solemnitates accidentales Censura ferenda.

NOTA deinde; Solemuitates accidentales, concomitantes Censuram ab homine latam. *Prima* est; ut in scriptis eam Judex proferat; ita ut reo constet de modu, & causa Ceosuræ. *Secunda* est; ut contineat

neat cauſam, propter quam fertur, quæ debet eſſe rationabilis, & manifeſta. *Tertia*, ut Judex parti petenti tradat illius exemplar, ſi intra Menſem fuerit requiſitus. *Quarta*; Cenſura non debet ferri die feriato, cum ad eam requiratur præcognitio cauſæ, quæ die feriato debitè haberi nequit. Ita Canoniſtæ communiter. *Quinta*; debet Cenſura lata denunciari; ùt habet cap. *Iure* 11. q. 3. niſi feratur contra personas indeterminatas.

7. *Quis finis Cenſuræ Eccleſiaſtica?*

DICO quartò: Finis Cenſuræ proximus, & intrinſecus eſt, privare Cenſuratum aliquibus bonis ſpiritualibus. Extrinſecus, & remotus eſt, fructus ille quem Author Cenſuræ intendit. Ita Filliuc: Tract: 1. *de Cenſur:* c. 7. Brugnoli Tract: 22. c. 6.

Probatur: Quia nil congruentius aſſignari poteſt pro utroque fine: ergo, &c.

8. *Invalida eſt Cenſura lata ſinè juriſdictione.*

DICO quintò: Cenſura eſt invalida, & nulla, ſi ſit lata à non habente juriſdictionem. Ita Paluds diſt: 18. quæſt: 1. Navar: cap. *Cum contingat, de Reſcriptis.*

Probatur: Ex cap. *Nullus. de Parochijs.* Et cap. *fin. de Prabend. & dignit.*

Ex quibus Infertur: Epiſcopos ſinè Sedis Apoſtolicæ licentia ferentes Cenſuras in Exemptos, cujuſmodi ſunt Religioſi, nihil operari; ùt habet Sayr: Lib. 1. c. 6. & alij: & patet ex cap. 1. *de Verbor. Significat.* in 6. Et alibi.

9. *Et continens errorem, impoſſibile quid, vel turpe.*

DICO ſextò: Cenſura eſt invalida, ſi in ea exprimatur error intolerabilis, vel aliquid impoſſibile, vel turpe. Eſt communis ſententia AA.

Probatur: De primo, ſi quis v. g. dicat, *Excommunico te, niſi pro tali hæretico celebraveris*: talis Excommunicatio eſt nulla; ùt habetur in cap. *Sicut, qui præeſt*, ſed eſt eadem ratio de alijs Cenſuris: ergo, &c.

Probatur de reliquis: Argum: cap. *ult. de Sectis*, Et cap. *ult. de Conditionibus appoſitis.*

10. *Item lata in non baptizatum.*

NOTA etiam: Invalidam eſſe Cenſuram, ſi lata ſit ſinè cauſa vera, in ſubjectum non baptizatum, doli incapax, &c. ut *priori quæſtione* reſolvi.

11. *Cenſuratus invalidè, poteſt Divina peragere.*

DICO ſeptimò: Quando invalida eſt Cenſura inflicta, poteſt innocens, privatim tamen, & ſecluſò ſcandalò, celebrare, & cum alijs participare ſinè periculo Irregularitatis. Ita Adrian: Quodl: quæſt: 1. art. 1. Cajetan: 22. qu. 70. art. 4. Sotus, &c.

Probatur: Quia irregularitas tantùm incurritur, quando reverà violatur Cenſura: in dicto caſu non violatur Cenſura, cùm ſit invalida: ergo, &c. Tenetur tamen ad evitandum ſcandalum, ne videatur Eccleſiæ Cenſuram contemnere, illam in publico ſervare, utì habet Covarr: in cap. *Alma Mater.* part: 1. §. 7. &c.

12. *Iurisdictione non privatur, nec inhabilitatur ad munia Eccleſiaſtica.*

NOTA etiam: Hujuſmodi innocentem non privari juriſdictione in foro conſcientiæ, nec reddi inhabilem, ad beneficia, dignitates, & alios honores Eccleſiaſticos. Ratio eſt; quia reverà formaliter non eſt cenſuratus.

13. *Ab incurſu Cenſuræ excuſat impotentia, & metus gravis.*

DICO octavò: Moralis impotentia faciendi, quod mandatur in Cenſura, ſicut & metus gravis, excuſat ab incurſu Cenſuræ. Ita Scotus diſt: 22. de Graſſijs, &c.

Probatur: Quia impoſſibilitas, & metus cadens in conſtantem virum, excuſat à tranſgreſſione, & contumacia: ergo & à Cenſura.

14. *Item ignorantia invincibilis.*

DICO nonò: Ignorantia invincibilis; tam Juris, quàm facti, excuſat à Cenſuræ incurſu. Ita Covarr: in cap. *Alma Mater.* 1. part. §. 10. Bonac: Brug: &c.

Probatur: Ex lege 2. *de Conſtitut.* in 6. Deinde ignorantia excuſat à peccato: ergo & à Cenſura, ſeu pœna peccati.

15. *Non autem affectata.*

NOTA tamen: Ignorantiam affectatam, & craſſam, non excuſare. Ratio eſt de prima; quia hæc æquivalet ſcientiæ. Ita Gloſſa in cap. *Eos, qui, de temp. ordin.* in 6. Ratio pro ſecunda petitur, ex cap. 2. *de Conſtit* in 6. ubi dicitur: excuſari ignorantes Statuta Ordinariorum; niſi ignorantia fuerit craſſa vel ſupina, quòd DD. etiam de Cenſuris exponunt; ut habetur apud Sayr: Lib. 1. c. 18. Suarez, diſp: 4. ſect: 10 &c.

16. *Etiam excuſat appellatio, ſi fuit ferenda ſententia.*

DICO decimò: Appellatio excuſat ab incurſu Cenſuræ, latæ ſub conditione, v. g. Excommunico te, niſi intra menſem compareas: ſecus dicendum, ſi ſit lata abſolutè.

Probatur prima pars: Ex cap. *Præterea* 1. *de Appellationibus.* Et eſt ratio; quia per appellationem cauſa devolvitur ad alium Judicem, & ſuſpenditur juriſdictio prioris ferentis Cenſuram: ergo, &c.

17. *Secùs, ſi fuit lata ſententia.*

Probatur ſecunda pars: Cenſura lata abſolutè ſtatim ſortitur ſuum effectum, & mandatur executioni: non datur autem appellatio à ſententia mandata executioni, ex cap. *Paſtoralis*, ubi eſt ſermo de Excommunicatione, & cap. *Ad hæc*, ubi eſt ſermo de Interdicto. Et cap. *Is cui*, ubi hoc definitur, de ſuſpenſione: ergo, &c.

QVÆ-

QUÆSTIO V.

De Personis potentibus absolvere à Censuris.

1. Quis sint absolventes Censura reservata, & ab homine lata?

DICO primò: Absolutionem Censuræ reservatæ, & latæ ab homine per sententiam particularem, impertiri possunt soli sequentes: nempe ferens Censuram; Superior ferentis; Successor ferentis; & delegatus legitimè ad talem absolutionem. Ita Brugnoli, Suarez, & Canonistæ communiter.

Probatur *de ferente*: Ex cap. *Verbum* d. 1. *de Pænit.* ubi dicitur: *Par est jus solvendi, & ligandi*: ergo, &c.

Probatur *de Superiore*: Ex cap. *Sacro*, *de Sentent. Excommunicat:* Et est ratio; quia Superior ordinarius, habet ordinariam jurisdictionem Censuram ferendi: ergo & auferendi.

Probatur *de Successore*: Per cap. *Si Episcopus* 11. qu. 3. Et cap. 1. *de Major. & Obedient.*

Probatur *de Delegato*: Quia hic acquirit hujusmodi facultatem absolvendi vi delegationis, & agit Personam Ordinarij: ergo, &c.

2. Unum Episcopus alterius Episcopi innodatum Censurâ, nequit absolvere.

Ex dictis infertur: Episcopos, & alios Superiores non posse jure ordinario absolvere ab Excommunicationibus notorijs Papæ reservatis: nec unum Episcopum, posse alterius Episcopi subditum, Censurâ ab altero vivente innodatum, absolvere: cùm nec sint ferentes ullas excommunicationes, & Censuram subditi alieni, nec Superiores, nec Successores Papæ, aut alterius Episcopi viventis. Unde dicitur Can: 42. Concil: Nicæn: Arabici: *Nullus Episcopus solvat, quem alius Episcopus ligavit, quamdiu ille, qui ligavit vixerit.*

Infertur secundò: Capitulum Sede vacante posse absolvere à Censuris, ab Episcopo demortuo latis. Est enim succedens in jurisdictione Ordinarij. Et habetur clarè cap. 1. *de Major. & Obed.* in 6.

3. Quis tollat Censuram generaliter latam ab homine.

DICO secundò: Absolutionem Censuræ non reservatæ latæ tamen ab homine per generalem sententiam, quivis impertiri potest, qui vel jure ordinariò, vel ex privilegio habet facultatem absolvendi à Censuris, per Jura, & statuta positis. Ita Covarr: p. 1. §. 12. Tolet: Lib. 1. c. 16. Hugol: tab: 1. cap. 3. Layman, Tract. 4. c. 7. &c.

Probatur: Hujusmodi Censura non censetur esse Sententia Judicis, simpliciter ab alio irrescissibilis, sinè violatione jurisdictionis: sed est tantùm mandatum, sub tali pœna ordinatum, ac proinde æquiparatur Censuris Juris, & statuti, sumptô argumentô, ex cap. *Nuper de Sentent. Excommun.* ubi admittitur tantùm duplex Sententia Excommunicationis, Juris, & Judicis, quarum ultima absolvi debet ab ipso judice, prima verò ab omni ordinario, vel Privilegiato, nisi sit reservata auctori Censuræ specialiter in tenore Censuræ: ergo, &c.

4. Quis tollat Censuras nulli reservatas?

DICO tertiò: A Censuris latis per Jura sinè reservatione, absolvere potest quivis jurisdictionem habens absolvendi à mortalibus. Ita Navarr: c. 27. num: 39. Suarez, disp: 7. sect. 3. Avila & communiter.

Probatur: Ex cap. *Nuper, de Sentent. Excommun.* Et ratio est; quia non est limitata Confessariorum facultas, nisi obstent Jura: ergo quando Jura non reservant absolutionem Censuræ, poterit quivis absolvere Censuram.

5. Episcoporū potestas super Censuras.

DICO quartò: Episcopi possunt absolvere ab omnibus casibus, & Censuris Juris; item Antecessorum suorum, & Summ: Pontif: & hoc per se, vel suum delegatum, si tamen casus ille Pontificij sint occulti. Ita Bonc: Barbos: Suarez, Brugnoli, & communis DD.

Probatur, Ex Trid: Sess: 24 cap. 6. *de Reform.* hoc Privilegium Episcopis concedente: In quo etiam succedit Capitulum Sede Vacante.

6. Quid circa Bullam Cœnæ possint Episcopi?

Notant tamen DD. Molin: in *Aphor:* Sanchez in *Summ.* Lib. 2. c. 11. & alij, Episcopos ex prædicto Trident: Privilegio non posse ordinariè absolvere à Casibus, & Censuris Bullæ Cœnæ, & similiter à Censura incursa ob violatam immunitatem Ecclesiasticam; uti declaravit S. Congregatio, Anno 1617. & refert Barbosa *Collect: Constitut. Apostol:* verbo, *absolutio*. Possunt tamen etiam ab his Casibus, & Censuris Bullæ Cœnæ, ac Violatæ Immunitatis absolvere eos, qui Pontificem adire nequeunt, ob pauperiem, infirmitatem, vel si excommunicata persona sit fœmina, impubes, aut laboret simili impedimento, quod prudentis judicio ponderari debet. Ita Navar: c. 27. n. 90. Henriqu: Lib. 6. c. 9. Vasq: Gutier: &c.

7. Qualiter usurpandū Privilegiū absolvendi, abstrahens à foro?

NOTA: Quando alicui conceditur Privilegium, vel authoritas delegata ad absolvendum à Censuris, in quo nil exprimitur determinatè de foro: potest is absolvere in foro conscientiæ interno, ac externo. Ratio est; quia beneficium latissimè est inter-

interpretandum per *L. Beneficium, ff. de Const. Principum*.

8. *Iubilaum valet tantùm pro absolutione à Censuris in foro conscientia.*

Excipe: Nisi ex circumstantiis, & materia subjecta colligi possit clarè, mentem concedentis fuisse pro solo foro conscientiæ, in favorem animæ, qualiter censetur esse, quando in Bullis Jubilæi conceditur Confessarijs absolutio ab omnibus Casibus, etiam enormibus, & Censuris, quod volunt pro foro conscientiæ tantùm valere, ùt habet Covarr: cap. *Alma Mater*, part: 1. §. 11. Avila part: 2. c. 7. Gutier: &c. quia pro enormibus, & publicis casibus videtur Papa velle vindictam publicam, & Reipublicæ satisfactionem in foro externo: Unde qui virtute Jubilæi esset in foro Conscientiæ absolutus ab Excommunicatione majori notoria, adhuc abstinere deberet à Sacris, & alijs, in Excommunicatione illa contentis, ac si absolutus non esset, quousque absolutionis beneficium obtineat, vel usque dum constet publicè de eis legitima absolutione obtenta, secùs dicendum, si Casus illi enormes, & Censuræ annexæ essent occultæ, etiam sublatæ per absolutionem virtute Jubilæi.

9. *Mortis articulus est privilegiatus circa Censuras absolvendas.*

DICO quintò: Quivis Sacerdos simplex, etiam degradatus, excommunicatus, irregularis, & hæreticus in articulo mortis absolvere potest ab omnibus Censuris, & reservatis casibus, si Superior vel alius Confessarius haberi nequeat. Ita Coninck, Sà, Brugnoli, & communis.

Probatur: Ex Tridant: Sess: 14. cap. 2. Conc: Carthag: 3. can: 32. Et rationem dat Trid: quia Ecclesia ferens Censuras neminem propterea eas vult perire in articulo mortis.

NOTA tamen: Si taliter absolutus convalescat; eum posteà debere necessariò se sistere legitimo Superiori, quam primùm commodè poterit: habetur cap. *de Catero, de Sentent. Excommunicat:* non ut iterùm absolvatur; quia verè fuit absolutus in articulo mortis à Censuris, & reservatis; ùt docet Zambranus in Décis: pro *mortis articulo*, c. 4. *de Pœnit*. Barbosa, Ricciulus, &c. sed ut ostendat se obedientem, ad recipiendam debitam medicinam, & ad exhibendam majorem satisfactionem; ùt habet Suarez, *de Pœnit*, disp. 3. sect. 3. Covarr: in cap. *Alma Mater*, part. 1. §. 11. num. 12. alias hoc negligens reincidit in Censuras; ùt declarat Bonif: VIII.

10. *In articulo mortis absolutus à Censuris debet praestare juramentum de præsentando se Superiori.*

NOTA præterea secundò: Quòd à tali pœnitente à Censuris absoluto in articulo mortis, Confessarius ille simplex extorquere debeat, si capax sit pœnitens, juramentum se sistendi, quàm primùm poterit, ratione Censurarum, si convaluerit; constat ex cap. *Eos qui, de Sentent: Excommunicat:* in 6. Et docet Suarez, Tom: 5. disp. 7. sect. 7. Vasqu: Tract: *de Excommunicat*: dub: 18. Brugnoli Tract. 22. c. 10. & alij. Non tamen ratione Casuum præcisè reservatorum, qui nullam Censuram annexam habebant, si hos tantùm sit confessus; ùt habet Conink *de Pœnit:* disp. 8. dub: 2. Henr: Lib. 6. c. 5. &c. quia nullum jus petit talem comparitionem, sicut petit in confitentibus reservata tempore necessitatis, extra mortis articulum, confessario inferiori, ubi non est directa absolutio reservatorum, sicut in articulo mortis.

11. *Qualiter convalescens satisfaciat oneri de comparendo.*

NOTA tertiò: Talem pœnitentem à simplici Sacerdote absolutum à Censuris, in articulo mortis, satisfacere suo oneri ostendendi se, si se sistat Confessario, qui ratione Jobilæi, vel Privilegij potest absolvere extra mortis articulum, ab incursis Censuris; ùt habet Henriqu: Lib. 6. c. 30. Sanchez, & Brugnoli Tract: 22. c. 11. Ratio est; quia potest non uti privilegio primo, quo fuit absolutus à Censuris, propter onus adeundi Superiorem; sed potest recurrere ad Confessarium habentem jurisdictionem super Censuras illas incursas, & ab eo petere absolutionem.

12. *Reg: Privilegia super Censuras.*

Circa Privilegia Regularium, quoad absolutionem à reservatis, & Censuris tam suorum subditorum, quam sæcularium, remitto me ad alibi dicta, Tract: *de Sacramentis*, dist: 11. qu: 9.

QVÆSTIO VI.

De Subjecto, quod absolvitur à Censuris: de Forma absolutionis, & alijs huc pertinentibus.

1. *Invitus potest absolvi à Censuris.*

DICO primò: Invitus potest absolvi à Censuris, ex causa rationabili. Ita Reginaldus in *Praxi Pœnit:* Lib. 9. c. 3. Rodriqu: cap. 83. Suarez, Avila, &c.

Probatur: Invitus potest Censuris corrigi v. g. Excommunicationis: ergo & absolvi à Censura Excommunicationis.

2. *Et Superior incidens in Censuram,*

DICO secundò: Superior incidens in Excommunicationem, potest alteri dare facultatem se absolvendi. Ita Coriol: de

Gggg

de Casibus reservatis ; p. 5. sect. 1. Brogn: Tract: 22. c. 11. & Bonac:

Probatur: Quia cuicunque datur potestas activa, & passiva conceditur; ùt dicunt DD. Et constat ex cap. ultimo *de Pœnit. Remiss:* ergo, &c.

3. *Etiam absens potest absolvi à Censuris.*

DICO tertiò: Potest Censurà percussus absens per litteras absolvi. Ita Brog: Tract: 22. c. 11. Richardus 4. dist. 18. art. 10. Et habet Glossa in cap. *Quanto à nobis*, in verbo, *Epistolam*, 2. q. 5.

Probatur: Res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur: sed per litteras Superioris aliquis potest excommunicari: ùt patet 1. *Corinth.* cap. 5. exemplô Pauli: ergo & absolvi ab hujusmodi Censura.

Est autem notandum: Quòd si Censurâ irretitos moriatur, priosquàm litteræ absolutoriæ veniant ad manus absoluti, non est censendus per eas absolutus; ùt habet eadem Glossa: nisi aliud constet de mente absolventis.

4. *Pluribus Censuris irretitus, ab una sinè alijs potest absolvi.*

DICO quartò: Ligatus pluribus Censuris Excommunicationis, potest extra Sacramentum ab una absolvi, & non ab alijs. Ita D. Thomas 4. d. 18. art. 5. S. Bonav: ibidem, & Bonc: disp. 1. q. 3.

Probatur: Excommunicationes plures non dicunt necessariam inter se connexionem, quemadmodùm peccata in aversione voluntatis à DEO: ergo, &c.

5. *Non tamen ideò gaudet Communione Fidelium.*

NOTA autem: Cùm Palod. 4. d. 18. qu. 5. art. 3. tametsi una Excommunicatio auferatur à Censurato, non proinde restituitor statim Communioni Fidelium, & Sacramentorum participationi, sed tunc demum, quando ab omnibus absolvitur.

6. *Plures Censuræ unicâ absolutione auferuntur.*

DICO quintò; Pro pluribus auferendis Censuris Excommunicationum, sufficit una Judicis absolutio generalis. Ita Sylv: verbo *Absolutio*, 3. n. 1. S. Thomas, Brugnoli, &c.

Probatur: Quia nullo jure cavetur, ut pro qualibet excommunicatione, individualis absolutio pronuntietur: ergo, &c.

7. *An oblitus Censuræ absolvatur ab ea in Confessione, facta habenti potestatem.*

DICO sextò: Qui in Sacramento absolvitur generaliter ab omnibus Censuris, sinè restrictione, per Confessarium habentem debitam facultatem in Censuras, etsi per oblivionem non explicuerit unam Censuram, tamen ab ea est absolotus. Ita Conink *de Pœnitent.* disp. 8. dub: 12. Sanch: in *Summa* Lib. 2. c. 2. Suar: &c.

Probatur: Quia omnia requisita ad debitam absolutionem Censuræ adsunt: est enim Confessarius habens facultatem, pronunciator ab eo generaliter forma, & quidem cum intentione generali auferendi omnes Censuras: ergo manet absolutus Pœnitens ab omni Censura. Excipe, nisi Confessarius in sua Formula generali absolutionis intenderit absolvere præcisè ab auditis Censuris.

8. *In casu oblivionis Censuræ, quid faciendum Pœnitenti?*

Ex Conclusione sequitur: Pœnitentem absolutum à peccato, & oblitâ Censurâ, teneri quidem deinde confiteri peccatum oblitum, quod habuit annexam Censuram, non verò ipsam Censuram aperire; ùt habet Suar: Tom: 2. disp. 7. sect: 1. n. 17. Bonac: Brugnoli, &c. Ratio est; quia à peccato tantùm indirectè, à Censura verò directè censetur absolutus, & Confessio peccatorum jure Divinò debet esse integra; non verò manifestatio Censurarum in omni casu.

9. *Censuræ possunt auferri extra Sacramentum.*

DICO septimò: Extra Sacramentum potest quis absolvi à Censuris, ab habente jurisdictionem ordinariam. Ita Brugnoli, & communis Canonist:

Probator: Nullum extat jus obligans, ut absolutio Censuræ fiat in foro Sacramentali: ergo, &c.

10. *Delegatus ad Censuras, agerè debet secundùm terminos delegationis.*

NOTA: Quòd delegatos absolvens debeat absolvere a Censuris, juxta tenorem suæ delegationis, qui si limitatos sit ad Sacramentum, in solo Sacramento Pœnitentiæ absolvere potest, si sit indefinitus, potest etiam extra Sacramentum absolutionis beneficium impertiri. Ita Brugnoli, Tract: 22. cap 11. Vasqu: dub: 20. num: 9. &c.

11. *Quid de absolutis à Censuris in Jubilæo tenendum, qui Jubilæo non lucrantur?*

DICO octavò: Qui absolvitor à Censuris in Jubilæo, licèt Jubilæum quoad Indulgentias non consequatur ob omissam aliquam conditionem ad Jobilæum requisitam, v. g. Visitationem Ecclesiarum: à Censuris tamen manet verè absolutus. Ita Henriq: Lib. 6. cap. 16. Sà, verbo, *Absolutio*, num: 18. Corduba, Suarez, &c.

Probatur: Quia Confessarius vigore Jobilæi dedit absolutionem non sub conditione, sed absolutam, ùt supponitur: ergo ipsa habuit statim suum effectum circa Censuras, ut maneant absolutæ.

12. *Non est determinata Forma absolvendi à Censuris.*

DICO nonò: Nulla determinata Forma verborum necessaria est, ad tollendas, validè Censuras in Sacramento, sed sufficit forma absolutionis pro peccatis. Ita Scotus 4. d. 14. qu 4. S. Thom: Cajetanus, Hiquæus, &c.

Probatur prima pars: Quia nullum jus formam determinatam aliquam requirit necessariò: ergo,

Pro-

13. *Quare etiā sufficit Forma usitata absolutionis à peccatis.*

Probatur secunda pars: Illa verba sufficiunt pro absolutione à culpis: ergo à fortiori à Censuris. Unde benè notat Bonac: disp. 1. quæst. 1 Culpas, & Censuras simul istis vocibus *te absolvo* posse validè absolvi: In foro tamen Sacramentali servanda est Formula, quæ passim traditur à Canonist: hujus tenoris: *Dominus noster IESVS Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo, in primis ab omni vinculo excommunicationis Majoris, vel Minoris, Suspensionis* (si sit absolvendus Clericus) *& Interdicti, in quantum possum, & indiges: Deinde ego te absolvo à peccatis tuis, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

14. *Quæ Forma absolutionis à Censuris pro foro externo?*

Si absolutio fiat in foro externo ab Excommunicatione servatur hæc: *Ego te absolvo à vinculo Excommunicationis, quam incurristi propter N. & restituo te Sanctis Sacramentis, & Communioni Fidelium, in nomine Patris, &c.* A suspensione verò hæc: *Ego te absolvo à vinculo suspensionis, quam incurristi propter N. & restituo te pristino usui Ordinum, & beneficiorum, in Nomine Patris, &c.* Ab interdicto tantùm hæc: *Ego te absolvo à vinculo Interdicti, in Nomine Patris, &c.*

15. *Nutus, & signa non sufficiunt pro absolutione à Censuris.*

DICO decimò: Absolutio à Censuris non debet ferri solis nutibus, aut signis, sed vel verbis, vel Scripturà. Ita Hostiensis *in Summ.* Lib. 5. tit. *de Sentent. Excommun.* Valent: Tom: 4. d. 7. q. 17. &c.

Probatur: Ex cap. *Si aliquando.* Ex cap. *Cùm desideret*, *de Sentent. Excommunicat.* Et est ratio; quia nutus, & signa, v. g. conversatio Prælati cum innodato Excommunicatione, & similia sunt valdè incerta: ergo, &c.

16. *Ampla potestas Ordinarij & Delegati absoluti super Censuras.*

DICO undecimò: Qui pollet ordinarià facultate absolvendi à Censuris: item Delegatus, qui pollet facultate non limitata, potest validè absolvere à Censuris, licèt reus non satisfecerit parti læsæ, cùm tamen potuisset. Ita Navarr: c. 27. num. 37. Sylv: verbo, *Absolvo*, 3. num. 3. Avila, &c.

Probatur: Ex cap. *Venerabilibus, de Sent. Excommun.* in 6.

Notant tamen DD. citati: Talem absolventem graviter peccare, absolvendo ante realem satisfactionem, quam præstare potest ante.

17. *Aliquando Delegatus invalidè absolvit.*

Notant prætereà: Quòd Delegatus cum limitatione hujusmodi, ut parti læsæ prius satisfiat, si absolvat ante satisfactionem, parti læsæ factam, invalidè absolvat: cùm Privilegium & Jurisdictio limitata non extendatur ultra limites præscriptos: sed valet tantùm, quantùm sonat.

18. *Solemnitates absolutionis à Censuris.*

Circa solemnitatem, & ritum servandum in absolutione in foro externo, adhibendo flagellationem, recitationem Psalmorum, postulationem absolutionis, & satisfactionem, &c. videatur cap. *A nobis, de Sentent. Excommun.* Et cap. 4. *Tuas, de Sententia Excommunicationis.*

DIS-

DISTINCTIO II.

DE EXCOMMUNICATIONE, SUSPENSIONE, ET INTERDICTO.

QVÆSTIO I.

De Definitione, & Divisione Excommunicationis.

1. *Quid nominis Excommunicatio?*

NOTA primò: Cùm in Jure Civili *L. Ea vero, ff. pro Socio*, Communicatio idem sit, quòd Societas, ideò Excommunicatio importabit privationem Societatis, puta Fidelium. Hinc

2. *Definitur Excommunicatio ut sic.*

DICO primò: Rectè definitur Excommunicatio; quòd *sit, pœna spiritualis, inflicta ab Ecclesiastica potestate, privans hominem baptizatum communione Fidelium, per ordinem ad salutem*. Est in re communis.

Probatur: Quia constat genere, & differentia, habetque requisitas conditiones Summulisticas regulatæ definitionis: ergo, &c. Ly *pœna spiritualis*, est genus, in quo Excommunicatio convenit cum suspensione, &c. Per ly *inflicta ab Ecclesiastica potestate* monstratur causa efficiens Excommunicationis; per ly *privans hominem baptizatum*; exprimitur debitū subjectum excommunicationis, quod potest excommunicari, additur ly *Communione Fidelium*; ùt ostendatur effectus Excommunicationis. Ly *per ordinem ad Salutem* ostendit finem Excommunicationis, & dat intelligere, quòd sit castigatio medicinalis.

3. *Quotuplex sit communicatio Fidelium.*

NOTA secundò: Pro pleniori intellectu illius particulæ *privans Communione Fidelium*, secundùm S. Bonavent: in 4. dist: 18. qu: 1. tripliciter Fideles communicare inter se: *Primò* in purè internis rebus, v. g. in gratia, & Charitate, in quibus Fideles inter se, & cum Christo mysticè copulantur, uti insinuat D. Paulus *1. ad Corinth. 12. Secundò*, in purè externis, puta in convictu, colloquio, contractu, alijsque commercijs humanis. *Tertiò* in mixtis, nempè in actionibus externis, & cæremonijs, quæ tamen interiorem fructum ex sua institutione continent, v. g. in usu tam activo, quàm passivo Sacramentorum, Ecclesiæ omnibus suffragijs, Indulgentijs, applicatione satisfactionum Christi, &c. Illa itaque particula definitionis, *privans Communione Fidelium*. non intelligitur de Communione primi modi, sed secundi, & tertij.

4. *Distinctio inter Excommunicationem, & anathema.*

NOTA tertiò: Excommunicationem quandoque idem sonare, quod anathema, ùt videre est in Trident: Sess: 25. cap. 3. *de Reform:* quandoque tamen usurpatur à Sacris Canonibus pro peculiari termino exprimente sententiæ severitatem, in excommunicandis hæreticis, & accidentales quasdam alias solemnitates, ut denunciationem & condemnationem adhibitis Cæremonijs, in aliorum terrorem; v. g. ut Episcopum 12. Sacerdotes circumstent, qui lucernas ardentes in detestationem Excommunicati in terram elidant, ùt habet cap. *debent* 11. q. 3.

5. *Excommunicatio alia major, alia minor.*

DICO secundò: Aptè partitur Excommunicatio ùt sic in Majorem, & Minorem. Ita communis DD.

Probatur: Ex cap. *Si quem* 59. *de Sent: Excomm:* Et est ratio; quia hæ duæ Excommunicationes distingvuntur latæ inter se; ùt patebit.

Est autem Excommunicatio Major illa, quæ privat omnibus Sacramentis Ecclesiæ activè & passivè; Item omnibus suffragijs ejus, convictu Civili cum Fidelibus, & Sepulturâ; unde dicitur simpliciter privare communione Fidelium. Minor verò est, quæ secundùm quid tantùm privat Communione Fidelium, id est, passiva participatione Sacramentorum: constat ex cap. *à nobis*, *de Except*.

6. *Aliæ Divisiones Excommunicationis.*

NOTA quartò: Utramque deinde subdividi, in Excommunicationem *Latæ Sententiæ, & Ferendæ*. Prima ipsò factò incurritur, non sic secunda. Hæ rursus subdividuntur in Excommunicationem datam ab homine per generalem, vel specialem sententiam, & inflictam à Jure. Aliæ divisiones sunt minus considerabiles.

QVÆSTIO II.

Recensentur Effectus Excommunicationis Majoris.

1. *Excommunicatio major privat perceptione Sacramentorum.*

DICO primò: Excommunicatio Major privat primò receptione Sacramentorum. Ita Suar: Herincx, Reding: & alij Canonistæ, & Theologi.

Pro-

Probatur ex cap: *Cùm illorum*. Et Cap. *Si qui etiam*, de *Sent. Excommun.* Et cap. *Apostolica*, & pluribus alijs.

2. *Excommunicatus quamvis illicitè, validè tamen, recipit Sacramentum.*

Nota autem primò: Circa hunc Effectum, quòd licèt existens in Excommunicatione peccet mortaliter, recipiendo aliquod Sacramentum, validè tamen illud suscipiat, quoad subjectum, licèt non semper quoad Effectum generalem, cui obicem ponit. Ita Bonac. disp. 2. qu. 2. p. 2. Navar. cap. 27. n. 36. &c.

Quod etiam verum est de Sacramento, si recipiens ignoret suam Excommunicationem, aut licèt eam sciat, ignoret tamen inculpabiliter, se non posse accedere ad Pœnitentiæ Sacramentum, propter Excommunicationem. Ita Regin: lib. 6. n. 172. Suar: disp. 10. Sect. 3. Valens. &c.

3. *Major Excommunicatio privat administratione Sacramentorum, & celebratione.*

DICO secundò: Excommunicatio Major privat etiam administratione activâ Sacramentorum, & Celebratione. Ita Suar. Red. Herincx Navar. & communis Canon: & Theologor:

Probatur prima pars: Ex cap. *illud* de *Clerico Excommunicato*.

4. *Circa priorem assertionem aliqua notanda.*

Nota secundò: Circa hunc Effectum: quòd in necessitate, & absentia alterius Ministri, Excommunicatus Minister possit administrare Sacramenta.

Extra necessitatem, si Excommunicatus administret, validè quidem administrat, sed non licitè. Excipe Pœnitentiæ Sacramentum, quod invalidè ab Excommunicato administratur extra necessitatem, defectu Jurisdictionis.

Probatur secunda pars: Ex cap. *Latores*. Et cap. *illud*. Et cap. *Fraternitas*, de *Clerico Excommunicato*.

Excusat tamen necessitas communicandi moribundum, gravis morbus, periculum infamiæ. Ita Herincx, Præposit. &c.

5. *Excommunicatio Major privat communibus Ecclesiæ Suffragijs.*

DICO tertiò: Excommunicatio Major privat etiam communibus Ecclesiæ suffragijs, Orationibus, & fructu, resultante ex concessione Indulgentiarum. Ita cir. Scholast: & Canonist: cum S. Gregorio lib. 2. *Dialog.* cap. 23.

Probatur ex cap. *à nobis*, *de Sentent: Excommunic:* Et cap. *Sacris*. Unde dicit S. August. Tract. 27. *super Ioannem* cap. 6. *Nihil sic debet formidare Christianus, quam separari a Corpore Christi, tunc enim non vegetatur Spiritu ejus*: Subintellige per Suffragia Ecclesiæ, Orationes, Indulgentias, &c. ergo, &c.

6. *Quæ censeantur esse communia Ecclesiæ suffragia.*

Nota autem: per communia Ecclesiæ Suffragia hic intelligi ea, quæ à Clero Ecclesiæ nomine, & tanquam ejus Ministris offeruntur pro Fidelibus, ùt sunt Sacrificia Missæ, Officia Divina, Supplicationes publicæ, & similia. Privata tamen Suffragia, opera pia, quivis ùt privatus homo suo nomine, & Christi, licitè potest offerre pro Excommunicatis, ùt docui in Tract. *de Sacrament.* dist. 5. *De Sacrificio Missæ*, qu. 6. & 7. Ita etiam Covar: in Cap. *Alma Mater*, Navar. cap. 27. Sylv. Angelus, &c.

7. *Major Excommunicatio privat frequentatione publicâ Divinorum Officiorum.*

DICO quartò: Excommunicatio Major privat etiam licentiâ frequentandi Divina officia. Ita Red: Herincx, Nav. & communis. Sunt autem Officia Divina, Sacrificium Missæ audiendum, Horæ Canonicæ, Processiones communes, similésque functiones Ecclesiasticæ.

Probatur: per cap. *Alma Mater*; de *Sent: Excommun.* per cap. *nuper*, Et per cap. *significavit*. Quod intelligitur de Excommunicatis, non toleratis: Tolerati enim non prohibentur his interesse.

8. *Quid faciendum celebranti quando Excommunicatus comparet in Missa?*

Nota quintò: Si Excommunicatus non toleratus sit in Ecclesia, debet Sacerdos sistere in Missa, quousque expellatur: qui si expelli nequeat, debet Sacerdos recedere ab Altari, etsi sit in Canone, modo adhuc sit ante Verba Consecrationis, ùt habent DD. Suar. disp. 12. sect. 1. Sylv. verbo *Excommunic.* 5. n. 3. Layman, &c. Quòd si Consecratio esset incepta, vel peracta, Sacerdos usque ad Calicis Sumptionem inclusivè peragere debet Missam, reliqua verò dicere in Sacristia, vel omittere, si talis debitus locus non sit. Ita DD. communiter Henr. Layman, &c.

9. *Excommunicatus tenetur privatim recitare Breviarium.*

Nota sextò: Licèt ad publicam recitationem horarum non possit nec teneatur accedere Excommunicatus non toleratus, ad privatam tamen recitationem tenetur, non debet autem dicere ly *Dominus vobiscum*, cum hoc pertineat ad exercitium Ordinis. Ita Herincx disp. 6. qu. 2. §. 8. Abbas in cap. n. 8. Avila, part. 2. c. 6. disp. 4. &c.

10. *Excommunicatio Major spoliat Iurisdictione.*

DICO quintò: Excommunicatio Major privat similiter exercitio Jurisdictionis: hinc ejus acta sunt invalida. Ita Castro Palao, Red: Herincx, & est communis DD. sensus.

Probatur: Per cap. *audivimus* 24. qu. 1. Et cap. *Si is cui*, *de officio delegati* in 6. Et per cap. 1. de *Officio Vicarij* in 6. Intelligitur autem Conclusio de Excommunicatis non toleratis. Nam acta Excommunicati tolerati post Concil: Constant: v. g. inflicta alteri Excommunicatio ab Excommunicato; item Ecclesiastici beneficij collatio, &c. est valida, ut habet Lessius lib. 2. *de Iustitia* c. 29. Gutierr. &c.

11. *Et validâ beneficij susceptione.*

DICO sextò: Excommunicatio Major arcet Excommunicatum à Susceptione valida beneficij cujusvis. Ita Garcias, part:

Hhhh 7. de

7. de *Benef.* Lessius lib. 2. c. 34. Novar: in cap. *Fratris* dist. 5. de *Pœnit.* & communis.

Probatur ex cap. *postulastis*: Et cap. ultimo de *Clerico Excommunicato.*

12. *Et hoc sive Excommunicatus toleratus sit, sive non.*

Nota septimò: Quòd Conclusio verificetur, tam pro non toleratis, quàm toleratis, ùt habet Her: disp. 6. qu. 2. §. 11. Item pro ignorantibus etiam invincibiliter suam Excommunicationem, ùt habet Covar. Henriq. &c. Et tametsi collatio Beneficij esset facta à Papa motu propriô, nisi sciret Papa Excommunicationem, vel nisi Excommunicatum ad cautelam priùs absolveret, uti fit communiter, his verbis: *Ad effectum præsentium duntaxat consequendum*, ùt habet cit: Her. & alij DD.

13. *Excommunicatus non acit fructus suos ex noviter acquisito beneficio.*

Ex his infertur: Si Excommunicatus obtineat durante Excommunicatione Beneficium, eum non facere fructus beneficij suos, sed teneri ante Sententiam Judicis ad restitutionem, ùt habent communiter DD. Sed quid sentiendum de Fructibus, natis tempore Excommunicationis ex beneficio, quod ante Excommunicationem debitè obtinuit? Respondeo Excommunicatum hujusmodi fructus posse retinere, usque ad Sententiam Judicis. Ità Avila, Con. Sanch. lib 3. *de Matri*: disp. 51. n. 12. &c.

14. *Excommunicatio Major privat forensi communione.*

DICO septimò: Excommunicatio Major removet à Communione forensi. unde nec Judicis, Tabellionis, Advocati vel Testis, munus agere potest Excommunicatus. Ita Reding, Castro Pallao, Herincx, & communis Canonist.

Probatur de *Iudice* per cap. *decernimus*, de *Sent: Excommunic.* in 6. De alijs verò, per cap. *ad probandam*, de *Sent: & re judicata.*

15. *Et politicâ Fidelium.*

DICO octavò: Excommunicatio Major privat similiter omni politicâ Communione Fidelium. Est communis Canonist. Et intelligitur per *Politicam communionem*, omnis humana societas, facta per verba, nutus, litteras, nuntium, munera, per contractus, commercia, cohabitationem, communem mensam, item iter, & convenientia Socialis, non tamen causalis in eadem domo, balneo, &c. Breviter actiones omnes prohibitæ cum Excommunicatis sequenti versu continentur:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Probatur ex cap. 2. *de except.* Et cap. *Nuper*, Et cap. *Excommunicato* 11. qu. 3.

16. *Nemo audet communicare cum excommunicato, nisi ob rationabiles causas.*

Nota. Etiam ipsos Fideles esse prohibitos, sub peccato cum Excommunicatis communicari, in dictis actibus, ùt habetur Cap. *illud DEUS, de Clerico Excommunicato admin:* nisi adsint justæ causæ, quæ sequenti Versu exprimuntur:

Utile, lex, humilis, res ignorata, necessè. Ly *utile*, denotat notabilem utilitatem corporalem, vel spiritualem communicantis, vel Excommunicati, quæ excusat à peccato communicantem cum Excommunicato: ùt habet Layman Tract. 5. p. 2. Ly *Lex*, id est Matrimonialis, ostendit conjuges posse communicare, petere debitum, & alia necessaria secum tractare. ùt habet Cajet: Verbo *Excommunicatio*, c. 81. Sanch. Layman, &c. Ly *Humile* exprimit subjectionem, & permittit, ut liberi, nepotes, avi, & proavi, gener, nurus, pupilli, Minorennes, & famuli possint cum Excommunicato Patre, cognato, affine, tutore, & Domino communicare licitè: ut habet cap. *Quam* 11. qu. 3. Ly *Res ignorata*, monstrat Ignorantiam Juris, & facti, modò crassa non sit, vel affectata, excusare à Culpa, si communicetur. *Necessitas* permittit communicationem omnibus illis, qui ob habitos contractus, cum Excommunicato debent negotiari necessariò; Item ut Excommunicatis pauperibus Eleemosyna detur, hospitiô recipiantur, &c.

17. *Major Excommunicatio privat Ecclesiastico tumulo.*

DICO nonò: Excommunicatio Major privat Sepulturâ Ecclesiasticâ, si Excommunicatus in ea moriatur. Est communis apud Navar. Barbos. & Canonist:

Probatur per cap. *Sacris* de *Sepultur*: Et Clementina 1. eodem Titulo.

18. *Remissio Conc. Constant: circa Excommunicatos Majori Excommunicatione.*

Nota hîc doctrinam particularem: quòd privatio Communionis Fidelium tam in Sacris quàm profanis negotijs non intelligatur de toleratis Excommunicatis, sed de solis non toleratis, & evitandis, vel si sint notorij Clericorum percussores. Nam Anno 1414. in Concil. Constantiensi ad Schisma inter tres Pontifices tollendum, Ecclesiæque pacem restituendam, postea confirmata à Mart. 5. legitimo Papa, edicta est Constitutio, *Ad evitanda*, quam refert Soto, Gutier: Navar. c. 27. n. 36. confirmata à Leone X. in Concil. Later. cujus summa hæc est: Ad evitanda animarum pericula statuit S. Synodus, ut nemo deinceps quemquam ratione alicujus Sententiæ, aut Censuræ Ecclesiasticæ à Jure, vel ab Homine generaliter promulgatæ, in Sacramentorum administratione, receptione, aut ijs quibuscunque rebus divinis, vel externis vitare, aut interdictum observare teneatur, nisi Sententia hujusmodi, &c. Specialiter à Judice publicata, vel denuntiata fuerit, eo excepto, qui ob Sacrilegam manuum injectionem in Clericum, Excommunicationem Canonis notoriè incurrit, &c. Unde vigore hujus Constitutionis nunc in his nostris Septentrionalibus Regionibus evitare

non

non tenemur Hæreticos, alioquin Excommunicatos, modò denuntiati non sint.

QVÆSTIO III.

De Excommunicatione Minori.

1. *Quid sit Excommunicatio Minor.*

DICO primò: benè definitur Excommunicatio Minor: *Est pœna spiritualis, privans excommunicatum passivâ perceptione Sacramentorum, & beneficij Ecclesiastici habendi.* Est in re communis.

Probatur: Quia constat omnibus conditionibus bonæ definitionis. Et deducitur ex cap. *si celebret*, de *Clerico excommunicato ministrante.*

2. *Ob quam causam contrahatur Excommunicatio Minor.*

DICO secundò: Excommunicatio Minor non contrahitur defactò, nisi ob causam participationis in rebus prohibitis, cum Excommunicato Majori denuntiato non tolerato, aut cum notorio percussore Clerici. Ita Canonistæ communiter.

Probatur: Ex cap. *cum Excommunicato* 11. qu. 3. cap. *Nuper* de *Sentent. Excommunicationis.*

3. *Communicare etiam mortuo Excommunicato infert Excommunicationem Minorem.*

NOTA: Quòd hæc Excommunicatio incurratur, sive quis communicet Excommunicato vivo, in Sacris, vel Civilibus, sive mortuo, eum lavando, vestiendo, &c. Quia, cùm non communicemus vivo, nec mortuo debemus communicare, ex cap. *Nobis* 2. de *Sentent. Excommunicationis.*

4. *Excommunicatione cum tolerato non resultat Minor Excommunicatio.*

NOTA secundò: Eam non incurri à communicante cum Excommunicato tolerato, ùt habet Constitutio Concilij Constant: *ad evitanda.* Neque à communicante cum Excommunicato Excommunicatione Minori: cùm nullum Jus hoc doceat.

5. *Effectus Excommunicationis Minoris.*

DICO tertiò: Duos tantùm habet effectus Excommunicatio Minor, videlicet privationem perceptionis Sacramentorum, & passivæ electionis, præsentationis, collationisque beneficij Ecclesiastici. Ita communis Canonist:

Probatur per cap. *Si celebret* de *Clerico excommunicato ministrante.*

6. *Ligatus Minori Excommunicatione, tantùm recipiendo Sacramenta, mortaliter peccat.*

Ex Conclusione inferunt DD. eum peccare mortaliter, qui innodatus Minori Excommunicatione recipit Sacramenta. Non verò qui administrat, ùt habet Regin. lib. 32. n. 142. Covar. in cap. *Alma Mater* §. 9. Imò nec venialiter quidem, ùt habet Navar. cap. 27. n. 27. Henriq. lib. 13. cap. 3. Bonac. Filiuc. &c. Cùm nec ratio, nec lex oppositum suadeat. Circa absolutionem ab Excommunicatione tam Majori, quàm Minori videatur Distinctio 1. *de Censuris in communi*, qu. 5. & 6. ubi doctrina generalis data pro potentibus absolvere à Censuris in communi, ad absolventes à Censura in specie Excommunicationis Majoris scilicet, vel Minoris, se extendit.

7. *Quis absolvat ab utraque Excommunicatione.*

QVÆSTIO IV.

Elenchus omnium Excommunicationum exhibetur.

Excommunicationes nemini reservatæ.

1.

Excommunicantur imprimentes libros, sine facultate Superiorum. Ita Concil. Later. sub Leone I. & II.

2. Docentes & prædicantes, sibi conscium peccati mortalis, non esse necessarium præmittere Confessionem ante Communionem. Ita Trid. sess. 13. Can. 11.

3. Raptores mulierum, & dantes auxilium. Ita Trid. sess. 24. cap. 6.

4. Cogentes ad Matrimonia. Ita Trid: ibidem.

5. Cogentes fœminas ingredi Religionem, vel Monasterium. Ita Trid. sess. 25. cap. 18.

6. Edentes Glossas in Trid. sinè authoritate Papæ. Ita Pius IV. in Bulla *Benedictus DEVS.*

7. Occidentes, verberantes, dejicientes, perdere facientes Inquisitorem, & Advocatum Fidei. Ita Pius V. Bulla, *de protegendis.*

8. Pingentes, vel deaurantes Agnos DEI benedictos, absque licentia Papæ. Ita Greg. XIII. Bulla, *omni certè studio.* Hanc dicit Filiuc. tantùm Romæ in usu esse.

9. Procurantes abortum fœtûs animati. Ita Sixtus V. Bulla *Effrænatam.*

10. Clerici, qui in Civitate diversarum linguarum, & rituum, suscipiunt munus sine consensu Episcopi, administrandi unam partem. Ita cap. *Quoniam* de *Officio Ordin:*

11. Sacerdotes audientes medicinam, vel Leges. Ita cap. *Super specula.*

12. Sacerdotes recipientes Præfecturas Sæcularium, nisi admoniti desistant. Ita cap. *Clericis.*

13. Procurantes, ut alij occupent Regularia Jura, & Bona Ecclesiarum vacantium. Ita cap. *Generali, de Elect: & Electi qualitati.* in 6.

14. Cle-

14. Clerici Minores Episcopo, qui Usurarijs alieni æris, locant domus, vel sub alio Titulo concedunt. Ita cap. 1. *de Usura.* in 6.

15. Contrahentes Matrimonium in Sacris. Ita Clem. unica, de *Consang. & Affinit:*

16. Alienantes Bona Ecclesiarum, vel ultra triennium hypothecantes. Ita Extrav: *Ambitiosè*, de *rebus Ecclesiæ non alienandis.*

17. Fictè resignantes, vel permutantes beneficia. Ita Bulla Ionoc: 8. *Sicut Bonus.*

18 Impugnantes in Disputationibus, vel Concionibus, Montem pietatis, Ita Bulla Leon. X. *Inter multiplices.*

19. Clerici præsentes agitationibus Taurorum, Ita Pius V. Bulla, de *Salute gregis.*

20. Absolventes à Casibus Reservatis Bullæ Cœnæ, prætextu Privileg. Ita S. Congregatio, de mandato Clem. VIII. Anno 1601. 4. Januarij.

21. Mittentes litteras, nuncium, seu secretò loquentes Cardinali in Conclavi incluso, ad electionem Papæ. Ita cap. *Ubi periculum*. in 6. de *Elect:*

22. Vexantes Electores Ecclesiasticos, vel eorum Consanguineos, eò quòd eligere noluerint optatum ab eis. Ita cap. *Sciant cuncti*. de *Elect:* in 6.

23. Occupantes Regularia Jura, & bona Ecclesiarum Vacantium. Ita cap. *Generali* in 6.

24. Directores Monialium in Electionibus, non abstinentes à rebus, ex quibus nasci posset discordia. Ita cap. *Indemnitatibus* in 6. de *Elect.*

25. Procurator & Conservator immittens se in alijs, quàm de manifestis injurijs, effectu secuto. Ita c. *Fin. de offic delegati* in 6.

26. Extorquentes vi, vel metu absolutionem à Censuris. Ita cap. 1 *de his qui vi*, in 6.

27. Qui per fraudem facit, ut Judex personaliter fœminam adeat, ejus testimonium interrogaturus. Quod factum est ad conservandum pudicitiam mulierum. Ita cap. 2. de *Jud*: in 6.

28. Laici compellentes Ecclesiasticos, ut submittant bona Ecclesiastica Laicis. Ita cap. 2. de *rebus Ecclesiæ*, *non alienandis* in 6.

29. Imponentes, vel exigentes ab Ecclesijs, vel Ecclesiasticis, pædagia, & similia attributa. Ita cap. *quicunquam*, in 6. de *Censibus.*

30. Doctores docentes Medicinam, vel Leges Religiosos, qui dimiserunt habitum: vel retinere præsumentes in suis Scholis. Ita cap. 2. *Ne Clerici, vel Minores* in 6.

31. Qui præsumunt Corpora Hæreticorum tradere Ecclesiasticæ Sepulturæ. Ita cap. 2. *de Haret*, in 6.

32. Mandantes Christianum aliquem interfici per assassinos: item raptores, vel defendentes, vel occultantes assassinos. Ita cap. 1. de *Hæreticis hominibus.*

33. Concedentes repræssalias adversus personas Ecclesiasticas, vel extendentes concessas. Ita cap. unic. de *Injurijs*, in 6.

34. Præsumentes impedire sequestrum, factum ab Ordinario super beneficio, ob latam Sententiam à Sede Apostolica contra Professores, de talibus fructibus sequestrandis. Ita Clem. unic. de *sequestrationibus.*

35. Tempore Interdicti sepellientes quemquam, in loco Sacro, vel etiam extra illum Excommunicatos, Suspensos, aut Interdictos. Ita Clem. 1. de *Sepult.*

36. Impedientes Visitatores Monialium in suo munere, si admoniti non resipiscant. Ita Clem. de *Statu Monach.*

37. Mulieres assumentes Statum Beginarum. Ita Clem. 1. de *Religiosi Domicil:*

38. Contrahentes Matrimonium in gradibus prohibitis. Ita Clem. unic. de *Consang.*

39. Audentes impugnare litteras Apostolicas Papæ, non coronati. Ita Extrav. ult. de *Sentent. Excommun.*

40. Profitentes fictam Religionem Fratricellorum, & aliorum nonnullorum. Ita Extrav. *Sancta Romana.*

41. Religiosi audientes Leges, vel Medicinam, extra Claustra, & intra duos menses non redeuntes. Ita cap. *Non magnopere.*

42. Instituentes novum Ordinem, sinè licentia Papæ. Ita cap. unic: de *Religiosis domibus*, in 6.

43. Professi habitum temerè dimittentes cum contemptu Regulæ, & sinè rationabili causa. Ita cap. 2. *Ne Clerici, vel Monachi*, in 6.

44. Religiosi accedentes ad studia, sinè licentia Prælati. Ita idem caput.

45. Religiosi occupantes Decimas, vel earum solutionem prohibentes. Ita Clem. 1. de *Decimis.*

46. Religiosi adeuntes Curias Principum, ad nocendum suis, vel Monasterio, Ita Clement. de *Statu Monach.*

47. Religiosi tenentes arma in Claustro, sinè licentia Prælati. Ita Clem. cit.

48. Religiosæ voventes Statum Beguinarum.

49. Professi Matrimonium contrahentes. Ita Clem. unic. de *Consanguinit.*

50. Religiosi recipientes novas Domos, vel alienantes acquisitas, sinè licentia Papæ. Ita Clem: *Cupientes.* Minores tamen per Privilegium hoc possunt.

51. Religiosi retrahentes, vel suadentes à solvendis Decimis. Ibidem.

52. Reli-

52. Religiosi non servantes Interdictum, vel cessationem à Divinis, quando viderint in Cathedrali observari. Clem: unic. de *Excommunic.* Circa hanc adest Privilegium Mendicantium, de quo alibi.

53. Fratres Minores de Observantia transferentes se ad Capucinos, aut è contra, sine licentia Papæ. Ita Sixtus V.

54. Episcopus, qui in Civitate, ubi sunt homines diversarum linguarum, susciperet gubernationem eorum, qui sunt suæ linguæ, antequam à proprio eorum Episcopo assumeretur in Vicarium, Ita cap. *Quoniam* de *Offic Ordin:*

55. Episcopus veniens latenter Romam, maximè habitu transformato, & inde abscedens sine licentia Papæ. Et talem recceptantes. Ita Extrav. 1. Joannis 21.

56. Episcopi permittentes habitum Fratricellorum & Begoinarum. Ita Extravag. *Sanctæ Romana*, Ioan. 22.

57. Nuntij Apostolici, & alij Missi ad Principes, qui litteras impetrant promotoriales pro se. Ita Pius V. Bulla, *Etsi Romana*.

58. Principes & Domini Sæculares præcipientes Subditis, ne personis Ecclesiasticis obsequia præstent. Ita cap. *eos qui*, in 6.

59. Impedientes promotionem Officij Inquisitoris. Ita cap. de *Heret.* in 6.

60. Principes Saeculares, qui vacante Imperio, retinent nomen Vicarij Imperatoris, vel cujuscunque officij ad Imperatoriam dignitatem spectantis, nisi intra duos menses resignaverint. Ita Ioan. 22. *ne Sede Vacante*.

61. Principes, Senatores, &c. Qui intra mensem à die habitæ notitiæ delicti, non observant, quod statutum est contra insequentes Cardinales. Ita cap. *Felicis* de *pœnis*, in 6.

62. Principes permittentes agitationes taurorum in suis terris. Ita Pius V. de *Salute.*

63. Magistratus, & Judices admoniti, negligentes Jus reddere Ecclesiasticum. Ita cap. *administrationibus* 23. qu. 5.

64. Magistratus, & Judices facientes servari Statuta contra libertatem Ecclesiasticam. Ita cap. *noverit*, de *Sentent. Excommunic.*

65. Officiales Civitatis, in qua creandus est Papa, si non faciant servari contenta in cap. *Ubi periculum*, §. *prætereà*, de *Elect:* in 6.

66. Inquisitores, & Commissarij, tam ipsorum, quàm Episcoporum, qui prætextu officij pecuniam extorquent, aut bona Ecclesiæ Fisco applicant. Ita Clem. II. de *Hæret.*

67. Foventes usuras. Ita Clem: unic. de *Usuris.*

68. Non adjuvantes in Clausura Monialium Episcopos, si ab eis requirantur. Ita Trid. sess. 25. cap. 5. de *Reg.*

69. Doctores, & Professores cujuscunque Facultatis, non facientes professionem Fidei in manibus ordinarij. Ita Pius IV. Bulla, *In Sacro Sancta.*

70. Non obedientes Inquisitoribus Generalibus in officio ipsorum. Ita Pius V. Bulla, *Sanctissimus ea statuit.*

71. Gubernatores, & alij Ministri Status Ecclesiastici, permittentes portare arma facturæ brevioris, quàm trium palmorum. Ita Pius V. cap. *Cum Vices.*

72. Rectores, Præsidentes, Gubernatores terrarum, immediatè Subditarum Sedi Apostolicæ, qui applicant alteri, quàm eidem Sedi, pœnas pecuniarias, & Confiscationes. Ita Pius IV. *in Decreto* 56.

Excommunicationes Papæ reservatæ, extra Bullam Cœnæ.

1. Excommunicantur Percussores Clericorum. Ita cap. *Si quis suadente Diabolo* 17. qu. 4. de hac infra.

2. Excommunicatus à Delegato Papæ, post unum annum in Excommunicatione sordescens.

3. Excommunicari à Diœcesano, eò quòd falsas litteras Papæ habuerint, nisi infra 10. dies, postquam cognoverint eas esse falsas, illas destruant, aut resignent, Excommunicatio eorum Papæ reservatur. Ita cap. *Dura*, de *Crimine falsi.*

4. Clerici, qui scienter, vel sponte participant cum Excommunicato à Papa, post denunciationem eum recipientes ad Divina. Ita cap. *Significavit*, de *Sentent. Excommunicat.*

5. Incendiarij, postquam fuerint ab homine excommunicati, & denunciati, debent à Papa absolvi. Ita cap. *Tua nos* de *Sentent. Excommunic.*

6. Excommunicati ab Episcopo ob spoliationem Ecclesiæ cum effractione, post denunciationem, à solo Papa absolvuntur. Ita cap. *conquesti sunt*, de *Sent. Excommun.*

7. Omnes cujuscunque notabilis præeminentiæ, dignitatis, &c. Qui sine licentia Sedis Apostolicæ eligunt, aut consentiunt electioni alicujus in Senatorem, Rectorem, Capitaneum, aut Patricium ad Regimen Romanæ Urbis. Ita cap. *Fundamenta* de *Elect.* in 6.

8. Qui in personis, aut bonis injustè gravant eos, qui Sententiam Censuræ in aliquem tulerunt, occidendo, capiendo, vel in personis suis aut suorum, si in dicta Excommunicatione duobus mensibus perseverent,

debent à Papa absolvi. Ita cap. *Quicunque*, de *Sent. Excommun*: in 6.

9. Inquisitores inferiores Episcopis, qui ex odio, vel amore lucri, aut commodi, contra justitiam, & conscientiam omiserint procedere contra aliquem de pravitate Hæretica accusatum. Ita Clem. *Multorum*, de *Heret*:

10. Religiosi administrantes Extremam Unctionem, vel Eucharistiam in articulo mortis, nisi urgeat necessitas. Item Solemnizantes Matrimonium sinè licentia Parochi: Item absolventes ab Excommunicatione Juris, præterquam in casibus à Jure, vel per Privilegium concessis: Item absolventes quoad culpam, & pœnam simul à Sententijs per Synodalia Statuta promulgatis. Ita Clem. *Religios: de Privil:*

11. Religiosi, aut Clerici temerè inducentes aliquem ad jurandum, de eligenda Sepultura, vel electa non mutanda. Ita Clem: *Cupientes* de *Pænis*:

12. Omnes Domini temporales, qui, vel cogunt in loco interdicto Divina celebrare, vel qui per vocem præconis, aut sonitum Campanæ, convocant populum ad audienda Divina in tali loco: vel qui prohibent, ne Excommunicati, aut Interdicti ab Ecclesia, dum Divina celebrantur, ejiciantur: vel si ipsi sint Excommunicati, aut Interdicti, & à celebrantibus exire moniti, remaneant nihilominùs. Ita Clem: *Gravis*, de *Sent. Excom*:

13. Exenterantes mortuos, aut in frusta concidentes, aut in aquis coquentes, eo fine præcisè, ut ossa deferant, & sepeliant in alio loco. Ita Extrav: prima Bonifacij VIII. de *Sepulturis*, si autem alij fines, quàm tumulationis in alieno loco, adsint, non incurritur hæc Excommunicatio.

14. Omnes singulares personæ, qui dant, vel accipiunt aliquid temporale pro ingressu Religionis, excipe nisi paupertas, vel necessitas Monasterij exigat aliquid simile per modum oblationis. Ita Extravag. Urb: IV. de *Simonia*.

15. Simoniaci reales in ordine & beneficio. Ita Extrav. 2. de *Simonia*.

16. Mendicantes sinè licentia Papæ transeuntes ad non Mendicantes, præterquam ad Carthusianos. Ita Extrav. 1. Martini IV. de *Regul*.

17. Excommunicantes, vel damnantes hæresis eos, qui negant Beatam Virginem esse in Originali peccato conceptam, vel è converso. Ita Extrav: Sixti IV. *Grave nimis*.

18. Qui pro justitia, vel gratia acquirenda, vel obtinenda apud Sedem Apostolicam permittunt, dant, vel accipiunt aliquid. Ita Extravagans Bonifacij VIII. *Excommunicamus*, &c.

19. Absolventes à voto peregrinationis in Hierusalem, Romam, & Compostellam: item Religionis, & Castitatis. Ita Extrav: quædam Sixti IV. *Etsi Dominici*.

20. Procurantes fraudulenter alienationes Ecclesiarum, in earum detrimentum. Ita Paulus II. Bulla, *Cum in omnibus*.

21. Procurans Sede Vacante eligi in Summum Pontificem. Ita Leo X. in Concil: Later: sess. 5.

22. Clerici Episcopo inferiores, non adimplentes juramentum de residendo in suis Ecclesijs Parochialibus certo tempore. Ita Pius IV. Bulla, *Inter multiplices*.

23. Accipientes, vel retinentes apertè, vel occultè Beneficia Ecclesiastica ob confidentiam, quod ei postea dabuntur. Ita Pius V. Bulla, *Intolerabilis*.

24. Præsumentes absolvere à Casibus Papalibus, vel Bullæ Cœnæ, prætextu Privilegiorum, aut Indultorum (intellige malè Fundatorum.) Ita Extrav. Sixti IV. *Etsi Dominic*. Imò & absolventes malitiosè à Casibus Ordinarij. Ita Clem. VIII.

25. Moniales exeuntes à Claustro absque licentia. Ita Pius V. Bulla, *Decori*.

26. Superiores Regularium, qui Religiosos suos de hæresi suspectos non denunciaverunt Inquisitoribus, vel Ordinarijs Locorum. Ita Pius V. Bulla, *Romanum Pontificem*.

27. Fratres Minores subornantes in Electionibus, vel procurantes favorem extra ordinem pro officio in Religione obtinendo. Ita Pius V. Bulla, *Pastoralis*.

28. Duellantes, & Patrini. Ita Trid: sess. 25. de *Reform*. & Clem. VIII.

NOTA: Plures alias esse Excommunicationes, quæ tamen non sunt usu firmatæ, vel quia incertæ, vel quia ignotæ, & Corpori Juris necdum insertæ, & non ubique publicatæ, vel quia sunt aliquibus personis, vel Religiosis speciales: quas hic consultò omitto: videri autem possunt apud Silvestrum, Filiucium, Cajetanum, & in Bullario novo.

Excommunicationes Bullæ Cœnæ.

1. *Quid Bulla Cœnæ, & ejus origo.*

NOTA: Bullam Cœnæ esse illam Bullam, quæ in die Cœnæ Domini quotannis renovatur. Habet autem Originem à Clemente V. 1315. A Censuris in ea contentis solus Romanus Pontifex, vel ejus specialis Delegatus absolvere potest, extra articulum mortis, Episcopi tamen, maximè in partibus remotis ab Urbe, concurrentibus Circumstantijs specificatis dist. 2. qu. 5. *Hujus Tra-*

ctatûs

2. Quis à Casibus Bullæ Cænæ absolvere possit.

statûs etiam ab eis absolvere valent Jure Delegationis, ut habet Henriq: Bannes, Rodriq. Sanch. Excommunicationes ejus solitæ, sunt sequentes.

1. Excommunicantur Hæretici, Apostatæ à Fide, receptores, fautores, & defensores hæreticorum, legentes eorum Libros de Religione tractantes, imprimentes, defendentes, & Schismatici.

2. Appellantes à Sententijs, & mandatis Summi Pontificis ad futurum Concilium Generale.

3. Pyratæ, seu Cursores maritimi, eorúmque fautores, &c.

4. Rapientes bona naufragantium Christianorum, ubivis terrarum.

5. Imponentes nova Pædagia & Gabellas, præter habentes authoritatem ad hoc, ut sunt Imperat: Reges, & Principes absoluti in terris suis.

6. Falsificantes Litteras Apostolicas.

7. Deferentes arma, & alia usui Bellico idonea, ad Infideles Ethnicos, aut alios Ecclesiæ hostes.

8. Impedientes eos, qui victualia aut alia necessaria Romam vehunt.

9. Afficientes injurijs eos, qui accedunt ad Sedem Apostolicam.

10. Vexantes Romipetas.

11. Offendentes Cardinales, & Ecclesiæ Prælatos.

12. Offendentes eos, qui ad Romanam Curiam accedunt pro negotijs.

13. Appellantes à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad Laicam potestatem.

14. Officiales, & alij, qui causas Ecclesiasticas avocant à Judicibus Ecclesiasticis.

15. Judices Sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt.

16. Impedientes Prælatos, ne Jurisdictione suâ Ecclesiasticâ utantur.

17. Usurpantes Jurisdictionem Sedis Apostolicæ, aliarúmque Ecclesiarum, & fructum sequestrationis.

18. Imponentes Decimas, & alia onera Personis Ecclesiasticis.

19. Judices Sæculares, qui in causis capitalibus Clericorum sese interponunt.

20. Occupantes Bona, & terras Ecclesiæ Romanæ, & supremam Jurisdictionem in illis usurpantes.

QUÆSTIO V.

Elucidatur Solemnis Excommunicatio Papæ reservata: *Si quis suadente Diabolo, &c.*

1. Privilegium Canonis per extensum.

INnocentius Papa II. edidit Canonem 17. q. 4. in Concil: Later: cap. 15. continentem Excommunicationem reservatam Papæ sequentis tenoris: *Si quis suadente Diabolo, in Clericum, vel Monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum præsumat illum absolvere; nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Explicantur singulæ partes.

2. Explicatur ly si quis.

Ly *si quis*, terminatur ad omnia individua sexus masculini, & fœminini, cujuscunque ordinis, gradus & dignitatis, etiam si Ecclesiasticæ sint, si aliunde Excommunicationis sint capacia, ita resolvit Molina Tract: 5. disp. 51. Layman, &c.

3. Elucidatur ly in Clericum.

Ly *in Clericum*, comprehendit Clericum, etiam tantùm tonsuratum, exceptis sequentibus, uti habetur in cap. *Cùm contingat, de ætate & qualitate ordinandorum.* Comprehendit etiam Clericum mortuum, ut habet Abbas in cap. *à nobis*, de *Sent. Excommunic:* Cùm & huic injuria fieri possit in corpore.

4. Aliquibus Clericis Privilegium Canonis non favet.

NOTA autem: Hoc Privilegium non favere Clericis omnibus.

Primò *Clericis Bigamis* non favet: hi enim omni Privilegio Clericali dicuntur nudati, cap. unic. de *Bigamis* in 6. Unde percutiens talem non excommunicatur.

Secundò: Pariter non favet *Clericis Conjugatis*, etsi bigami non sint, nisi tonsuram, & habitum Clericalem gestantes alicui Ecclesiæ serviant. Habetur cap. ult: *de Clericis Conjugatis* Et In Trid. sess: 23. c. 6. de *Refor:*

Tertiò: nec favet etiam *Clericis Hæreticis & Schismaticis*, ut habet Casterius, Decianus, Portel, &c.

Quartò: Non favet *Clericis, immiscentibus se enormitatibus*, v. g. seditioni, prælio, aggressioni, & hujusmodi. Ita cap. *perpendimus.*

Quintò: Nec *Clericis* etiam Majorum Ordinum, *qui dimisso habitu negotijs sæcularibus se immiscent*, si tertiò ab Episcopo moniti se emendare contempserint. Ita cap. *contingit*, de *Sent. Excommunic.*

Sextò: Neque Clericis *ante Baptismum* suscipientibus Ordines, ut habet Brug. tract. 2. c. 2.

Septi-

Septimò: Neque *Clericis coactè ordinatis cum conditione, ut postea ordinationem ratificent*. Ita Ant. 3, part. tit. 2. cap. 1. Sayrus, Sylvester, &c.

Octavò: Non favet *Clericis per annum exercentibus artem ignominiosam mimi, vel histrianis*. Ita cap. unic. de *vita, & honestate Clericorum*. Nec *exercentibus Officium Lanionis, aut Cauponis* post admonitionem Episcopi, ùt habet Clem, 1. de *vita, & honestate Clericorum*.

5. *Explanatur ly in Monachum.*

Ly *vel Monachum*, complectitur Religiosos utriusque sexûs sequentes.

Primò: Omnes *Professos* etiam FF. Laicos, Conversos, & Conversas in approbata Religione. Patet ex cap. *Non dubium* de *Sent: Excommunic.*

Secundò: Etiam Professos, qui in sæculo erant bigami, ùt habet Archi-diaconus in cap *Quisquis*, dist. 84. Brug. &c.

Tertiò: Novitios approbatæ Religionis: constat ex cap. *Religiosa*, *de Sent. Excommunic:*

Quartò: Tertiarios, & Tertiarias cujuscunque Ordinis Regularis, collegialiter viventes, seu cum Claustralibus degentes: etiam Mulieres, quæ emisso expresso voto cælibatûs, in habitu alicujus Ordinis vivunt, Ita Leo X, in Bulla, *Ea, quæ per Sedem*.

Quintò: Eremitæ, qui emisso voto paupertatis in aliqua Congregatione, sub aliquo Prælato vivunt stabiliter: Secùs dicendum de vagis. Ita Glossa in cap. *Qui verè* 16. q. 1.

Sextò: Equites S. Joannis Hierosolymitani, S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, S. Lazari in Sabaudia, S. Stephani Florentiæ, & similes, qui tria vota Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ emiserunt, & in communi vivunt, aut si non sic vivunt, tamen communicata sint eis Privilegia Clericalia, cujusmodi videntur esse Melitenses, & Teutonici Equites. Ita Navarrus conf. 10. *de Regul.* Alterius, Hugolin. Bonac. &c.

6. *Ly suadente Diabolo enucleatur.*

Ly *suadente Diabolo*, postulat ad incurrendam hanc Excommunicationem gravem injuriam, mortale peccatum, & externam actionem injuriosam. Ratio est: quia secundùm Doctores, Ecclesiastici Canones ordinati pro Ecclesiastica Disciplina externa, plerumque solent tantùm punire graves excessus, mortales, & externos, licèt etiam possint ferri in internos.

7. *Ly Manus violentas discutitur.*

Ly *Manus violentas* comprehendit quamvis contumeliosam, & injuriosam actionem externam circa Clericum consummatam, sivè immediata sit, sivè mediata, unde excommunicantur sequentes.

Primò: Detinentes Clericum in publica custodia, vel alio loco, unde exire nequeat. Ita communis Canonistarum.

Secundò: Qui occidit Clericum cibo, vel potu intoxicato. Ita Molina. Barbosa, Bonacin: d. 2. q. 3. puncto. 6. sect. 1.

Tertiò: Verberans Clericum, etiam consentientem, in satisfactionem commissi delicti. Ita cap. *Contingit*, 1. *De Sent. Excommunic*: Hic enim fit injuria Ecclesiæ: Unde Clericus non potest consentire in talem verberationem sui.

Quartò: Clericus sibi ipsi verbera graviter infligendo, animo irato. Ita Navarrus, & Clatus §. *finali*, qu. 77. num. 3. cum aliis.

Quintò: Violenter extorquens rem aliquam, positam in manibus, vel corpore Clerici: vel eundem conspergens aquâ, pulvere, lapillis, vel ita persequens, ut in flumen, vel fossam labatur: injiciens manus in equum, cui Clericus insidet, occidens, vulnerans, mutilans, aut retentò frænô sistens equum eundem: & similia faciens, quæ in contumeliam manifestam Clerici, & læsionem injuriosam honoris debiti Clerico vergunt. Ita deducitur ex cap. *Nuper*, de *Sent. Excommunic.* & docent communiter DD. post Suar: Laym: Brug: &c.

Sextò: Consulentes & mandantes, ut violentæ manus injiciantur Clerico insonti, nisi hi efficaciter & seriò retractaverint mandatum, & consilium ante opus executum. Similiter incidunt non prohibentes, si ex officio aliàs teneantur: etiam ratam habentes percussionem suo nomine factam excommunicantur. Ita Suar: Laym: Navarrus, & Brug: tract. 2. cap. 2. Et deducitur ex cap. *Mulieres* §. ult: & cap. *Quanta*, de *Sentent. Excommunic.*

8. *Quinam excusentur ab incursu Canonis: si quis suadente, &c.*

NOTA: Ab incursu hujus Excommunicationis excusari sequentes.

Primò: Excusantur pueri percutientes Clericum, non habentes adhuc judicium ad peccandum. Ita Henriq. Farinacius, & Navarrus cap. 27. n. 76.

Secundò: Non baptizatus percutiens Clericum. Colligitur ex cap. *Postulasti qualiter*, *de Iudæis & Saracenis*

Tertiò: Percutiens Clericum vestitum laicâ veste, & non deferentem tonsuram, probabiliter putans eum esse Laicum. Constat ex cap. *Si verò*, 2. vel putans eum esse inimicum suum sæcularem. Ita Covarr: Bonac. Sayr. lib. 3. cap. 27. num. 2.

Quartò: Volens percutere Petrum Laicum, sed aberrat ictus, & infligitur Joanni Clerico. Ita Suar: disp. 22, sect. 1. Ægidius, &c.

Quintò: Percutiens Clericum aggressorem sui, vel alieni corporis, servato tamen

tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Constat ex cap. *Si verò, de Sentent. Excommunicationis.*

Sextò: Percutiens Clericum, quem invenit cum propria Uxore, Matre, Cognata, Filia, vel Affine, turpiter se gerentem, per oscula, & turpes tactus, vel ipsum actum carnalem exercentem: Secùs si cum aliena fœmina. Deducitur ex cap. *si verò*, tenétque Glossa, & Hostiensis in summa lib. 2. tit: *de Sentent, Excommunic.*

Septimò: Mulier ob defensionem castitatis, & honoris, colaphizans vel aliqualiter verberans Clericum, osculantem vel tangentem inhonestè, modò servet moderamen in defensione. Ita Navarrus cap. 27. num. 85. Suar: Laym: Brug: &c.

Octavò: Magister, Pater, & Superior causâ correctionis leviter sine odio percutiens Clericum. Ita Abbas, Suar. Laym. Brug. tract. 2. c. 2. & deducitur ex cap. *Ex tenore*, 1. & alijs.

Nonò: Mittens manum in Clericum, de mandato, sui Superioris eum capiendo. Habetur cap. *Ut fama*, *de Sentent. Excommunicationis.*

Decimò: Exorcista verberans leviter Clericum obsessum à Dæmone, in contemptum Dæmonis. Ita Brug. loc. cit:

Undecimò: Apprehendentes, & detinentes Clericum, in flagranti deprehensum, & tentantem fugam, dummodò eum statim debito Superiori consignent. Ita cap. *si verò*, Abbas Menochius, Hostiensis, &c.

Duodecimò: Percutiens Clericum joco, sine indignatione, vel inimicitia. Ita Glossa verbo *de familia*, in cap: *Cum voluntarie*, Hostiensis, de Graffijs, &c. Item percutiens absque deliberatione, seu ex motu primo, dummodò retrahat manum, quando advertit se errare. Ita Barbosa lib. 3. c. 39. n. 63. Brug. loco cit. Idem est de percutiente cum imperfectione actûs, non pertingentis ad culpam mortalem, ùt habet Suar. disp. 22. sect. 1. n. 23. & alij DD.

9. *Quid operetur ly ut nullus Episcoporum, &c.*

Ly tandem *Ut nullus Episcoporum ipsum absolvere præsumat*, &c. Ostendit Censuram hanc Papæ esse reservatam, quod intelligendum est, si notoria sit, & enormis: si enim occulta sit, & non enormis potest Episcopus ab ea absolvere. Colligitur ex cap. *Pervenit*, & Trid. sess. 24. cap. 6.

10. *Qua sit levis percussio.*

Nota autem: Censeri levem percussionem illam, quæ fit pugno, palmâ, pede, digito, baculo, vel lapide, nullam relinquens maculam, suggillationem carnis, & quæ fit absque abscissione membri, sine effractione dentis, vel evulsione multorum capillorum, & sine multi sanguinis effusione.

11. *Et qua enormis percussio.*

Enormis erit *primò*: Quia intulit mortem, mutilationem membri, effossionem oculi, magnam sanguinis effusionem ex vulnere. *Secundò*: Quæ fuit commissa in Episcopum, Abbatem, vel Superiorem Monasterij, in Sacerdotem vestibus sacris indutum, pariter si Monachus percutiat Clericum sæcularem, ratione scandali, si percussio fiat in præsentia Prælati, vel Judicis, si in Ecclesia tempore magnæ solemnitatis, publicè, &c. Ita Brug. tract. 2. c. 2. Sayrus, Astensis, &c.

QUÆSTIO VI.

De Suspensione.

1. *Definitio suspensionis.*

DICO primò: Suspensio rectè definitur, quòd sit. *Pœna spiritualis privans Clericum aliqua potestate, vel Iure Ecclesiastico, per ordinem ad salutem.*

Probatur: Quia constat omnibus requisitis conditionibus exactæ definitionis: ergo, &c. Ly *Pœna spiritualis*, est genus: reliqua sunt differentiæ suspensionis ab omnibus alijs pœnis. Nec eget explicatione; sub ly *potestate* continetur exercitium ordinis, vel Jurisdictionis. Sub ly *Iure Ecclesiastico*, Jus ad beneficium.

2. *Quadam suspensionis divisiones adducuntur.*

Nota deinde primò: Suspensionem aliam esse à Jure, aliam ab homine latam. Item aliam esse ferendæ, aliam latæ sententiæ. Item aliam esse totalem, id est, ab Ordinibus sui Officio, Beneficio, & Jurisdictione simul. Aliam partialem, id est, ab uno tantùm Ordine, vel Beneficio, vel ab Officio. Alia iterum est à toto Officio, vel Beneficio: Alia tantùm à parte ejus. Alia est lata cum determinatione temporali, alia sine ea.

3. *Quando censeatur esse suspensio totalis.*

Nota secundò: Suspensionem censendam esse ab Officio, Jurisdictione, & Beneficio simul, si lata sit terminis absolutis indefinitis: ùt habet Henriq. lib. 13. c. 32. Her: disp. 6. q. 3. Con. &c. Ratio est, quia ex sermonis usu propositio indefinita, ob suam indifferentiam, æquivalet universali.

Nota tertiò: Nullam extare determinatam formam suspensionis in Jure: debet tamen ferri in scriptis cum causæ expressione, sicut excommunicatio, aliàs Judex Ecclesiasticus ipsemet incurrit suspensionem, ùt habet cap. 1. *de Sentent. Excommunicationis.*

4. *Suspensio vera præsupponit peccatum.*

DICO secundò: Ut suspensio feratur legitimè, debet præsupponere peccatum proprium. Ita Avila p. 3. disp. 3. dub. 2. Suar. disp. 28. sect. 4. Laymao, Navarrus, &c.

Kkkk Proba-

Probatur: Suspensio est pœna rigorosa: talis autem præsupponit culpam in eo, qui punitur. argm. c. 2. *de Constit.* ergo, &c.

5. *Quod debet esse mortale.*

DICO tertiò: Peccatum quod dat causam Suspensioni, communiter debet esse mortale. Ita Conink disp. 15. dub. 3. Conclus. 2. Henriq. c. 34. Avila, Layman, &c.

Probatur: Quia pœna debet esse commensurata culpæ, sed Suspensio est pœna gravis: ergo, &c.

6. *Suspensus arcetur ab omni actione Clericali.*

DICO quartò: Suspensus absolutè arcetur ab omni actione Clericali propria Clericis: quales sunt omnes actiones Jurisdictionis Ecclesiasticæ, omne exercitium Ordinis, &c. Ita Henriq. disp. 6. qu. 3. & communis.

Probatur: Quia hæc est natura Suspensionis absolutæ: & quia sic intendit suspendens: ergo, &c.

7. *Suspensus ab Ordine tantùm, quid agere valeat.*

DICO quintò: Suspensus specialiter ab Ordine tantùm, potest omnes actus Jurisdictionis exercere, ubi Ordinis usus non intervenit: Unde potest dare facultatem audiendi Confessiones, si Superior sit. Item eligendi Confessarium: potest eligere. &c. Ita Henriq. c. 32. n. 4 Nav. c. 27. n. 160. Hugol. Herincx, &c.

Probatur: Suspensio est odiosa, adeóque restringenda tantùm ad illa, à quibus expressè suspendit, salvâ potestate alia disparatè faciendi: ergo, &c.

8. *Suspensus ab officio potest uti beneficio.*

DICO sextò: Suspensus ab officio tantùm non suspenditur à Beneficio. Ita Palud. 4. d. 18. q. 7. Sayr. lib. 4. c. 5. & Hugol.

Probatur: Quia sunt pœnæ disparatæ, Suspensio ab officio, & Suspensio à Beneficio: potéstque una infligi, non alia. Sunt insuper odiosæ, & consequenter restringendæ: ergo, &c.

9. *Suspensus à beneficio potest uti ordine & Iurisdictione.*

DICO septimò: Suspensus similiter à Beneficio, non ideò suspenditur ab Officio, vel Jurisdictione. Unde potest eligere, & conferre beneficia. Ita in cap. *Cum dilectus*, Glossa, Herincx, Conink, &c.

Probatur eâdem ratione, quâ prior Conclusio.

10. *Absolutè suspensus à beneficio quid possit operari.*

DICO octavò: Suspensus absolutè à Beneficio, nec potest temporaliter administrare beneficium, nec fructus ejus percipere, potest tamen omnes distributiones percipere, quæ non dantur intuitu beneficij, v. g. stipendia pro Anniversarijs, pro frequentatione Horarum, & similia: imò portionem aliquam congruam sustentationis, etiam ex ipso beneficio natam. Prima, & secunda pars est communis apud DD. Secundam tenet Herincx, disp. 6. q. 3. & alij AA.

Probatur prima, & secunda pars: Quia hoc operatur ipsa ratio suspensionis ex intentione suspendentis: ergo, &c. Tertia pars etiam patet, quis hujusmodi distributiones non spectant ad beneficium, à quo est Suspensio: ergò, &c.

11. *Et quid suspensus à Iurisdictione tantùm?*

DICO nonò: Suspensus à Jurisdictione tantùm potest omnes actus Ordinis, seu Officij spiritualis exercere, non requirentes Jurisdictionem. Ita Suar. disp. 36. sect. 4. Cajetan. Navar. &c. Sic potest celebrare, in horis Canonicis Officiatorem agere, &c.

Probatur: Quia talis Suspensio est limitatæ naturæ: ergo non impedit ab alijs actionibus.

12. *Ab omnibus suspensus nunquam potest exercere Ecclesiasticos actus.*

DICO decimò: Suspensus ab officio, ordine, aut Jurisdictione, in nullo loco potest exercere ejusmodi actus Ecclesiasticos. Ita habet Glossa, Abbas, in cap. *Pastoralis* Hugolin. Navar. &c.

Probatur: Quia Censura quævis immediatè afficit censuratum, ideóque concomitatur eum extra territorium ferentis, & ut loquitur Abbas: *Sequitur eum, sicut lepra leprosum*: ergo, &c.

QVÆSTIO VII.

Registrum Suspensionum usu firmatarum.

Plures sunt Suspensiones ab Ecclesia latæ pro conservatione Christianæ disciplinæ inter Ecclesiasticas personas: sed sequentes tantùm passim à Doctoribus censentur esse defactò in vigore, & sparsim deprehenduntur in Jure, Concilijs, & Bullis. Primæ itaque sunt.

Contra Clericos.

1. *Suspensiones contra Clericos recensentur.*

Primò: Recipiens Ordines sacros scienter ab Episcopo Hæretico, Schismatico, Excommunicato, Suspenso, Deposito, Denunciato, Simoniaco, Pseudo-Episcopo, tolerato tamen, incurrit Suspensionem ab usu Ordinum susceptorum, quousque dispensationem obtineat. Continetur in cap. 1. & 2. *de Schismat.* & cap. *Si quis à Simoniaco*, & alijs.

Secundò: Recipiens Sacros Ordines ab eo, qui renunciavit Episcopatui, vel ab alieno, sinè licentia proprij, vel à proprio in aliena Diœcesi, sinè licentia Diœcesani, suspenditur ab usu suscepti Ordinis. Ita cap. 1. *De Ordinatis ab Episcopo*: &c.

Tertiò: Suspenduntur ab usu susceptorum Ordinum: Recipientes Ordines ante legitimam ætatem, vel extra tempora sinè dispensatione, vel per saltum. Habetur in

Extra-

Extravag. Pij II. *Cum Sacrorum*: & Extrav. Sixti V. *Sanctum*, & cap. *unic.* de *Clerico per saltum promoto.*

Quartò: Recipieotes Ordines post Matrimonium ratum, etiam non consummatum, suspenduotur ab uso Ordioum susceptorum, & ab officio, & beneficio. Ita Extravag. *Antiqua.*

Quintò: Ordinatus in Ceosura pariter suspenditur ab usu suscepti Ordinis. Ex cap: *Cùm illorum*, *de Sent: Excom:*

Sextò: Qui cum litteris dimissorijs Capituli Sede vacaote, iotra annum suscipit Ordines Sacros, nisi alioqnin ratione beneficij recepti, vel recipiendi sit coäptatus, manet suspeosus ab eis. Patet ex Tridentino sess; 23. cap. 8. de *Reformat.*

Septimò: Admittentes ad Divina, & sepulturam publicè excommunicatos, vel interdictos, suspenduotur, vel potiùs interdicuotur ab ingressu Ecclesiæ. Per cap. *Episcoporum.* Item Publicos Vsuratios, sepelientes & dantes Eucharistiam eis, suspenduntur ab Ord: Ita cap. *quia.*

Octavò: Abutentes publicè vestibus virgatis seu variegatis, per sex menses à fructibus beneficij suspenduotur: per Clem. II. de *Vita & honest: Clericor:* Item alienis debitis gravantes Ecclesias sibi commissas: cap. *si quorundam* 2. *de solutionibus.* Occupaotes bona Prælati defuncti, suspenduntur ab officio, & beneficio. Per cap. *quia sæpe.* Electores Episcoporum non præsentantes electiones Electo inter octo dies, suspenduntur per tres annos à beneficijs, per cap. *cupientes.* Compromissarij eligentes indignum in Episcopum, vel Curatum posthabitô digoô, suspenduntur etiam per tres Annos à beneficijs, per cap. *Cùm in cunctis.*

Nonò: Postulaotes in Prælatum Cathedralem eum, qui prohibetur: & consentientes electioni per abusum sæcularis potestatis: per cap. *quisquis*, *de Elect.*

Decimò: Visitatores inferiores Episcopis, qui pro visitatione, aut debita procuratione, recipiunt pecuniam, aut alia munera, tales suspenduntur ab officio, vel beneficio, nisi acceptum intra mensem in duplum restituant. Habetur in cap. *Exigit*, de *Censibus* in 6.

Undecimò: Cooferentes vel recipientes beneficia eorum, qui accesserunt Curiam Rom. vel serviunt in ea. Ita Extravag. 3. *de Privileg.* Isti suspenduotur ab officio & beneficio.

Duodecimò: Judices Cooservatores, se intromittentes in alijs, quàm de manifestis injurijs. Ita cap. ult: *de Officio Delegatoris* in 6. Suspenduntur autem per aonum ab officio.

Decimòtertiò: Facieotes iocompletas Missas, suspenduntur à perceptiooe Corporis, & Sanguiois Christi. Habetur cap. *Nullus.*

Decimòquartò: Celebrans, & noo communicans: suspenditur per annum à Communione. Habetur cap. *Relatum*, *de Consecrat.*

Decimòquintò: Jurantes de teoendo Schismate, suspenduntur ab ordinibus, & dignitatibus: Per cap. 1. *Schismat.*

Decimòsextò: Celebrantes in loco interdicto, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ: per cap. *Episcoporum.*

Decimòseptimò: Disputantes de Conceptione B. Virginis MARIÆ, asserendo alterutram sententiam tanquàm de fide, vel contrariam hæresis condemnando, suspenduntur à Divinis, & privantur omni gradu, & dignitate: ex Bulla, Pij V. *super Specula.*

Decimòoctavò: Copulantes subditos alterius Parochiæ, suspenduntur ab officio per Tridentinum sess. 24. c. 1. *de Refor.*

Decimònonò: Judex ferens sententiam injuriosam, suspenditur uno aono ab officio: per cap. *Cùm æterni.*

Vigesimò: Judex Ecclesiasticus ferens Excommunicationem sinè admonitione, & testibus, per mensem suspenditur ab ingressu Ecclesiæ: per cap. *Cùm Medicinalis.*

Suspensiones contra Episcopos.

2. *Suspensiones contra Episcopos adducuntur.*

Primò: Suspenditur à Pontificalibus & Potestate conferendi Ordines, Episcopus simoniacè ordinans: per Extrav: 1. & 2. *De Simonia.*

Secundò: Ordinantes solemniter pœnitentes, vel bigamos, suspenduntur per unum annum: per cap. *Nullus pœnitens. d.* 55.

Tertiò: Episcopus conferens eodem die, vel duobus, continuato jejunio, duos ordines sacros: est suspensus à collatione amborum, donec à Papa dispensetur: per cap. *Litteras*, *de Tempor. Ordinan:*

Quartò: Ordinans alienum sinè licentia sui Ordinarij, suspenditur à Pontificalibus per Tridentioum, sess. 6. cap. 5. *de Reform.*

Quintò: Conferens primam tonsuram infanti, illiterato & conjugato, suspenditur per annum: per cap. *fin. nullus* de *temporibus ordinandorum*, nisi infans intret Religionem, ùt olim fiebat.

Sextò: Ordinans io aliena Diœcesi sinè Ordinarij licentia, suspenditur à Pontificalibus, per Trid. sess. 14. cap. 2.

Septimò: Ordinaos in alia Diœcesi, etiam cum licentia, Persooas nec sibi, nec ordina-

dinatio Diœcesis illius subjectas, suspenditur etiam à Pontificalibus, ex eit: Conc:

Octavò: Ordinans Religiosum non professum, suspensus est per annum à conferendis Ordinibus, ex Bulla Pij V. quam refert Navar. c. 22.

Nonò: Ordinans aliquem accepto ab eo juramento, vel promissione, quod non molestabit eum super aliqua promissione facienda ordinato, suspenditur per [illegible]nium à conferendo Ordine sacerdotali, per cap. *Si quis ordinaverit de Simonia* in 6.

Decimò: Ordinans Monachum sinè licentia sui Superioris, incurrit suspensionem à Communione aliorum Episcoporum, per cap. fin. dist. 58.

Undecimò: Non servans Constitutionem Conc. Lugdunensis cap. *Quamvis de Electione* in 6. qua prohibetur Ordinarijs, & alijs PersonisMajoribus Episcopis, nè in causis spectantibus ad electionem Episcoporum se intromittant, postquàm appellatum est ad Sedem Apostolicam, aliàs suspenduntur per annum à Confirmatione, & consecratione: Ita cit. cap.

Duodecimò: Submittentes Laicis bona Ecclesiæ sinè consensu Summi Pontificis, nisi in casibus à jure permissis, suspenduntur ab administratione temporali bonorum suæ Ecclesiæ, & ab Officio. Ita cap. *Hoc consultissimo.*

Decimòtertiò: Occupantes bona Vacantium Ecclesiarum pertinentium ad earum provisionem, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ suæ. Ita cap. *præsenti.*

Decimòquartò: In alienatione bonorum Ecclesiasticorum male utentes delegatâ potestate, suspenduntur ab officio per annum: Ita Extravag. Pauli II. *Cum omnibus.*

Decimòquintò: Alienantes bona Ecclesiæ, Monasteriorum, & piorum locorum absque licentia Papæ, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, & post sex menses non resipiscentes, suspenduntur ab administratione temporali, & spirituali: Ita cap. *Hoc consultissimo.*

Decimòsextò: Admittentes resignationes beneficiorum contra formam præscriptam à Pio V. Constit. 58. suspenduntur à præsentatione, electione, confirmatione, &c.

Decimòseptimò: Permittentes, ut Usurarij conducant domos in sua Diœcesi, suspenduntur ab officio, & beneficio: Ita cap. *Usuras.*

Decimòoctavò: Abutentes munere Inquisitionis in causa fidei, suspenduntur ab officio per triennium. Ita Clementina I. *Verum*, *de Hæreticis.*

Decimò nonò: Delinquentes contra Clericorum immunitates, faciendo ut Clerici capiantur à Domibus sæcularibus, & cogantur ad resignationem beneficij, vel Romam ire nequeant citati, suspenduntur à fructibus Ecclesiæ per tres annos: Ita Clementina II. *De pœnis.*

Vigesimò: Non servantes Extravagantem secundam *de Electione*, quoad perceptionem fructuum primi, & secundi anni, suspenduntur à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ. Ita Extravag II. Joannis XXII.

Vigesimòprimò: Promoti à Sede Apostolica sinè litteris authenticis ejusdem: suspenduntur ab administratione fructuum Ecclesiæ. Ita Extravag. I. *de Electione.*

Vigesimòsecundò: Concubinarij à Synodo admoniti, & non se emendantes, suspenduntur ab usu officij sui: Deducitur ex cap. *Quæsitum de Cohabitatione Clericorum, & mulierum:* Et habet Suarez, Filliucius, &c.

Vigesimòtertiò: Relaxantes incendiarijs pœnas, à Jure statutas, suspenduntur ab officio Episcopali per annum. Ita cap. *Pessimam*, 23. q. 8.

Vigesimòquartò: Negligentes procedere contra Simoniacos, suspenduntur ab officio per duos menses. Ita cap. *Quidquid* 1. q. 1.

Vigesimòquintò: Non Visitantes Limina Apostolorum temporibus præscriptis: in Constit: Pij V. suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, perceptione fructuum, & administratione temporali, & spirituali: Ita dicta Constitutio.

Vigesimòsextò: Ingrediens Monasterium Monialium sinè necessitate, suspenditur primâ vice ab ingressu Ecclesiæ; secunda vice à Divinis, tertia excommunicatur. Ita Gregorius XIII.

Suspensiones contra Capitulum, & Religiosos.

3. *Suspensiones contra Capitula specificantur.*

Contra Capitulum primò: Si Capitulum, vel Conventus dilapidet bona derelicta, vel obvenientia tempore vacantis: Suspenditur ab officio, & beneficio, cap. *Quia.*

Secundò: Si Capitulum, vel Conventus recipit Prælatos, promotos in curia absque litteris Papæ, suspenditur à beneficio, per Extravag. I. *De Electione.*

Tertiò: Si Capitulum petat in receptione ad Religionem, aut post illam, pastus, prandia, & similia, incurrit suspensionem cutalem ab officio, & beneficio. Ita Clementina *sanè, de Simon:*

Quartò: Si Capitulum non servet contenta in Constit: Pij V, *Quanta*, incurrit Suspensio-

penſionem à collatione, præſentatione, & inſtitutione. Ita citata Conſtitutio.

4. *Suſpenſiones contra Religioſos.*

Contra Religioſos ſunt ſequentes. Primò: Apoſtatæ in Apoſtaſia ordinati ſuſpenduntur ab exercitio ſuſcepti ordinis, & à ſuſcipiendis: Ita cap. *fin. de Apoſtatis.*

Secundò: Superiores recipientes ad profeſſionem ante annum probationis, ſuſpenduntur à poteſtate recipiendi ad profeſſionem, cap. *Non ſolùm.*

Tertiò: Superiores concedentes redditus Eccleſiarum alienis ad vitam, ſuſpenduntur ab officio, per Clement. I. *de rebus Eccleſiæ non alienandis.*

Quartò: Uſurpantes iniquè Decimas, ſibi non convenientes vel defraudantes Eccleſias, ſuſpenduntur ab officijs, adminiſtrationibus, & beneficijs. Ita Clementina l. *de rebus Eccleſiæ.*

Quintò: Non facientes conſcientiam pœnitentibus, de ſolvendis Decimis, ſuſpenduntur ab officio prædicandi, per Clementinam. *Cupientes de Decimis.*

Sextò: Non profeſſi recipientes Ordines ſacros, ſuſpenduntur à ſuſceptione Ordinum, per Bullam Pij V.

Septimò: Introducentes Mulieres in Monaſteria, concluſâ clauſurâ publicâ, ſuſpenduntur ab officio, & privantur beneficijs. Ita Bulla Pij V. *Regularium.*

Octavò: Prædicatores promoti in Epiſcopos, recipientes conſecrationem, antequam reſtituant Ordini libros, &c. ſuſpenduntur à Pontificalibus. Ita Clemens IV. in quodam Privilegio.

Nonò: Prælati Religioſorum retinentes illa, quæ ob exceſſus ſuorum Religioſorum accepta ſunt, puta retrahendo teſtantem à Legatis Eccleſiæ Matrici faciendis, retrahendo à debitis ſolvendis, & procurando, ut pia legata, vel ablata incerta, ſibi dentur, ſuſpenduntur ſimpliciter. Ita Clementina I. *de Privilegijs.* Vide plures prohibitiones Religioſorum circa hoc in cit. Clementina.

Decimò: Abbates, & alij dantes dimiſſorias litteras alijs, quàm ſuis ſubditis Regularibus, ſuſpenduntur ab officio & beneficio per annum. Ita Trid. ſeſſ. 23. cap. 10.

Undecimò: Benedictini nigri non utentes habitu præſcripto in Clementina I. *de ſtatu Monachorum*, ſi Superiores ſint, ſuſpenduntur à collatione beneficiorum Ord. per annum: ſubditus inhabilitatur ad beneficium, vel ſuſpenditur ab eo, ſi id poſſideat. Eadem duplicatò extenditur ad eoſdem venantes clamoroſè.

Duodecimò: Religioſi copulantes ſinè licentia Parochi, ſuſpenduntur ab officio ex Tridentino ſeſſ. 24. cap. 1.

Suſpenſiones diverſis Ordinibus proprias, vide in Conſtitutionibus eorundem. De ſuſpenſionum abſolutione, conſule dicta ſupra diſt. 1. *de Cenſuris in communi*, quæſt. 5. & 6.

QVÆSTIO VIII.

De Interdicto, & Ceſſatione â Divinis.

1. *Definitur Interdictum.*

DICO primò: Debitè definitur Interdictum: *Eſt pœna ſpiritualis, privans uſu Officiorum Divinorum, Sacramentorum, tam activè, quam paſſivè, & Eccleſiaſticâ ſepulturâ.* Ita communis Canoniſtarum, & Summiſtarum.

Probatur: Quia nihil deeſt huic definitioni: ergo, &c. Ly *pœna ſpiritualis*, eſt genus: Reliqua ſubeunt rationem differentiæ, & oſtendunt effectum Interdicti.

2. *Partitur Interdictum in locale, perſonale & mixtum.*

Nota primò: Ex Herincx, Reding & alijs DD. Interdictum partiri in Locale, Perſonale, & Mixtum ex utroque. *Locale* eſt, quod cadit ſuper ſolum locum: *Perſonale* ſuper ſolam perſonam. *Mixtum* ſuper utrumque ſimul.

3. *Locale rurſus in Generale & particulare.*

Nota ſecundò: Locale rurſus ſubdividitur in Generale, & Particulare. *Primùm* interdicit locum, plura loca continentem, v. g. regnum: Particulare interdicit unum locum, v. g. Eccleſiam, vel Oratorium.

4. *Perſonale pariter in Generale & particulare.*

Nota tertiò: Perſonale pariter ſubdividitur in Generale, & Speciale. *Generali* interdicitur tota communitas & univerſitas: *Speciali* unica perſona.

5. *Locale Interdictum cadit ſuper locum & ejus perſonas.*

DICO ſecundò: Dum locus interdicitur, etiam Perſonæ illius loci interdicto innodantur, quæ interdicto cauſam dederunt, ubicunque morentur. Ita Herincx. Barboſa, & communis Canoniſt.

Probatur: quia ita colligitur ex cap. *Si Sententia, ex Sententia Excommunicationis*, in 6. ergo. Cæteri autem extra locum interdictum poſſunt audire Divina, ùt habent DD. communiter.

6. *Item ſuper omnes vicinas habitationes loci.*

DICO tertiò: Si Civitas Interdicto ſubjiciatur, etiam habitacula proxima extra mænia Interdicto involvuntur. Eſt communis apud Canoniſtas.

Probatur: Quia ita colligitur ex cap. *Si Civitas, de Sententia Excommunicationis* in 6. ergo, &c.

7. *Interdictum afficiens Eccleſiam afficit etiam Cœmeterium & Capellas.*

DICO quartò: Dum Eccleſiæ interdicuntur, etiam Capellæ, & Cœmeteria interdicuntur, ſi ſint contigua, ſecùs ſi non ſint.

Probatur: Quia ita colligitur ex cap. *Si Civitas*, cit. & est communis sensus Doctorum.

8. *Aliqua Persona Vrbis excipiuntur ab Interdicto Generali Vrbis.*

DICO quintò: Si popolus Civitatis totius interdicatur, non periude feriunturInterdicto, extranei, negotiationis, vel recteationis causâ eò accedentes, nec probabiliter studinsi Universitatis, ibidem existentes, nec Clerici & Religiosi. Ita Herincx hic disp. 6. qu. 4. & alij DD.

Probatur: Qnia sic deducitur ex cap. *Si Sententia, de Sententia Excommunicationis* in 6. Et quia hi omnes non censentur strictè esse de corpore populi Civitatis, sed conficere aliud corpus: ergo, &c. Circa effectus Interdicti

9. *Iure antiquo Interdictum auferebat omnem celebrationem, & auditionem Missarum.*

DICO sextò: Interdictum primo Jure Canonico inducebat generalem subtractionem celebrationis, & anditionisDivinorum Officiorum: hoc est tam celebrationis, quàm auditionis Missæ, & Horarum Canonicarum publicè, item prohibebat omnem orationem solemnem Ecclesiæ, & Benedictiones Ministrorum ejus: non tamen Concionem, cùm non censeatur esse Divinum Officium. Ita Sumistæ, & Canonistæ.

Probatur ex cap. *ultimo, de Sententia Excommunicationis* in 6. ergo.

10. *Sed Ius modernum limitavit hunc effectum.*

DICO septimò: Hic tamen effectosInterdicti, si id Locale Generale sit, deinde fuit limitatus: Ita habet communis Sumistarum modernorum.

Probatur per cap. *Alma Mater*, ubi dicitur, quod tempore Interdicti, singulis diebus in Ecclesijs, ac Monasterijs Missæ celebreotur, & alia dicantur Divina Officia, sicut priùs: submissâ tamen voce, januis clausis, & campanis non pulsatis. In Festis verò Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis, quibus addidit Martinus V. & Eugenius IV. Festum Corporis Christi, & alij Pontifices Festa specialia Religiosorum pro Religiosis, etiam januæ aperiri possunt, & campanæ pulsati in loco interdicto generaliter.

11. *Extensio privilegij cap.* Alma Mater.

NOTA quartò: Quod hoc Privilegium *Alma Mater*, extendatur etiam ad oratoria privata, ùt habet Navarrus n. 175. Henriq. lib. 13. cap. 46. &c. & valet pro omnibus personis Ecclesiasticis, etiam Religiosis, Monialibus, ùt habet Cordub. 2. n. 30. Avila, Herincx, &c.

12. *Ius vetus amplum effectum Interdicti posuit circa Sacramenta.*

DICO octavò: Interdictum etiam primo Jure per modum effectûs causabat subtractionem Sacramentorum, tam quoad administrationem, quàm receptionem. Ita pariter omnes Canonistæ.

Probatur: Quia ita dispositum fuit in cap. *Alma Mater*.

13. *Sed correctum est per jus novum.*

DICO nonò: Huic tamen effectui à posteriori Jure appositæ sunt quædam limitationes: Est communis Doctrina Doctorum Juris Canonici.

Probatur: Quia modo, tempore Interdicti potest administrari Baptismus, & Confirmatio per cap. *Quoniam* in 6. Item Sacramentum Pœnitentiæ potest conferri omnibus, ijs exceptis, qui sunt excommunicati, vel causam dedêre Interdicto, per idem cap. Item communio potest dari pro viatico moribundis, per cap. *Quod in te de Pœnit. & Remiss.* imò cum sonitu campanellæ, ac facibus ad ægrotum publicè deferri: ùt habet Navarrus c. 27. Con. Sa, Laym. &c. ergo, &c.

14. *Matrimonia possunt fieri tempore Interdicti.*

DICO decimò: Etiam Matrimonium tempore Interdicti potest celebrari licitè. Ita passim Canonistæ cum Henriq. Sylv. Navar. Sanch. Her. &c. Etsi hoc negent de Extrema Unctione, & Ordine ob diversa Juris capita.

Probatur: Interdictum non prohibet fieri contractus politicos, sed Matrimonij celebratio est talis contractus, cui tamen accessit ratio Sacramenti à Christo: ergo, &c. Deinde Interdictum prohibet administrationes Sacramentorum, à Ministro Ecclesiæ solitas fieri, Matrimonium autem administratur ab ipsis contrahentibus: ergo, &c.

15. *Interdictum spoliat sepulturâ Ecclesiasticâ.*

DICO Undecimò: Interdictum etiam inducit per modum effectûs privationem sepulturæ, ita ùt in loco interdicto, si locale sit Interdictum, nemo possit sepeliri. Ita communis Doctorum.

Probatur ex cap. *Quod in te, de Pœnitent. & Remiss.*

16. *Quod extenditur ad omnes omninò subjectos Interdicto Locali.*

NOTA quintò hic: Quod & hic effectus sit generalissimus, ita ut omnes etiam infantes, & amentes nequeant in loco sacro interdicto sepeliri, ùt habet Laym. Tract. 2. p. 2. Her. &c. Etsi hujusmodi, & omnes qui Interdicto locali generali causam non dedêre, alibi in loco sacro, non interdicto sepeliri possint: ùt habet Suar. disp. 35. sect. 1. Avila, & alij Doctores.

17. *Effectus Interdicti personalis.*

DICO duodecimò: Si personale sit Interdictum, & persona interdicta nominata, & denunciata, nullibi potest sepeliri sepulturâ Ecclesiasticâ. Ita Herincx disp. 6. q. 4. & alij Summistæ.

Probatur per cap. *Alma Mater* secùs tamen est, si non esset denunciata solemniter: ùt deducitur ex Extravag. *Ad evitanda*.

18. *Clerici violantes Interdictum peccant graviter.*

DICO decimòtertiò: Ecclesiastici violantes Interdictum locale, vel personale, peccant mortaliter. Est communis Theologorum.

Probatur: Quia faciunt in materia gravi contra Obedientiam Ecclesiæ: ergo, &c. Imò & Laici cum violentia, vel fraude se inge-

ingerentes Divinis Officijs in loco interdicto, vel alibi: ſi ſint perſonaliter interdicti, eundem reatum contrahunt. Ut habet Suar. diſp. 34. ſect. 6. Sotus, Navar, &c.

19. *Pœna Violantium Interdicta.*

NOTA autem ſextò: Pœnas Violantium Interdictum eſſe ſequentes: ſi Violans ſit Laicus, nullam pœnam Juris incurrit. Si autem Clericus ſæcularis, & exerceat actum ſacri Ordinis, fit irregularis. Ita cap. *Is qui.* Fit præterea ineligibilis activè, & paſſivè, Ita cap. 1. *de Poſtulatione Prælatorum*, in 6. Si violans ſit Religioſus exemptus, incurrit Excommunicationem, ita Clem. 1. *de Sentent. Excommunicationis.* Tandem quivis præſumens ſepelire hominem interdictum denunciatum in loco ſacro, vel alios in loco interdicto, etiam incurrit Excommunicationem. Ex Clem. 1. *De ſepulturis.*

20. *Interdictum generale præſupponit ſemper peccatum mortale.*

DICO decimòquartò: Ut Interdictum tam perſonale totale, quàm locale Generale legitimè feratur, debet præcedere culpa mortalis. Ita Avila diſp. 3. dub. 2. Sà verbo *Interdictum*, Laym. Suar. &c.

Probatur: Quia debet eſſe commenſuratio inter pœnam gravem, qualis eſt Interdictum totale perſonale, & culpam: ergo, &c.

21. *Non item particulare perſonale.*

NOTA tamen ſeptimò: Interdictum particulare perſonale ab una tantum re, v. g. à Communione, vel ingreſſu Eccleſiæ ad tempus, ferri poſſe ob ſolum veniale: ut habet Laym: Tract. 5. p. 2. & alij Doctores.

22. *Ob ſola debita pecuniaria, non eſt licitum interdicta ſtatuere.*

DICO decimòquintò: Abſque Papæ licentia non poteſt interdici integra Provincia, Villa, Caſtrum, Locus, vel Territorium, propter ſolum pecuniarium debitum. Ita Canoniſtæ, & Summiſtæ communiter.

Probatur: Quia ita providetur in Extravag. *Provide; de Sententia Excommunicationis.*

Circa abſolutionem ab Interdicto, vide reſoluta ſupra diſt. 1. q. 5.

23. *Ceſſatio à Divinis quid ſit?*

NOTA octavò: Interdicto locali multum aſſimilari *Ceſſationem à Divinis*, quæ eſt *quædam deſiſtentia à Divinis Officijs, & Adminiſtratione Sacramentorum, nata ex ſimplici prohibitione.* Differt tamen ab eo, quòd Ceſſatio non ſit pœna, ſed ſimplex tantùm prohibitio, quàm aſſvevit Eccleſia inſtar planctûs, & ſigni graviſſimi doloris, ob graviſſimam ſibi, aut honori Divino illatam injuriam aſſumere. Inſuper violans Ceſſationem hujuſmodi, non fit irregularis, ſicut violans Interdictum. Quare ſi neceſſitas ſit adminiſtrandi Sacramenta, poſſunt abſolutè adminiſtrari abſque ulla culpa vel pœna non obſtante Ceſſatione à Divinis.

QVÆSTIO IX.

De Degradatione, Depoſitione, & Infamia.

1. *Deſcriptio Depoſitionis.*

DICO primò: Depoſitio benè deſcribitur, quòd *ſit pœna Eccleſiaſtica removens perſonam Eccleſiaſticam ob enorme crimen, ab ordine, omni juriſdictione, & beneficio Clericali in perpetuum, retentô ſolô Canonis, & fori Privilegiô.* Coincidit cum communi Doctorum.

Eſt autem Canonis, & fori Privilegium hoc, quòd non poſſint ei injici violentæ manus, nec poſſit trahi ad forum ſæculare pro Sententia aliqua infligenda.

Probatur: Quia conſtat genere, & differentiâ, cæteriſque ſimuliſticis conditionibus debitæ deſcriptionis: ergo, &c.

2. *Referuntur crimina depoſitionis.*

NOTA autem primò: Crimina enormia ſufficientia ad Depoſitionem numerari ſequentia ab Authoribus, Homicidium, furtum, perjurium, adulterium, violentum ſtuprum Virginis, inceſtum, &c. Ita Doctores in cap. *Si Clerici.*

3. *Degradatio definitur.*

DICO ſecundò: Degradatio benè definitur: quòd *ſit pœna Eccleſiaſtica, amovens Clericum ab omni gradu Clericali & Privilegio etiam Canonis ac Fori in perpetuum, ob atrociſſimum, & graviſſimum crimen.* Ita Doctores, & Gloſſa in cap. 2. *de Pœnis.*

Probatur: Quia eſt tradita juxta Regulas bonæ definitionis: ergo, &c.

4. *Crimina degradationis adducuntur.*

NOTA ſecundò: Atrociſſima crimina, ſufficientia ad infligendam Degradationem eſſe: Hæreſim, Schiſma, Falſificationem Litterarum Apoſtolicarum, Calumniam gravem, Sodomiam frequentatam, & ſimilia.

5. *Degradatum poteſt liberè incarcerari à poteſtate Laica.*

Ex Concluſione infertur; quòd Degradatus ſicut alius Laicus poſſit à Judice ſæculari capi, incarcerari, & occidi ſinè periculo incurſûs Excommunicationis, quæ habetur in Canone, *Si quis ſuadente.*

6. *Solemnitates Degradationum.*

NOTA tertiò: Ad Epiſcopi Depoſitionem, præter Metropolitam, requiri duodecim Epiſcopos ad ferendam ſententiam. Ad Sacerdotis ſex, præter proprium Epiſcopum: ùt habet Abbas in cap. *Non poteſt, de re judicata.* Ad Diaconi, & Subdiaconi tres, ùt habetur 15. qu. 7. & alibi: Si non ſit in ſacris, ſufficit Epiſcopus cum Capitulo, ùt habet Sylv. verbo *Degradatio*, Panorm. &c. Ex diſpoſitione autem Tridentini ſeſſ. 13. c. 4. *de Reform.* in defectu Epiſcoporum poſſunt ſubſtitui aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, aliquâ dignitate præfulgentes.

7. *Definitio Infamiæ.*

DICO tertiò: Infamia benè deſcribitur;

tur: *Est status læsæ dignitatis, vitâ, & moribus reprobatus.*

Probatur: Quia constat omnibus essentialiter concurrentibus ad bonam definitionem; ergo, &c.

8. Infamia alia Iuris alia Facti.

Nota quartò: Infamiam aliam esse *Iuris*, aliam *facti*: *Iuris* est, quæ incurritur ob aliqua delicta atrocia, quibus Jura absque Sententia Judicis infamiam inurunt reo. *Facti*, quæ incurritur in opinione prudentum ex commisso publico crimine, lædente famam.

9. Crimina quæ infamiam merentur, recensentur.

Nota quintò: Quoad crimina atrocia, ob quæ Jura Infamiam reo inurunt absque Sententia, esse sequentia, si publica sint: lenocinium, sponsalia cum duabus, usuræ publicæ, crimen læsæ Majestatis, hostilis persecutio Cardinalium, perjurium, ignominiosa exauctoratio militis ob crimen commissum; si quis operas suas locet, ut cum bestijs pugnet, Hæresis, vel Apostasia notoria, raptus mulieris, sodomia, duellatio, & patrocinium ad hanc.

Alia sunt, quæ ex Judicis tantùm sententia infamant, factò processu: ut homicidium adulterium, proditio, falsum, rapina, furtum, injuriæ graves, & dolus mali.

Quoad *effectus* infamiæ tam Juris, quàm facti

10. Infamibus non patent porta dignitatum.

DICO quartò: Infames ad dignitates admitti non possunt. Ita Legistæ omnes.

Probatur: Quia ita loquitur L. un. C. *de Infamibus*. Et cap. *Inter Dilectos*, *de Excessibus Prælatorum*: Unde & dicit Regula 87. Juris in 6. *Infamibus portæ non pateant dignitatum*: ergo, &c.

11. Nec possunt actus legitimos exercere in Republ.

DICO quintò: Infamia repellit ab actibus legitimis, & publicis muneribus Judicis, Assessoris, causarum Patroni, Accusatoris, & testis. Ita ijdem DD.

Probatur ex dispositione cap. *Licet*, & cap. *Testimonium*, de Testibus; ergo, &c.

12. Infames sunt Irregulares.

DICO sextò: Infamia etiam inducit Irregularitatem. Est pariter communis apud Canonistas.

Probatur ex cap. *Infames*, *de accusat*. & alijs Juris Canonici capitibus: ergo, &c.

13. Infamia Iuris aufertur Principis favore.

DICO septimò: Infamia Juris tollitur per solam dispensationem Principis, cujus authoritate infamia fuit lata.

Probatur: Quia habet rationem pœnæ sententialis, quæ à solo Judice tollitur, cùm ejusdem sit ligare, & solvere: ergo, &c.

14. Quo facti tollatur infamia facti.

DICO octavò: Infamia facti tollitur per factum contrarium, id est, per publicam, & constantem vitæ emendationem. Ita Brug. Tract. 21. c. 3. & alij DD.

Probatur: Authoritate Sancti Chrysostomi, allatâ in c. *Nunquam* dist. 56. *Ad meliora conversum* (inquit Sanctus Pater citatus) *nequaquam vita commaculat*: ergo, &c. Vide plura hac de re apud Canonistas, & Summistas, Covarruviam, Navarrum, Barbosam, Conink, & cæteros Doctores.

DISTINCTIO III.

DE IRREGVLARITATE.

QVÆSTIO I.

De Irregularitate in Genere.

1. Irregularitatis Definitio.

DICO primò: Benè definitur Irregularitas: Quòd sit *impedimentum Canonicum per se primò impediens susceptionem Ecclesiasticorum Ordinum, secundariò verò, & consequenter eorum usum.* Est communis Canonistarum, & Theologorum.

Probatur ex bonitate conditionum requisitarum ad exactam definitionem: ergo, &c. Ly *impedimentum* est genus: ly *Canonicum* est una differentia ejus: dicitúrque talis, quia à Canonibus Irregularitas est introducta. Additur *per se primò impediens susceptionem Ordinum*, ad differentiam Censurarum, v.g. Excommunicationis, &c. quæ usum Ordinum, & susceptionem non impediunt directè per se. Dicitur *Secundariò verò, & consequenter eorum usum*: quia Irregularitas est moralis inhabilitas ad Ordinem exequendum, propter aliquem defectum, vel maculam, cùm deceat eos, qui Ministerio Altaris deputantur, tam corpore, quàm animo esse integros, puros, & immaculatos, ut habet Innocentius cap. *Ad audientiam*, *de homicidio*.

2. Irregularitas non aufert à Clerico Iurisdictionem simpliciter.

DICO secundò: Irregularitas non privat Clericum jurisdictione validâ, licet is peccet eam practicando, quæ Ordinis actum requirit, ut si absolvat, &c. Ita communis cum Con. disp. 18. dub. 1. Suar. Brugnoli tract. 21. cap. 3. & cæteris AA.

Probatur: Quia nullo jure constat de hujusmodi privatione jurisdictionis, ergo, &c.

DICO

3. *Non impedit perceptionem fructuum.*

DICO tertiò: Nec privat Clericum fructibus beneficij, nec administratione, dummodò officium saltèm per Vicarium administret. Ita Navar. c. 27. Filiuc. in cap. *Inquisit. de accusat.*

Probatur ex communi sensu Doctorum in cap. *Cum nostris, de concess. prabenda*. Debet tamen talis beneficiô privari juxta cap. *Ex litteris, De Excessibus Prælat.* Imò illud resignare, si brevi tempore dispensatio non speretur. Ita Brugnoli tract. 21. cap. 3. & alij Doctores.

4. *Valida sed illicitè confertur irregulari beneficium.*

DICO quartò: Collatio beneficij, facta irregulari, est illicita quidem, valida tamen. Ita Laym. tract. 5. p. 5. Navarrus, &c.

Probatur: Quia Jura nunquam irritant habent hujusmodi collationem: ergo, &c.

5. *Irregularitas totalis & partialis.*

NOTA deinde Divisiones Irregularitatis. Primò enim dividitur in *Totalem*, & *Partialem*. *Totalis* impedit à susceptione omnium ordinum, primæ tonsuræ, & exercitio suscepti ordinis: Talis est Irregularitas ex bigamia, vel homicidio orta. *Partialis* est: quæ aliquo tantùm Ordinis Ministerio, vel ascensu, ad illum v.g. ad Sacerdotium privat: Talis est quæ Diaconum, ob erutum sinistrum oculum, privat ascensu ad Sacerdotium.

6. *Aliæ irregularitatis divisiones.*

Secundò dividitur in Irregularitatem ex *Defectu*, & *ex delicto*. Prima descendit in varias species. In irregularitatem ex defectu Animæ, ex defectu Natalium, ex defectu Libertatis, Ætatis, item ex defectu Liberationis, ex defectu Sacramenti, ex defectu Lenitatis. Secunda pariter partitur in illam, quæ oritur ex infamia, ex iteratione Baptismi, ex indebita susceptione, vel usu ordinis, ex actu infidelitatis, ex homicidio voluntario illicito, &c. Singula breviter examinabo ad limam Juris in sequentibus. Unde sit

QVÆSTIO II.

De Irregularitate ex Defectu Animæ, Corporis, Natalium, Libertatis, Liberationis, ac Lenitatis.

1. *Carens ratione & litteris est irregularis.*

DICO primò: Destituti totaliter usu rationis, & penitùs illiterati, sunt irregulares, & inepti ad suscipiendos ordines. Ita communis cum Navarro. c. 27. n. 205. Filliucius tract. 19. c. 7. Tolet. &c.

Probatur: Qui nequit exercere Ordines, est inhabilis pariter ad eos recipiendos, & consequenter Irregularis, sed specificati in Conclusione nequeunt exercere Ordines, ergo, &c.

2. *Item à Mahumetanis & Iudæis originatus.*

DICO secundò: Conversi recenter ex secta Mahomerana, Ethnica, & Judaica sunt irregulares. Ita S. Ambrosius Epist. 82. relatus in cap. *Neophytus* dist. 61. & communis Canonistarum, ac Theologorum.

Probatur: Quia hanc Irregularitatem expressè Ecclesia cit. cap. induxit, *Ne Neophytus*, ut ait D. Paulus 1. ad Tim. 3. *elatus in superbiam, in laqueum incidat Diaboli*; ergo, &c.

3. *Etiam corpore vitiati sunt irregulares.*

DICO tertiò: Quivis defectus corporis, impediens congruum exercitium ordinis, vel notabiliter ac cum humano horrore difformans corpus, facit illum habentem Irregularem. Est communis Canonistarum, & Summistarum.

4. *Proferuntur irregulares ob corporis defectum.*

Probatur ex cap. *De corpore vitiatis*. Et ex cap. *Presbyterum, de Clerico ægrotante*. Itaque de primo cap. *de corpore vitiatis* sequentes sunt Irregulares. *Primò*, cui deest Nasus. *Secundò*: Qui nequit gradi, aut stare. *Tertiò*: Qui caret oculô sinistrô Canonicô. *Quartò*: Surdus utrâque aure. *Quintò*: Carens pollicibus, aut indicibus digitis. *Sextò*: Carens brachiô, vel manu, & similes considerabiles carentias physicas naturales membrorum habentes.

5. *Alij irregulares ob vitium Corporis.*

Ex cap. altero *Presbyterum*, ob notabilem difformitatem sunt irregulares sequentes. *Primò*: Cui aures, vel nares sunt abscissæ, nisi capillaturâ cooperiri possint. *Secundò*: Habens duo capita. *Tertiò*: Dentes habens prominentes extra os. *Quartò*: Ligatus linguâ, vel ita præceps, ut intelligi nequeat. *Quintò*: Habens labia penitus corrosa. *Sextò*: Habens faciem ustulatam, & difformem gibbum. *Septimò*: Hermaphroditus, & similes difformitates physicas habentes. Ita Doctores communiter.

6. *Item alij irregulares ob varios morbos.*

Ex utroque & Doctorum sensu præterea sunt irregulares. *Primò*: Febri continuâ, vel ingenti capitis dolore laborantes, si adsit periculum irreverentiæ committendæ. Ita Hugol. c. 54. §. 1. Suar. Brug. &c. *Secundò*: Laborantes morbo gallico, foris apparente cum horrore, affecti paralysi, leprâ, apoplexiâ, scabie nimiâ, peste, phrenesi, epilepsiâ, morbo arreptitio, seu Dæmoniaci, & Lunatici. Ita Laym. tract. 5. p. 5. c. 7. Brug. tract. 21. c. 4. &c.

7. *Recensentur nonnulli defectuosi qui non sunt irregulares.*

Non sunt autem Irregulares: *Primò*: Qui carent aliquô membrô occultô, v. g. genitalibus, sine propria culpa ablatis, ut habet cap. *Si quis à Medicis*, nec tenetur quis tale membrum pulverizatum secum portare, ut vulgus opinatur. Si tamen quis sibi

Mmmm abscin-

debent à Papa absolvi. Ita cap. *Quicunque*, de *Sent. Excommun*: in 6.

9. Inquisitores inferiores Episcopis, qui ex odio, vel amore lucri, aut commodi, contra justitiam, & conscientiam omiserint procedere contra aliquem de pravitate Hæretica accusatum. Ita Clem. *Multorum*, de *Heret:*

10. Religiosi administrantes Extremam Unctionem, vel Eucharistiam in articulo mortis, nisi urgeat necessitas. Item Solemnizantes Matrimonium sinè licentia Parochi: Item absolventes ab Excommunicatione Juris, præterquam in casibus à Jure, vel per Privilegium concessis: Item absolventes quoad culpam, & pœnam simul à Sententijs per Synodalia Statuta promulgatis. Ita Clem. *Religiof: de Privil:*

11. Religiosi, aut Clerici temerè inducentes aliquem ad jurandum, de eligenda Sepultura, vel electa non mutanda. Ita Clem: *Cupientes* de *Præmis:*

12. Omnes Domini temporales, qui, vel cogunt in loco interdicto Divina celebrare, vel qui per vocem præconis, aut sonitum Campanæ, convocant populum ad audienda Divina in tali loco: vel qui prohibent, ne Excommunicati, aut Interdicti ab Ecclesia, dum Divina celebrantur, ejiciantur: vel si ipsi sint Excommunicati, aut Interdicti, & à celebrantibus exire moniti, remaneant nihilominùs. Ita Clem: *Gravis*, de *Sent. Excom:*

13. Exenterantes mortuos, aut in frusta concidentes, aut in aquis coquentes, eo fine præcisè, ut ossa deferant, & sepeliant in alio loco. Ita Extrav: prima Bonifacij VIII. de *Sepulturis*, si autem alij fines, quàm tumulationis in alieno loco, adsint, non incurritur hæc Excommunicatio.

14. Omnes singulares personæ, qui dant, vel accipiunt aliquid temporale pro ingressu Religionis, excipe nisi paupertas, vel necessitas Monasterij exigat aliquid simile per modum oblationis. Ita Extravag. Urb: IV. de *Simonia*.

15. Simoniaci reales in ordine & beneficio. Ita Extrav. 2. de *Simonia*.

16. Mendicantes sinè licentia Papæ transeuntes ad non Mendicantes, præterquam ad Carthusianos. Ita Extrav. 1. Martini IV. de *Regul.*

17. Excommunicantes, vel damnantes hæresis eos, qui negant Beatam Virginem esse in Originali peccato conceptam, vel è converso. Ita Extrav: Sixti IV. *Grave nimis*.

18. Qui pro justitia, vel gratia acquirenda, vel obtinenda apud Sedem Apostolicam permittunt, dant, vel accipiunt aliquid. Ita Extravagans Bonifacij VIII. *Excommunicamus*, &c.

19. Absolventes à voto peregrinationis in Hierusalem, Romam, & Compostellam: item Religionis, & Castitatis. Ita Extrav: quædam Sixti IV. *Etsi Dominici.*

20. Procurantes fraudulenter alienationes Ecclesiarum, in earum detrimentum. Ita Paulus II. Bulla, *Cum in omnibus.*

21. Procurans Sede Vacante eligi in Summum Pontificem. Ita Leo X. in Concil: Later· sess. 5.

22. Clerici Episcopo inferiores, non adimplentes juramentum de residendo in suis Ecclesijs Parochialibus certo tempore. Ita Pius IV. Bulla, *Inter multiplices*.

23. Accipientes, vel retinentes apertè, vel occultè Beneficia Ecclesiastica ob confidentiam, quod ei postea dabuntur. Ita Pius V. Bulla, *Intolerabilis.*

24. Præsumentes absolvere à Casibus Papalibus, vel Bullæ Cœnæ, prætextu Privilegiorum, aut Indultorum (intellige malè Fundatorum.) Ita Extrav. Sixti IV. *Etsi Dominic.* Imò & absolventes malitiosè à Casibus Ordinarij. Ita Clem. VIII.

25. Moniales exeuntes à Claustro absque licentia. Ita Pius V. Bulla, *Decori.*

26. Superiores Regularium, qui Religiosos suos de hæresi suspectos non denunciaverunt Inquisitoribus, vel Ordinarijs Locorum. Ita Pius V. Bulla, *Romanum Pontificem.*

27. Fratres Minores subornantes in Electionibus, vel procurantes favorem extra ordinem pro officio in Religione obtinendo. Ita Pius V. Bulla. *Pastoralis.*

28. Duellantes, & Patrini. Ita Trid: sess. 25. de *Reform.* & Clem. VIII.

NOTA: Plures alias esse Excommunicationes, quæ tamen non sunt usu firmatæ, vel quia incertæ, vel quia ignotæ, & Corpori Juris necdum insertæ, & non ubique publicatæ, vel quia sunt aliquibus personis, vel Religiosis speciales: quas hîc consultò omitto: videri autem possunt apud Silvestrum, Filiucium, Cajetanum, & in Bullario novo.

Excommunicationes Bullæ Cœnæ.

1. Quid Bulla Cœnæ, & ejus origo.

NOTA: Bullam Cœnæ esse illam Bullam, quæ in die Cœnæ Domini quotannis renovatur. Habet autem Originem à Clemente V. 1315. A Censuris in ea contentis solus Romanus Pontifex, vel ejus specialis Delegatus absolvere potest, extra articulum mortis. Episcopi tamen, maximè in partibus remotis ab Urbe, concurrentibus Circumstantijs specificatis dist. 1. qu. 5. *Hujus Tra-*

ctatus

2. *Quis à Casibus Bullæ Cœnæ absolvere possit.*

ftatùs etiam ab eis absolvere valent Jure Delegationis: ùt habet Henriq: Bannes. Rodriq. Sanch. Excommunicationes ejus solitæ, sunt sequentes.

1. Excommunicantur Hæretici, Apostatæ à Fide, receptores, fautores, & defensores Hæreticorum, legentes eorum Libros de Religione tractantes, imprimentes, defendentes, & Schismatici.

2. Appellantes à Sententijs, & mandatis Summi Pontificis ad futurum Concilium Generale.

3. Pyratæ, seu Cursores maritimi, eorúmque fautores, &c.

4. Rapientes bona naufragantium Christianorum, ubivis terrarum.

5. Imponentes nova Pædagia & Gabellas, præter habentes authoritatem ad hoc, ut sunt Imperat: Reges, & Principes absoluti in terris suis.

6. Falsificantes Litteras Apostolicas.

7. Deferentes arma, & alia usui Bellico idonea, ad Infideles Ethnicos, aut alios Ecclesiæ hostes.

8. Impedientes eos, qui victualia aut alia necessaria Romam vehunt.

9. Afficientes injurijs eos, qui accedunt ad Sedem Apostolicam.

10. Vexantes Romipetas.

11. Offendentes Cardinales, & Ecclesiæ Prælatos.

12. Offendentes eos, qui ad Romanam Curiam accedunt pro negotijs.

13. Appellantes à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad Laicam potestatem.

14. Officiales, & alij, qui causas Ecclesiasticas avocant à Judicibus Ecclesiasticis.

15. Judices Sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt.

16. Impedientes Prælatos, ne Jurisdictione suâ Ecclesiasticâ utantur.

17. Usurpantes Jurisdictionem Sedis Apostolicæ, aliarúmque Ecclesiarum, & fructuum sequestrationis.

18. Imponentes Decimas, & alia onera Personis Ecclesiasticis.

19. Judices Sæculares, qui in causis capitalibus Clericorum sese interponunt.

20. Occupantes Bona, & terras Ecclesiæ Romanæ, & supremam Jurisdictionem in illis usurpantes.

QUÆSTIO V.

Elucidatur Solemnis Excommunicatio Papæ reservata: *Si quis suadente Diabolo, &c.*

1. *Privilegium Canonis per extensum.*

INnocentius Papa II. edidit Canonem 17. q. 4. in Concil: Later: cap. 15. continentem Excommunicationem reservatam Papæ sequentis tenoris: *Si quis suadente Diabolo, in Clericum, vel Monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum præsumat illum absolvere; nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Explicantur singulæ partes.

2. *Explicatur ly si quis.*

Ly *si quis*, terminatur ad omnia individua sexûs masculini, & fœminini, cujuscunque ordinis, gradus & dignitatis, etiam si Ecclesiasticæ sint, si aliunde Excommunicationis sint capacia, ita resolvit Molina Tract: 5. disp. 51. Layman, &c.

3. *Elucidatur ly in Clericum.*

Ly *in Clericum*, comprehendit Clericum, etiam tantùm tonsuratum, exceptis sequentibus, uti habetur in cap. *Cùm contingat, de ætate & qualitate ordinandorum.* Comprehendit etiam Clericum mortuum, ùt habet Abbas in cap. *à nobis*, de *Sentent. Excommunic:* Cùm & huic injuria fieri possit in corpore.

4. *Aliquibus Clericis Privilegium Canonis non favet.*

NOTA autem: Hoc Privilegium non favere Clericis omnibus.

Primò *Clericis Bigamis* non favet: hi enim omni Privilegio Clericali dicuntur nudati, cap. unic. de *Bigamis* in 6. Unde percutiens talem non excommunicatur.

Secundò: Pariter non favet *Clericis Conjugatis*, etsi bigami non sint, nisi tonsuram, & habitum Clericalem gestantes alicui Ecclesiæ serviant. Habetur cap. ult: *de Clericis Conjugatis* Et in Trid. sess: 23. c. 6. de *Refor:*

Tertiò: nec favet etiam *Clericis Hæreticis & Schismaticis*, ùt habet Casterioa, Decianus, Porrel, &c.

Quartò: Non favet *Clericis, immiscentibus se enormitatibus*, v. g. seditioni, prælio, aggressioni, & hujusmodi. Ita cap. *perpendimus.*

Quintò: Nec *Clericis* etiam Majorum Ordinum, *qui dimisso habitu negotijs sæcularibus se immiscent*, si tertiò ab Episcopo moniti se emendare contempserint. Ita cap. *contingit*, de *Sentent. Excommunic.*

Sextò: Neque Clericis *ante Baptismu* suscipientibus Ordinas, ùt habet Brug. tract. 2. c. 2.

Septi-

Septimò: Neque *Clericis coactè ordinatis cum conditione, ut postea ordinationem ratificent.* Ita Ant. 3. part. tit. 2. cap. 1. Sayrus, Sylvester, &c.

Octavò: Non favet *Clericis per annum exercentibus artem ignominiosam mimi, vel histrionis.* Ita cap. unic. de *vita, & honestate Clericorum.* Nec *exercentibus Officium Laniona, aut Cauponis* post admonitionem Episcopi, ùt habet Clem. 1. de *vita, & honestate Clericorum.*

5. *Explanatur ly in Monachum.* Ly *vel Monachum*, complectitur Religiosos utriusque sexûs sequentes.

Primò: Omnes *Professos* etiam FF. Laicos, Conversos, & Conversas in approbata Religione. Patet ex cap. *Non dubium de Sentent: Excommunic.*

Secundò: Etiam Professos, qui in sæculo erant bigami, ùt habet Archi-diaconus in cap. *Quisquis*, dist. 84. Brug. &c.

Tertiò: Novitios approbatæ Religionis: constat ex cap. *Religioso, de Sent. Excommunic:*

Quartò: Tertiarios, & Tertiarias cujuscunque Ordinis Regularis, collegialiter viventes, seu cum Claustralibus degentes: etiam Mulieres, quæ emisso expresso voto cælibatûs, in habitu alicujus Ordinis vivont, Ita Leo X. in Bulla, *Ea, quæ per Sedem.*

Quintò: Eremitæ, qui emisso voto paupertatis in aliqua Congregatione, sub aliquo Prælato vivunt stabiliter: Secùs dicendum de vagis. Ita Glossa in cap. *Qui verè* 16. q. 1.

Sextò: Equites S. Joannis Hierosolymitani, S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, S. Lazari in Sabaudia, S. Stephani Florentiæ, & similes, qui tria vota Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ emiserunt, & io communi vivunt, aut si non sic vivant, tamen communicata sint eis Privilegia Clericalia, cujusmodi videntur esse Melitenses, & Teutonici Equites. Ita Navarrus cons. 10. *de Regul.* Alterius, Hugolin. Bonac. &c.

6. *Ly suadente Diabolo enucleatur.* Ly *suadente Diabolo*, postulat ad incurrendam hanc Excommunicationem gravem injuriam, mortale peccatum, & externam actionem injuriosam. Ratio est: quia secundùm Doctores, Ecclesiastici Canones ordinati pro Ecclesiastica Disciplina externa, plerumque solent tantùm punire graves excessus, mortales, & externos, licèt etiam possint ferri in internos.

7. *Ly Manus violentas discutitur.* Ly *Manus violentas* comprehendit quamvis contumeliosam, & injuriosam actionem externam circa Clericum consummatam, sivè immediata sit, sivè mediata, unde excommunicantur sequentes.

Primò: Detinentes Clericum in publica custodia, vel alio loco, unde exire nequeat. Ita communis Canonistarum.

Secundò: Qui occidit Clericum cibo, vel potu intoxicato. Ita Molina, Barbosa, Bonacin: d. 2. q. 3. puncto. 6. sect. 1.

Tertiò: Verberans Clericum, etiam consentientem, in satisfactionem commissi delicti. Ita cap. *Contingit.* 1. *De Sent. Excommunic:* Hic enim fit injuria Ecclesiæ: Unde Clericus non potest consentire in talem verberationem sui.

Quartò: Clericus sibi ipsi verbera graviter infligendo, animo irato. Ita Navarrus, & Clarus §. *finali*, qu. 77. num. 3. cum aliis.

Quintò: Violenter extorquens rem aliquam, positam in manibus, vel corpore Clerici: vel eundem conspergens aquâ, pulvere, lapillis, vel ita persequens, ut in flumen, vel fossam labatur: injiciens manus in equum, cui Clericus insidet, occidens, vulnerans, mutilans, aut retento frænô sistens equum eundem: & similia faciens, quæ in contumeliam manifestam Clerici, & læsionem injuriosam honoris debiti Clerico vergunt. Ita deducitur ex cap. *Nuper*, de *Sent. Excommunic.* & docent communiter DD. post Suar: Laym: Brug: &c.

Sextò: Consulentes & mandantes, ut violentæ manus injiciantur Clerico insonti, nisi hi efficaciter & seriò retractaverint mandatum, & consilium ante opus executum. Similiter incidunt non prohibentes, si ex officio aliàs teneantur: etiam ratam habentes percussionem suo nomine factam excommunicantur. Ita Suar: Laym: Navarrus, & Brug: tract. 2. cap. 2. Et deducitur ex cap. *Mulieres* §. ult: & cap. *Quanta*, de *Sentent. Excommunic.*

8. *Quinam excusentur ab incursu Canonis: si quis suadente, &c.* Nota: Ab incursu hujus Excommunicationis excusari sequentes.

Primò: Excusantur pueri percutientes Clericum, non habentes adhuc judicium ad peccandum. Ita Henriq. Farinacius, & Navarrus cap. 27. n. 76.

Secundò: Non baptizatus percutiens Clericum. Colligitur ex cap. *Postulasti qualiter, de Judæis & Saracenis*

Tertiò: Percutiens Clericum vestitum laicâ veste, & non deferentem tonsuram, probabiliter putans eum esse Laicum. Constat ex cap. *Si verò*, 2. vel putans eum esse inimicum suum sæcularem. Ita Covarr: Bonac. Sayr. lib. 3. cap. 27. num. 2.

Quartò: Volens percutere Petrum Laicum, sed aberrat ictus, & infligitur Joanni Clerico. Ita Suar: disp. 22. sect. 1. Ægidius, &c.

Quintò: Percutiens Clericum aggressorem sui, vel alieni corporis, servato tamen

tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Constat ex cap. *Si verò, de Sent. Excommunicationis.*

Sextò: Percutiens Clericum, quem invenit cum propria Uxore, Matre, Cognata, Filia, vel Affine, turpiter se gerentem, per oscula, & turpes tactus, vel ipsum actum carnalem exercentem; Secùs si cum aliena fœmina. Deducitur ex cap. *si verò*, tenétque Glossa, & Hostiensis in summa lib. 2. tit: *de Sentent. Excommunic.*

Septimò: Mulier ob defensionem castitatis, & honoris, colaphizans vel aliqualiter verberans Clericum, osculantem vel tangentem inhonestè, modò servet moderamen in defensione. Ita Navarrus cap. 27. num. 85. Suar: Laym: Brug: &c.

Octavò: Magister, Pater, & Superior causâ correctionis leviter sinè odio percutiens Clericum. Ita Abbas, Suar. Laym. Brug. tract. 2. c. 2. & deducitur ex cap. *Ex tenore*, 1. & alijs.

Nonò: Mittens manum in Clericum, de mandato, sui Superioris eum capiendo. Habetur cap. *Ut famæ*, de *Sentent. Excommunicationis.*

Decimò: Exorcista verberans leviter Clericum obsessum à Dæmone, in contemptum Dæmonis. Ita Brug. loc. cit:

Undecimò: Apprehendentes, & detinentes Clericum, in flagranti deprehensum, & tentantem fugam, dummodò eum statim debito Superiori consignent. Ita cap. *si verò*, Abbas Mennchius, Hostiensis, &c.

Duodecimò: Percutiens Clericum joco, sinè indignatione, vel inimicitia. Ita Glossa verbo *de familia*, in cap: *Cùm voluntariè*, Hostiensis, de Graffijs, &c. Item percutiens absque deliberatione, seu ex motu primo, dummodò retrahat manum, quando advertit se errare. Ita Barbosa lib. 3. c. 39. n. 63. Brug. loco cit. Idem est de percutiente cum imperfectione actûs, non pertingentis ad culpam mortalem, ùt habet Suar. disp. 22. sect. 1. n. 23. & alij DD.

9. *Quid operetur ly ut nullus Episcoporum, &c.*

Ly tandem *Ut nullus Episcoporum ipsum absolvere præsumat*, &c. Ostendit Censuram hanc Papæ esse reservatam, quod intelligendum est, si notoria sit, & enormis: si enim occulta sit, & non enormis potest Episcopus ab ea absolvere. Colligitur ex cap. *Pervenit*, & Trid. sess. 24. cap. 6.

10. *Quæ sit levis percussio.*

NOTA autem: Censeri levem percussionem illam, quæ fit pugno, palmâ, pede, digito, baculo, vel lapide, nullam relinquens maculam, suggillationem carnis, & quæ fit absque abscissione membri, sinè effractione dentis, vel evulsione multorum capillorum, & sinè multi sanguinis effusione.

11. *Et quæ enormis percussio.*

Enormis erit *primò*; Quia intulit mortem, mutilationem membri, effossionem oculi, magnam sanguinis effusionem ex vulnere. *Secundò*: Quæ fuit commissa in Episcopum, Abbatem, vel Superiorem Monasterij, in Sacerdotem vestibus sacris indutum, pariter si Monachus percutiat Clericum sæcularem, ratione scandali, si percussio fiat in præsentia Prælati, vel Judicis, si in Ecclesia tempore magnæ solemnitatis, publicè, &c. Ita Brug. tract. 2. c. 2. Saytus, Astensis, &c.

QUÆSTIO VI.

De Suspensione.

1. *Definitio suspensionis.*

DICO primò: Suspensio rectè definitur, quòd sit, *Pœna spiritualis privans Clericum aliqua potestate, vel Iure Ecclesiastico, per ordinem ad salutem.*

Probatur: Quia constat omnibus requisitis conditionibus exactæ definitionis: ergo, &c. Ly *Pœna spiritualis*, est genus: reliqua sunt differentiæ suspensionis ab omnibus alijs pœnis. Nec eget explicatione; sub ly *potestate* continetur exercitium ordinis, vel Jurisdictionis. Sub ly *Iure Ecclesiastico*, Jus ad beneficium.

2. *Quadam suspensionis divisiones adducuntur.*

NOTA deinde primò: Suspensionem aliam esse à Jure, aliam ab homine latam. Item aliam esse ferendæ, aliam latæ sententiæ. Item aliam esse totalem, id est, ab Ordinibus seu Officio, Beneficio, & Jurisdictione simul. Aliam partialem, id est, ab uno tantùm Ordine, vel Beneficio, vel ab Officio. Alia iterum est à toto Officio, vel Beneficio: Alia tantùm à parte ejus. Alia est lata cum determinatione temporali, alia sinè ea.

3. *Quando censeatur esse suspensio totalis.*

NOTA secundò; Suspensionem censendam esse ab Officio, Jurisdictione, & Beneficio simul, si lata sit terminis absolutis indefinitis: ùt habet Henriq. lib. 13. c. 32. Her: disp. 6. q. 3. Con. &c. Ratio est: quia ex sermonis usu propositio indefinita, ob suam indifferentiam, æquivalet universali.

NOTA tertiò: Nullam extare determinatam formam suspensionis in Jure: debet tamen ferri in scriptis cum causæ expressione, sicut excommunicatio, aliàs Judex Ecclesiasticus ipsemet incurrit suspensionem: ùt habet cap. 1. *de Sentent. Excommunicationis.*

4. *Suspensio vera præsupponit peccatum.*

DICO secundò: Ut suspensio feratur legitimè, debet præsupponere peccatum proprium. Ita Avila p. 3. disp. 3. dub. 2. Suar. disp. 28. sect. 4. Layman, Navarrus, &c.

Kkkk Proba-

Probatur: Suspeosio est pœna rigorosa: talis autem præsupponit culpam in eo, qui punitur. argm. c. 2. *de Constit.* ergo, &c.

5. Quod debet esse mortale.

DICO tertiò: Peccatum quod dat causam Suspensioni, communiter debet esse mortale. Ita Conink disp. 15. dub. 3. Conclus. 2. Henriq. c. 34. Avila, Layman, &c.

Probatur: Quia pœoa debet esse commensurata culpæ, sed Suspensio est pœna gravis: ergo, &c.

6. Suspensus arcetur ab omni actione Clericali.

DICO quartò: Suspensus absolutè arcetur ab omni actione Clericali propria Clericis: quales sunt omnes actiones Jurisdictionis Ecclesiasticæ, omne exercitium Ordinis, &c. Ita Henriq. disp. 6. qu. 3. & commuois.

Probatur: Quia hæc est natura Suspensionis absolutæ: & quia sic intendit suspendeos: ergo, &c.

7. Suspensus ab Ordine tantùm, quid agere valeat.

DICO quintò: Suspensus specialiter ab Ordine tantùm, potest omnes actus Jurisdictionis exercere, ubi Ordinis usus non iotervenit: Unde potest dare facultatem audiendi Confessiones, si Superior sit. Item eligendi Confessarium: potest eligere. &c. Ita Henriq. c. 32. n. 4 Nav. c. 27. n. 160. Hugol. Herincx, &c.

Probatur: Suspensio est odiosa, adeóque restringenda taotùm ad illa, â quibus expressè suspendit, salvâ potestate alia disparatè faciendi: ergo, &c.

8. Suspensus ab officio potest uti beneficio.

DICO sextò: Suspensus ab officio taotùm non suspenditur â Beneficio. Ita Palud. 4. d. 18. q. 7. Sayr. lib. 4. c. 5. & Hugol.

Probatur: Quia sunt pœnæ disparatæ, Suspensio ab officio, & Suspensio â Beneficio: potéstque una infligi, non alia. Sunt insuper odiosæ, & consequenter restringendæ: ergo, &c.

9. Suspensus â beneficio potest uti ordine & Jurisdictione.

DICO septimò: Suspensus similiter â Beneficio, non ideò suspenditur ab Officio, vel Jurisdictione. Unde potest eligere, & conferre beoeficia. Ita in cap. *Cum dilectus*, Glossa, Herincx, Conink, &c.

Probatur eâdem ratione, quâ prior Conclusio.

10. Absolutè suspensus â beneficio quid possit operari.

DICO octavò: Suspeosus absolutè â Beneficio, nec potest temporaliter administrare beneficium, oec fructus ejus percipere, potest tamen omnes distributiones percipere, quæ non dantur intuitu beneficij, v. g. stipendia pro Aoniversarijs, pro frequentatione Horarum, & similia: imò portionem aliquam congruam sustentationis, etiam ex ipso beneficio natam. Prima, & secunda pars est communis apud DD. Secundam tenet Herincx, disp. 6. q. 3. & alij AA.

Probatur prima, & secunda pars: Quia hoc operatur ipsa ratio suspensionis ex intentione suspendentis: ergo, &c. Tertia pars etiam patet, quia hujusmodi distributiones non spectant ad beneficium, â quo est Suspensio: ergò, &c.

11. Et quid suspensus â Jurisdictione tantùm?

DICO oonò: Suspeosus â Jurisdictione tantùm potest omnes actus Ordinis, seu Officij spiritualis exercere, non requirentes Jurisdictionem. Ita Suar. disp. 36. sect. 4. Cajetan. Navar. &c. Sic potest celebrare, in horis Canooicis Officiatorem agere, &c.

Probatur: Quia talis Suspensio est limitatæ naturæ: ergo non impedit ab alijs actionibus.

12. Ab omnibus suspensus nunquam potest exercere Ecclesiasticos actus.

DICO decimò: Suspensus ab officio, ordine, aut Jurisdictione, in nullo loco potest exercere ejusmodi actus Ecclesiasticos. Ita habet Glossa, Abbas, in cap. *Pastoralis* Hugolin: Navar. &c.

Probatur: Quia Censura quævis immediatè afficit censuratum, ideóque concomitatur eum extra territorium fereotis, & ùt loquitur Abbas: *Sequitur eum, sicut lepra leprosum*: ergo, &c.

QVÆSTIO VII.

Registrum Suspensionum usu firmatarum.

PLures sunt Suspensiones ab Ecclesia latæ pro conservatione Christianæ disciplinæ ioter Ecclesiasticas personas: sed sequentes tantùm passim â Doctoribus censentur esse de factò in vigore, & sparsim deprehenduntur in Jure, Concilijs, & Bullis. Primæ itaque sunt.

Contra Clericos.

1. Suspensiones contra Clericos recensentur.

Primò: Recipiens Ordines sacros scienter ab Episcopo Hæretico, Schismatico, Excommunicato, Suspenso, Deposito, Denunciato, Simoniaco, Pseudo-Episcopo, tolerato tamen, incurrit Suspeosionem ab usu Ordinum susceptorum, quousque dispensationem obtineat. Continetur in cap. 1. & 2. *de Schismat.* & cap. *Si quis â Simoniaco*, & alijs.

Secundò: Recipiens Sacros Ordines ab eo, qui renunciavit Episcopatui, vel ab alieno, sinè licentia proprij, vel â proprio in aliena Diœcesi, sinè licentia Diœcesani, suspenditur ab usu suscepti Ordinis. Ita cap. 1. *De Ordinatis ab Episcopo*: &c.

Tertiò: Suspenduntur ab usu susceptorum Ordinum: Recipientes Ordines aote legitimam ætatem, vel extra tempora sioè dispensatione, vel per saltum. Habetur in

Extra.

Extravag. Pij II. *Cum Sacrorum*: & Extrav. Sixti V. *Sanctum*. & cap. *unic*. de *Clerico per saltum promoto*.

Quartò: Recipientes Ordines post Matrimonium ratum, etiam non consummatum, suspenduntur ab usu Ordinum susceptorum, & ab officio, & beneficio. Ita Extravag. *Antiqua*.

Quintò: Ordinatus in Censura pariter suspenditur ab usu suscepti Ordinis. Ex cap: *Cùm illorum*, *de Sent: Excom*:

Sextò: Qui cum litteris dimissorijs Capituli Sede vacante, intra annum suscipit Ordines Sacros, nisi alioquin ratione beneficij recepti, vel recipiendi sit coäptatus, manet suspensus ab eis. Patet ex Tridentino sess. 23. cap. 8. de *Reformat*.

Septimò: Admittentes ad Divina, & sepulturam publicè excommunicatos, vel interdictos, suspenduntur, vel potiùs interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ. Per cap: *Episcoporum*. Item Publicos Vsurarios, sepellientes & dantes Eucharistiam eis, suspenduntur ab Ord: Ita cap. *quia*.

Octavò: Abutentes publicè vestibus virgatis seu variegatis, per sex menses à fructibus beneficij suspenduntur: per Clem. II, de *Vita & honest*: *Clericor*: Item alienis debitis gravantes Ecclesias sibi commissas: cap. *siquarundam* 2, *de solutionibus*. Occupantes bona Prælati defuncti, suspenduntur ab officio, & beneficio. Per cap. *quia sæpe*. Electores Episcoporum non præsentantes electiones Electo inter octo dies, suspenduntur per tres annos à beneficijs, per cap. *cupientes*. Compromissarij eligentes indignum in Episcopum, vel Curatum posthabitò dignò, suspenduntur etiam per tres Annos à beneficijs, per cap. *Cùm in cunctis*.

Nonò: Postulantes in Prælatum Cathedralem eum, qui prohibetur: & consentientes electioni per abusum sæcularis potestatis: per cap. *quisquis*, *de Elect*.

Decimò: Visitatores inferiores Episcopis, qui pro visitatione, aut debita procuratione, recipiunt pecuniam, aut alia munera, tales suspenduntur ab officio, vel beneficio, nisi acceptum intra mensem in duplum restituant. Habetur in cap. *Exigit*, de *Censibus* in 6.

Undecimò: Conferentes vel recipientes beneficia eorum, qui accesserunt Curiam Rom. vel serviunt in ea. Ita Extravag. 3. *de Privileg*. Isti suspenduntur ab officio & beneficio.

Duodecimò: Judices Conservatores, se intromittentes in alijs, quàm de manifestis injurijs. Ita cap. ult: *de Officio Delegatoris* in 6. Suspenduntur autem per annum ab officio.

Decimòtertiò: Facientes incompletas Missas, suspenduntur à perceptione Corporis, & Sanguinis Christi. Habetur cap. *Nullus*.

Decimòquartò: Celebrans, & non communicans: suspenditur per annum à Communione. Habetur cap. *Relatum*, *de Consecrat*.

Decimòquintò: Jurantes de tenendo Schismate, suspenduntur ab ordinibus, & dignitatibus: Per cap. 1. *Schismat*.

Decimòsextò: Celebrantes in loco interdicto, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ: per cap. *Episcoporum*.

Decimòseptimò: Disputantes de Conceptione B. Virginis MARIÆ, asserendo alterutram sententiam tanquàm de fide, vel contrariam hæresis condemnando, suspenduntur à Divinis, & privantur omni gradu, & dignitate: ex Bulla, Pij V. *super Specula*.

Decimòoctavò: Copulantes subditos alterius Parochiæ, suspenduntur ab officio per Tridentinum sess. 24. c. 1. *de Refor*.

Decimònonò: Judex ferens sententiam injuriosam, suspenditur uno anno ab officio: per cap. *Cùm æterni*.

Vigesimò: Judex Ecclesiasticus ferens Excommunicationem sine admonitione, & testibus, per mensem suspenditur ab ingressu Ecclesiæ: per cap. *Cùm Medicinalis*.

Suspensiones contra Episcopos.

X. *Suspensiones contra Episcopos adducuntur.*

Primò: Suspenditur à Pontificalibus & Potestate conferendi Ordines, Episcopus simoniacè ordinans: per Extrav: 1. & 2. *De Simonia*.

Secundò: Ordinantes solemniter pœnitentes, vel bigamos, suspenduntur per unum annum: per cap. *Nullus pœnitens*. d. 55.

Tertiò: Episcopus conferens eodem die, vel duobus, continuato jejunio, duos ordines sacros: est suspensus à collatione amborum, donec à Papa dispensetur: per cap. *Litteras*, *de Tempor. Ordinar*.

Quartò: Ordinans alienum sine licentia sui Ordinarij, suspenditur à Pontificalibus per Tridentinum, sess. 6. cap. 5. *de Reform*.

Quintò: Conferens primam tonsuram infanti, illiterato & conjugato, suspenditur per annum: per cap. *fin*. *nullus* de *temporibus ordinandorum*, nisi infans intret Religionem, ùt olim fiebat.

Sextò: Ordinans in aliena Diœcesi sine Ordinarij licentia, suspenditur à Pontificalibus, per Trid. sess. 14. cap. 2.

Septimò: Ordinans in alia Diœcesi, etiam cum licentia, Personas nec sibi, nec ordina-

dinario Dioecesis illius subjectas, suspenditur etiam à Pontificalibus, ex cit. Conc:

Octavò: Ordinans Religiosum non professum, suspensus est per annum à conferendis Ordinibus, ex Bulla Pij V. quam refert Navar. c. 22.

Nonò: Ordinans aliquem accepto ab eo juramento, vel promissione, quod non molestabit eum super aliqua promissione facienda ordinato, suspenditur per triennium à conferendo Ordine sacerdotali, per cap. *Si quis ordinaverit de Simonia* in 6.

Decimò: Ordinans Monachum sinè licentia sui Superioris, incurrit suspensionem à Communione aliorum Episcoporum, per cap. fin. dist. 58.

Undecimò: Non servans Constitutionem Conc. Lugdunensis cap. *Quamvis de Electione* in 6. qua prohibetur Ordinarijs, & alijs Personis Majoribus Episcopis, nè in causis spectantibus ad electionem Episcoporum se intromittant, postquàm appellatum est ad Sedem Apostolicam, aliàs suspenduntur per annum à Confirmatione, & consecratione: Ita cit. cap.

Duodecimò: Submittentes Laicis bona Ecclesiæ sinè consensu Summi Pontificis, nisi in casibus à jure permissis, suspenduntur ab administratione temporali bonorum suæ Ecclesiæ, & ab Officio. Ita cap. *Hoc consultissimo.*

Decimòtertiò: Occupantes bona Vacantium Ecclesiarum pertinentium ad earum provisionem, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ suæ. Ita cap. *præsenti.*

Decimòquartò: In alienatione bonorum Ecclesiasticorum male utentes delegatâ potestate, suspenduntur ab officio per annum: Ita Extravag. Pauli II. *Cum omnibus.*

Decimòquintò: Alienantes bona Ecclesiæ, Monasteriorum, & piorum locorum absque licentia Papæ. suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, & post sex menses non resipiscentes, suspenduntur ab administratione temporali, & spirituali: Ita cap. *Hoc consultissimo.*

Decimòsextò: Admittentes resignationes beneficiorum contra formam præscriptam à Pio V. Constit. 58. suspenduntur à præsentatione, electione, confirmatione, &c.

Decimòseptimò: Permittentes, ut Usurarij conducant domos in sua Dioecesi, suspenduntur ab officio, & beneficio: Ita cap. *Usuras.*

Decimòoctavò: Abutentes munere Inquisitionis in causa fidei, suspenduntur ab officio per triennium. Ita Clementina I. *Verum*, *de Hæreticis.*

Decimò nonò: Delinquentes contra Clericorum immunitates, faciendo ut Clerici capiantur à Dominis sæcularibus, & cogantur ad resignationem beneficij, vel Romam ire nequeant citati, suspenduntur à fructibus Ecclesiæ per tres annos: Ita Clementina II. *De pœnis.*

Vigesimò: Non servantes Extravagantem secundam *de Electione*, quoad perceptionem fructuum primi, & secundi anni, suspenduntur à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ. Ita Extravag. II. Joannis XXII.

Vigesimòprimò: Promoti à Sede Apostolica sinè litteris authenticis ejusdem: suspenduntur ab administratione fructuum Ecclesiæ. Ita Extravag. I. *de Electione.*

Vigesimòsecundò: Concubinarij à Synodo admoniti, & non se emendantes, suspenduntur ab usu officij sui: Deducitur ex cap. *Quæsitum de Cohabitatione Clericorum, & mulierum:* Et habet Suarez, Filliucius, &c.

Vigesimòtertiò: Relaxantes incendiarijs pœnas, à Jure statutas, suspenduntur ab officio Episcopali per annum. Ita cap. *Pessimam.* 23. q. 8.

Vigesimòquartò: Negligentes procedere contra Simoniacos, suspenduntur ab officio per duos menses. Ita cap. *Quidquid* 1. q. 1.

Vigesimòquintò: Non Visitantes Limina Apostolorum temporibus præscriptis: in Constit: Pij V. suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, perceptione fructuum, & administratione temporali, & spirituali: Ita dicta Constitutio.

Vigesimòsextò: Ingrediens Monasterium Monialium sinè necessitate, suspenditur primâ vice ab ingressu Ecclesiæ; secundâ vice à Divinis, tertia excommunicatur. Ita Gregorius XIII.

Suspensiones contra Capitulum, & Religiosos.

3. *Suspensiones contra Capitulum præscribuntur.*

Contra Capitulum primò: Si Capitulum, vel Conventus dilapidet bona derelicta, vel obvenientia tempore vacantiæ: Suspenditur ab officio, & beneficio, cap. *Quia.*

Secundò: Si Capitulum, vel Conventus recipit Prælatos, promotos in curia absque litteris Papæ, suspenditur à beneficio, per Extravag. I. *De Electione.*

Tertiò: Si Capitulum petat in receptione ad Religionem, aut post illam, pastus, prandia, & similia, incurrit suspensionem totalem ab officio, & beneficio. Ita Clementina *fanè*, *de Simon:*

Quartò: Si Capitulum non servet contenta in Constit: Pij V, *Quanta*, incurrit Suspensio-

pensionem à collatione, præsentatione, & institutione. Ita citata Constitutio.

4. *Suspensiones contra Religiosos.* *Contra Religiosos* sunt sequentes. Primò: Apostatæ in Apostasia ordinati suspenduntur ab exercitio suscepti ordinis, & à suscipiendis: Ita cap. *fin. de Apostatis.*

Secundò: Superiores recipientes ad professionem ante annum probationis, suspenduntur à potestate recipiendi ad professionem, cap. *Non solùm.*

Tertiò: Superiores concedentes redditus Ecclesiarum alienis ad vitam, suspenduntur ab officio, per Clement. I. *de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

Quartò: Usurpantes iniquè Decimas, sibi non convenientes vel defraudantes Ecclesias, suspenduntur ab officijs, administrationibus, & beneficijs. Ita Clementina I. *de rebus Ecclesiæ.*

Quintò: Non facientes conscientiam pœnitentibus, de solvendis Decimis, suspenduntur ab officio prædicandi, per Clementinam. *Cupientes de Decimis.*

Sextò: Non professi recipientes Ordines sacros, suspenduntur à susceptione Ordinum, per Bullam Pij V.

Septimò: Introducentes Mulieres in Monasteria, conclusa clausurâ publicâ, suspenduntur ab officio, & privantur beneficijs. Ita Bulla Pij V. *Regularium.*

Octavò: Prædicatores promoti in Episcopos, recipientes consecrationem, antequam restituant Ordini libros, &c. suspenduntur à Pontificalibus. Ita Clemens IV. in quodam Privilegio.

Nonò: Prælati Religiosorum retinentes illa, quæ ob excessus suorum Religiosorum accepta sunt, puta retrahendo testantem à Legatis Ecclesiæ Matrici faciendis, retrahendo à debitis solvendis, & procurando, ut pia legata, vel ablata incerta, sibi dentur, suspenduntur simpliciter. Ita Clementina I. *de Privilegijs.* Vide plures prohibitiones Religiosorum circa hoc in cit. Clementina.

Decimò: Abbates, & alij dantes dimissorias litteras alijs, quàm suis subditis Regularibus, suspenduntur ab officio & beneficio per annum. Ita Trid. sess. 23. cap. 10.

Undecimò: Benedictini nigri non utentes habitu præscripto in Clementina I. *de statu Monachorum*, si Superiores sint, suspenduntur à collatione beneficiorum Ord. per annum: subditus inhabilitatur ad beneficium, vel suspenditur ab eo, si id possideat. Eadem duplicatò extenditur ad eosdem venantes clamorosè.

Duodecimò: Religiosi copulantes sine licentia Parochi, suspenduntur ab officio ex Tridentino sess. 24. cap. 1.

Suspensiones diversis Ordinibus proprias, vide in Constitutionibus eorundem. De suspensionum absolutione, consule dicta supra dist. 1. *de Censuris in communi*, quæst. 5. & 6.

QUÆSTIO VIII.

De Interdicto, & Cessatione à Divinis.

1. *Definitur Interdictum.* DICO primò: Debitè definitur Interdictum: *Est pœna spiritualis, privans usu Officiorum Divinorum, Sacramentorum, tam activè, quam passivè, & Ecclesiasticâ sepulturâ.* Ita communis Canonistarum, & Summistarum.

Probatur: Quia nihil deest huic definitioni: ergo, &c. Ly *pœna spiritualis*, est genus: Reliqua subeunt rationem differentiæ, & ostendunt effectum Interdicti.

2. *Partitur Interdictum in locale, personale & mixtum.* NOTA primò: Ex Herincx, Reding & alijs DD. Interdictum partiri in Locale, Personale, & Mixtum ex utroque. *Locale* est, quod cadit super solum locum: *Personale* super solam personam. *Mixtum* super utrumque simul.

3. *Locale rursus in Generale & particulare.* NOTA secundò: Locale rursus subdividitur in Generale, & Particulare. *Primum* interdicit locum, plura loca continentem, v. g. regnum: Particulare interdicit unum locum. v. g. Ecclesiam, vel Oratorium.

4. *Personale pariter in Generale & particulare.* NOTA tertiò: Personale pariter subdividitur in Generale, & Speciale. *Generali* interdicitur tota communitas & universitas: *Speciali* unica persona.

5. *Locale Interdictum cadit super locum & ejus personas.* DICO secundò: Dum locus interdicitur, etiam Personæ illius loci interdicto innodantur, quæ interdicto causam dederunt, ubicunque morentur. Ita Herincx. Barbosa, & communis Canonist.

Probatur: quia ita colligitur ex cap. *Si Sententia, ex Sententia Excommunicationis*, in 6. ergo. Cæteri autem extra locum interdictum possunt audire Divina, ut habent DD. communiter.

6. *Item super omnes vicinas habitationes loci.* DICO tertiò: Si Civitas Interdicto subjiciatur, etiam habitacula proxima extra mænia Interdicto involvuntur. Est communis apud Canonistas.

Probatur: Quia ita colligitur ex cap. *Si Civitas, de Sententia Excommunicationis* in 6. ergo, &c.

7. *Interdictum afficiens Ecclesiam afficit etiam Cœmeterium & Capellas.* DICO quartò: Dum Ecclesiæ interdicuntur, etiam Capellæ, & Cœmeteria interdicuntur, si sint contigua, secùs si non sint.

Probatur: Quia ita colligitur ex cap. *Si Civitas*, cit. & est communis sensus Doctorum.

8. *Aliqua Persona Urbis excipiuntur ab Interdicto Generali Urbis.*

DICO quintò: Si populus Civitatis totius interdicatur, non perinde feriuntur Interdicto, extranei, negotiationis, vel recreationis causâ eò accedentes, nec probabiliter studiosi Universitatis, ibidem existentes, nec Clerici & Religiosi. Ita Herincx hic disp. 6. qu. 4. & alij DD.

Probatur: Quia sic deducitur ex cap. *Si Sententia, de Sententia Excommunicationis* in 6. Et quia hi omnes non censentur strictè esse de corpore populi Civitatis, sed conficere aliud corpus: ergo, &c. Circa effectus Interdicti

9. *Iure antiquo Interdictum auferebat omnem celebrationem, & auditionem Missarum.*

DICO sextò: Interdictum primo Jure Canonico inducebat generalem subtractionem celebrationis, & auditionis Divinorum Officiorum: hoc est tam celebrationis, quàm auditionis Missæ, & Horarum Canonicarum publicè, item prohibebat omnem orationem solemnem Ecclesiæ, & Benedictiones Ministrorum ejus: non tamen Concionem, cùm non censeatur esse Divinum Officium. Ita Sumistæ, & Canonistæ.

Probatur ex cap. *ultimo, de Sententia Excommunicationis* in 6. ergo.

10. *Sed Ius modernum limitavit hunc effectum.*

DICO septimò: Hic tamen effectus Interdicti, si id Locale Generale sit, deinde fuit limitatus: Ita habet communis Sumistarum modernorum.

Probatur per cap. *Alma Mater*, ubi dicitur, quod tempore Interdicti, singulis diebus in Ecclesijs, ac Monasterijs Missæ celebrentor, & alia dicantur Divina Officia, sicut priùs: submissâ tamen voce, januis clausis, & campanis non pulsatis. In Festis verò Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis, quibus addidit Martinus V. & Eugenius IV. Festum Corporis Christi, & alij Pontifices Festa specialia Religiosorum pro Religiosis, etiam januæ aperiri possunt, & campanæ pulsari in loco interdicto generaliter.

11. *Extensio privilegij cap. Alma Mater.*

NOTA quartò: Quod hoc Privilegium *Alma Mater*, extendatur etiam ad oratoria privata, ùt habet Navarrus. 175. Henriq. lib. 13, cap. 46. &c. & valet pro omnibus personis Ecclesiasticis, etiam Religiosis, Monialibus, ùt habet Cordub. 2. n. 30. Avila, Herincx, &c.

12. *Ius vetus amplum effectum Interdicti posuit circa Sacramenta.*

DICO octavò: Interdictum etiam primo Jure per modum effectûs causabat subtractionem Sacramentorum, tam quoad administrationem, quàm receptionem. Ita pariter omnes Canonistæ.

Probatur: Quia ita dispositum fuit in cap. *Alma Mater*.

13. *Sed corre-ctum est per jus novum.*

DICO nonò: Huic tamen effectui à posteriori Jure appositæ sunt quædam limitationes: Est communis Doctrina Doctorum Juris Canonici.

Probatur: Quia modo, tempore Interdicti potest administrari Baptismus, & Confirmatio per cap. *Quoniam* in 6. Item Sacramentum Pœnitentiæ potest conferri omnibus, ijs exceptis, qui sunt excommunicati, vel causam dedêre Interdicto, per idem cap. Item communio potest dari pro viatico moribundis, per cap. *Quod in te de Pœnit. & Remiss.* imò cum sonitu campanellæ, ac facibus ad ægrotum publicè deferri: ùt habet Navarrus c. 27. Con. Sa, Laym, &c. ergo, &c.

14. *Matrimonia possunt fieri tempore Interdicti.*

DICO decimò: Etiam Matrimonium tempore Interdicti potest celebrari licitè. Ita passim Canonistæ cum Henriq. Sylv. Navar. Sanch. Her. &c. Etsi hoc negent de Extrema Unctione, & Ordine ob diversa Juris capita.

Probatur: Interdictum non prohibet fieri contractus politicos, sed Matrimonij celebratio est talis contractus, cui tamen accessit ratio Sacramenti à Christo: ergo, &c. Deinde Interdictum prohibet administrationes Sacramentorum, à Ministro Ecclesiæ solitas fieri, Matrimonium autem administratur ab ipsis contrahentibus: ergo, &c.

15. *Interdictum spoliat sepulturâ Ecclesiasticâ.*

DICO Undecimò: Interdictum etiam inducit per modum effectûs privationem sepulturæ, ita ùt in loco interdicto, si locale sit interdictum, nemo possit sepeliri. Ita communis Doctorum.

Probatur ex cap. *Quod in te, de Pœnitent. & Remiss.*

16. *Quod extenditur ad omnes omninò subjectos Interdicto Locali.*

NOTA quintò hic: Quod & hic effectus sit generalissimus, ita ut omnes etiam infantes, & amentes nequeant in loco sacro interdicto sepeliri, ùt habet Laym. Tract. 2. p. 2. Her. &c. Etsi hujusmodi, & omnes qui Interdicto locali generali causam non dedêre, alibi in loco sacro, non interdicto, sepeliri possint: ùt habet Suar. disp. 35. sect. 1. Avila, & alij Doctores.

17. *Effectus Interdicti personalis.*

DICO duodecimò: Si personale sit Interdictum, & persona interdicta nominata, & denunciata, nullibi potest sepeliri sepulturâ Ecclesiasticâ. Ita Herincx disp. 6. q. 4. & alij Sommistæ.

Probatur per cap. *Alma Mater* secùs tamen est, si non esset denunciata solemniter: ùt deducitur ex Extravag. *Ad evitanda*.

18. *Clerici violantes Interdictum peccant graviter.*

DICO decimòtertiò: Ecclesiastici violantes Interdictum locale, vel personale, peccant mortaliter. Est communis Theologorum.

Probatur: Quia faciunt in materia gravi contra Obedientiam Ecclesiæ: ergo, &c. Imò & Laici cum violentia, vel fraude se inge-

ingerentes Divinis Officijs in loco interdicto, vel alibi: si sint personaliter interdicti, eundem reatum contrahunt: ut habet Suar. disp. 34. sect. 6. Sotus, Navar, &c.

19. *Pœna Violantium Interdicta.*

NOTA autem sextò: Pœnas Violantium Interdictum esse sequentes: si Violans sit Laicus, nullam pœnam Juris incurrit. Si autem Clericus sæcularis, & exerceat actum sacri Ordinis, fit irregularis. Ita cap. *Is qui.* Fit præterea ineligibilis activè, & passivè. Ita cap. 1. *de Postulatione Prælatorum*, in 6. Si violans sit Religiosus exemptus, incurrit Excommunicationem, ita Clem. 1. *de Sentent. Excommunicationis.* Tandem quivis præsumens sepelire hominem interdictum denunciatum in loco sacro, vel alios in loco interdicto, etiam incurrit Excommunicationem. Ex Clem. 1. *De sepulturis.*

20. *Interdictum generale præsupponit semper peccatum mortale.*

DICO decimòquartò: Ut Interdictum tam personale totale, quàm locale Generale legitimè feratur, debet præcedere culpa mortalis. Ita Avila disp. 3. dub. 2. Sà verbo *Interdictum*, Laym. Suar. &c.

Probatur: Quia debet esse commensuratio inter pœnam gravem, qualis est Interdictum totale personale, & culpam: ergo, &c.

21. *Non item particulare personale.*

NOTA tamen septimò: Interdictum particulare personale ab una tantum re, v. g. à Communione, vel ingressu Ecclesiæ ad tempus, ferri posse ob solum veniale: ut habet Laym: Tract. 5. p. 2. & alij Doctores.

22. *Ob sola debita pecuniaria, non est licitum interdicta statuere.*

DICO decimòquintò: Absque Papæ licentia non potest interdici integra Provincia, Villa, Castrum, Locus, vel Territorium, propter solum pecuniarium debitum. Ita Canonistæ, & Summistæ communiter.

Probatur: Quia ita providetur in Extravag. *Provide; de Sententia Excommunicationis.*

Circa absolutionem ab Interdicto, vide resoluta supra dist. 1. q. 5.

23. *Cessatio à Divinis quid sit?*

NOTA octavò: Interdicto locali multum assimilari *Cessationem à Divinis*, quæ est *quædam desistentia à Divinis Officijs, & Administratione Sacramentorum, nata ex simplici prohibitione.* Differt tamen ab eo, quòd Cessatio non sit pœna, sed simplex tantùm prohibitio, quàm assuevit Ecclesia instar planctûs, & signi gravissimi doloris, ob gravissimam sibi, aut honori Divino illatam injuriam assumere. Insuper violans Cessationem hujusmodi, non fit irregularis, sicut violans Interdictum. Quare si necessitas sit administrandi Sacramenta, possunt absolutè administrari absque ulla culpa vel pœna non obstante Cessatione à Divinis.

QUÆSTIO IX.

De Degradatione, Depositione, & Infamia.

1. *Descriptio Depositionis.*

DICO primò: Depositio benè describitur, quòd *sit pœna Ecclesiastica removens personam Ecclesiasticam ob enorme crimen, ab ordine, omni jurisdictione, & beneficio Clericali in perpetuum, retentô solò Canonis, & fori Privilegiô.* Coincidit cum communi Doctorum.

Est autem Canonis, & fori Privilegium hoc, quòd non possint ei injici violentæ manus, nec possit trahi ad forum sæculare pro Sententia aliqua infligenda.

Probatur: Quia constat genere, & differentià, cæterisque similisticis conditionibus debitæ descriptionis: ergo, &c.

2. *Referantur crimina depositionis.*

NOTA autem primò: Crimina enormia sufficientia ad Depositionem numerati sequentia ab Authoribus, Homicidium, furtum, perjurium, adulterium, violentum stuprum Virginis, incestum, &c. Ita Doctores in cap. *Si Clerici.*

3. *Degradatio definitur.*

DICO secundò: Degradatio benè definitur: quòd *sit pœna Ecclesiastica, amovens Clericum ab omni gradu Clericali & Privilegio etiam Canonis ac Fori in perpetuum, ob atrocissimum, & gravissimum crimen.* Ita Doctores, & Glossa in cap. 2. *de Pœnis.*

Probatur: Quia est tradita juxta Regulas bonæ definitionis: ergo, &c.

4. *Crimina degradationis adducuntur.*

NOTA secundò: Atrocissima crimina, sufficientia ad infligendam Degradationem esse: Hæresim, Schisma, Falsificationem Litterarum Apostolicarum, Calumniam gravem, Sodomiam frequentatam, & similia.

5. *Degradatus potest liberè incarcerari à potestate Laica.*

Ex Conclusione infertur; quòd Degradatus sicut alius Laicus possit à Judice sæculari capi, incarcerari, & occidi sinè periculo incursûs Excommunicationis, quæ habetur in Canone, *Si quis suadente.*

6. *Solemnitates Degradationum.*

NOTA tertiò: Ad Episcopi Depositionem, præter Metropolitam, requiri duodecim Episcopos ad ferendam sententiam. Ad Sacerdotis sex, præter proprium Episcopum: ùt habet Abbas in cap. *Non potest, de re judicata.* Ad Diaconi, & Subdiaconi tres, ùt habetur 15. qu. 7. & alibi: Si non sit in sacris, sufficit Episcopus cum Capitulo, ùt habet Sylv. verbo *Degradatio*, Panorm. &c. Ex dispositione autem Tridentini sess. 13. c. 4. *de Reform.* in defectu Episcoporum possunt substitui aliæ personæ Ecclesiasticæ, aliquâ dignitate præfulgentes.

7. *Definitio Infamiæ.*

DICO tertiò: Infamia benè describitur;

3. *Nec impedit perceptionem fructuum.*

DICO tertiò: Nec privat Clericum fructibus beneficij, nec administratione, dummodò officium saltem per Vicarium administret. Ita Navar. c. 27. Filiuc. in cap. *Inquisit. de accusat.*

Probatur ex communi sensu Doctorum in cap. *Cum nostris, de concess. præbendæ.* Debet tamen talis beneficiò privari juxta cap. *Ex litteris, De Excessibus Prælat.* Imò illud resignare, si brevi tempore dispensatio non speretur. Ita Brugnoli tract. 21. cap. 3. & alij Doctores.

4. *Valida sed illicitè confertur irregulari beneficium.*

DICO quartò: Collatio beneficij, facta irregulari, est illicita quidem, valida tamen. Ita Laym. tract. 5. p. 5. Navarrus, &c.

Probatur: Quia Jura nunquam irritam habent hujusmodi collationem: ergo, &c.

5. *Irregularitas totalis & partialis.*

NOTA deinde Divisiones Irregularitatis. Primò enim dividitur in *Totalem*, & *Partialem*. *Totalis* impedit à susceptione omnium ordinum, primæ tonsuræ, & exercitio suscepti ordinis: Talis est Irregularitas ex bigamia, vel homicidio orta. *Partialis* est: quæ aliquo tantùm Ordinis Ministerio, vel ascensu, ad illum v.g. ad Sacerdotium privat: Talis est quæ Diaconum, ob erutum sinistrum oculum, privat ascensu ad Sacerdotium.

6. *Aliæ irregularitatis divisiones.*

Secundò dividitur in Irregularitatem ex *Defectu*, & *ex delicto*. Prima descendit in varias species. In Irregularitatem ex defectu Animæ, ex defectu Natalium, ex defectu Libertatis, Ætatis, item ex defectu Liberationis, ex defecto Sacramenti, ex defectu Lenitatis. Secunda pariter partitur in illam, quæ oritur ex infamia, ex iteratione Baptismi, ex indebita susceptione, vel usu ordinis, ex actu infidelitatis, ex homicidio voluntario illicito, &c. Singula breviter examinabo ad limam Juris in sequentibus. Unde sit

QVÆSTIO II.

De Irregularitate ex Defectu Animæ, Corporis, Natalium, Libertatis, Liberationis, ac Lenitatis.

1. *Carens ratione & litteris est irregularis.*

DICO primò: Destituti totaliter usu rationis, & penitùs illiterati, sunt irregulares, & inepti ad suscipiendos ordines. Ita communis cum Navarro, c. 27. n. 205. Filliucius tract. 19. c. 7. Tolet. &c.

Probatur: Qui nequit exercere Ordines, est inhabilis pariter ad eos recipiendos, & consequenter Irregularis, sed specificati in Conclusione nequeunt exercere Ordines, ergo, &c.

2. *Item à Mahumetanis & Iudæis regenatus.*

DICO secundò: Conversi recenter ex secta Mahometana, Ethnica, & Judaica sunt irregulares. Ita S. Ambrosius Epist. 82. relatus in cap. *Neophytus* dist. 61. & communis Canonistarum, ac Theologorum.

Probatur: Quia hanc Irregularitatem expresse Ecclesia cit. cap. induxit, *Ne Neophytus*, ut ait D. Paulus 1. ad Tim. 3. *elatus in superbiam, in laqueum incidat Diaboli*; ergo, &c.

3. *Etiam corpore vitiati sunt irregulares.*

DICO tertiò: Quivis defectus corporis, impediens congruum exercitium ordinis, vel notabiliter ac cum humano horrore difformans corpus, facit illum habentem Irregularem. Est communis Canonistarum, & Summistarum.

4. *Proferuntur irregulares ob corporis defectum.*

Probatur ex cap. *De corpore vitiatis.* Et ex cap. *Presbyterum, de Clerico ægrotante.* Itaque de primo cap. *de corpore vitiatis* sequentes sunt Irregulares. *Primò*, cui deest Nasus. *Secundò*: Qui nequit gradi, aut stare. *Tertiò*: Qui caret oculò sinistrò Canonicò. *Quartò*: Surdus utraque aure. *Quintò*: Carens pollicibus, aut indicibus digitis. *Sextò*: Carens brachiò, vel manu, & similes considerabiles carentias physicas naturales membrorum habentes.

5. *Alij irregulares ob vitium Corporis.*

Ex cap. altero *Presbyterum*, ob notabilem difformitatem sunt irregulares sequentes. *Primò*: Cui aures, vel nares sunt abscissæ, nisi capillatura cooperiri possint. *Secundò*: Habens duo capita. *Tertiò*: Dentes habens prominentes extra os. *Quartò*: Ligatus linguâ, vel ita præceps, ut intelligi nequeat. *Quintò*: Habens labia penitus corrosa. *Sextò*: Habens faciem ustulatam, & difformem gibbum. *Septimò*: Hermaphroditus, & similes difformitates physicas habentes. Ita Doctores communiter.

6. *Item alij irregulares ob varios morbos.*

Ex communi & Doctorum sensu præterea sunt irregulares. *Primò*: Febri continuâ, vel ingenti capitis dolore laborantes, si adsit periculum irreverentiæ committendæ. Ita Hugol. c. 54. §. 1. Suar. Brug. &c. *Secundò*: Laborantes morbo gallico, foris apparente cum horrore, affecti paralysi, leprâ, apoplexiâ, scabie nimiâ, peste, phreneſi, epilepsiâ, morbo arreptitio, seu Dæmoniaci, & Lunatici. Ita Laym. tract. 5. p. 5. c. 7. Brug. tract. 21. c. 4. &c.

7. *Recensentur nonnulli defectuosi qui non sunt irregulares.*

Non sunt autem Irregulares: *Primò*: Qui carent aliquô membrô occultô, v. g. genitalibus, sine propria culpa ablatis, ut habet cap. *Siquis à Medicis*, nec tenetur quis tale membrum pulverizatum secum portare, ut vulgus opinatur. Si tamen quis sibi abscin-

Mmmm

abscidat hoc, vel aliud membrum malitiosè, vel permittat abscindi, ob causam cantûs, vel castitatis servandæ, sit Irregularis. Ita Molina, Brug. & Laym. loco cit. *Secundò*: Non sunt irregulares orbati dextrô oculô, habentes sex digitos, dummodò non impediant usum ordinis, Æthiopes, habentes crura distorta, maculas in oculo modicas, carentes dentibus, habentes modicum gibbum, & similes. Ita plurimi Doctores apud Recentiores Canonistas.

8. *Illegitimi sunt Irregulares.* DICO quartò: Omnes Filij illegitimi sunt irregulares. Est communis Canonistarum, & Summistarum.

Probatur ex cap. 1. & 2. *De Filijs Presbyterorum*. in 6. Quod impedimentum Ecclesia statuit ad detestationem paterni sceleris: & quia timetur, ne Filius paternam incontinentiam imitetur, ut loquitur Glossa, in præfatum caput Juris.

9. *Variæ Illegitimorum species.* NOTA autem primò: Sequentes censeri illegitimos secundùm Doctores. *Primò*: Illegitimos Naturales, id est, natos ex viro soluto, & fæmina soluta concubina, qui dicuntur Naturales, quia non honestas Conjugij, sed sola Natura eos genuit. *Secundò*: Sunt illegitimi Nothi, sic dicti à nota infamia: suntque nati ex adulterio viri conjugati cum soluta: dicuntur etiam Nothi, nati ex soluto & soluta, non tamen domi retenta. *Tertiò*: Spurij, id est, nati ab incerto Patre, vel si habeant certum Patrem, sunt tamen nati ex concubitu Amicæ, damnato à Jure: & dicuntur *Spurij* à spurcitia incontinentiæ. *Quartò*: Manseres, id est, nati ex viro soluto, & scorto publico: hi omnes comprehenduntur sequentibus versibus.

Manseribus Scortum, sed Mœcha Nothus dedit ortum,
Ut seges à Spica, spurius sic est ab amica,
Sunt Naturales, qui nobis sunt speciales.

10. *Servi sunt Irregulares.* DICO quintò: Mancipium defectuLibertatis non potest ordinari, non consensu Domini. Est communis apud Canon.

Probatur: Quia ita habetur Can. 81. Apost. Et lib. 1. Decret. *De servis non ordinandis*, Estquè ratio; quia Mancipium non est sui Juris: Unde si in Minoribus Ordinibus sit, Dominus potest eum sibi vendicare: arg. cap. *De servis*. Si verò in Majoribus, efficitur quidem liber: debet tamen Domino pretium solvere, vel alium servum substituere. Ita cap. *ex antiquis*, dist. 54.

11. *Qui transfuga ad Ecclesiam sunt Irregulares.* DICO sextò: Sunt irregulares illi, qui laborant defectu libertationis. Est pariter communis Doctorum.

Probatur: Quia tales ad Ecclesiam confugiunt, non amore serviendi DEO, sed potiùs intentione fugiendi ratiocinia, adeò que Ecclesia habuit rationem eos inhabilitandi ad Ordines: ergo, &c.

12. *Carentes lenitate Irregulares sunt* DICO septimò: Defectus Lenitatis etiam inducit irregularitatem. Est similiter communis Doctorum.

Probatur ex cap. *Clericis*. Et Clementina, *si furiosus*. Et alibi. Acceditratio: quia Christus vult habere mansvetos Ministros, juxta illud: *Discite à me, quia mitis sum*, & consequenter Ecclesia rationabiliter excludit fundentes sanguinem, vel ad eum fundendum efficaciter concurrentes: ergo, &c.

13. *Quinam censentur carere lenitate.* Ex Conclusione sequitur: Esse irregulares sequentes. *Primò*: Judices ferentes sententiam sanguinis; vel mutilationis, sive Judices sint Assessores, sive exhortatores. Ita cap. *Sententiam sanguinis*. *Secundò*: Testis in causa sanguinis, si effectus sequatur, & voluntariè testetur: secùs si coactè. *Tertiò*: Advocatus in causa sanguinis effectu secuto. *Quartò*: Ministri Justitiæ, ut Tabelliones, Procuratores, Denunciatores, Lictores, &c. *Quintò*: Assistentes supplicio, si cooperentur aliquo modo ad executionem, & ad accelerationem, secùs si non cooperentur voluntariè.

14. *Quando Accusator sanguinis non fiat Irregularis?* NOTA secundò: Accusatorem si servet ea, quæ præcipiuntur cap. *De homicidio* in 6. id est, ut petat tantùm satisfactionem, & protestetur contra, se non intendere pœnam sanguinis, non fieri irregularem. Ita Hugol. c. 6. Coninck & alij Doctores. Nec etiam Theologus svadens ista, fit irregularis: ùt habet communis Authorum. Pariter non fit irregularis ille, qui est Dominus Ecclesiasticus, & Temporalis simul, si committit alteri munus judicandi in criminalibus, ut habetur cap. *ult. de Clericis*. Et corroborat praxis totius Germaniæ in Episcopis nostris, potentibus, & Dominis terrenis simul, cui ab Ecclesia non contradicitur. Et tandem ratio est; quia tunc censetur esse causa tantùm remota homicidij.

15. *Milites mutilantes etiâ justè sunt Irregulares.* DICO octavò: Milites per se occidentes, & mutilantes in bello licèt justo, adhuc sunt irregulares. Ita plures Doctores.

Probatur: Quia hoc colligitur ex cap. *Si quis*. dist. 51.

16. *Non verò occidens causâ defensionis.* DICO nonò: Qui occidit alterum ob defensionem suæ vitæ, servato moderamine inculpatæ tutelæ, non est irregularis. Est certa, & communis apud DD.

Probatur: Quia ita definit Clementina *si furiosus, de homicidio*. Estquè ratio: quia tale homicidium non est voluntarium, sed necessarium, consequenter nec imputabitur ad culpam, nec ad pœnam, neque inducit irregularitatem.

17. *Quadam ge-* DICO decimò: Clericus adhortans in bello

uera perſonarum ſpecificuntur, qua Irregularitatem non incurrunt, etſi occiſio ſequatur eorum interuẽtu.

bello justo, vel dans consilium pro bello justo, neque pugnans cum licentia Papæ, neque Inquisitores, eorúmque Officiales, tradentes judici reos comburendos, neque testes, nequa denunciatores apud S. Inquisitionem; Neque Advocatus, qui causam rei suscipit, quando sequitur mors accusatoris ideo, quia compertus fuit calumniator, nec qui hortatur ad vitam profundendam pro Fide, Ecclesia, ant defendenda Patria, nec Claricus io justo bello occidens pro defendenda Patria, si cogatur necessitate extrema, fiunt irregulares. Ita Brugnoli tract. 2c. c. 10. & alij plures Doctores.

Probatur: Quia nullum Jus has omnes personas innodat aliquâ irregularitate, & quia noo censentor exuisse mansvetudinem, requisitam pro Mioistro CHRISTI: ergo, &c.

Cæterùm, omnes alij à jam specificatis Notabil. 2. & Conclusion. 9. & 10. Si baptizati sint, & doli capaces, efficiuntur irregulares, licet homicidium & mutilatio, sit justa, si influant in homicidium, vel mutilationem, vel coöperentur notabiliter per se ad occisionem, & mutilationem, vel accelerent mortem, vel dent causam propinquam morti hominis, sive fidelis, sivè infidelis, excommunicati, vel banniti, etiam infantis vivi existentis in utero Matris: ut colligitur ex cap. *Si quis Viduam*, dist. 50. & cap. *Si quis post Baptismum*. dist. 51.

18. Destitutus anno canonico est Irregularis.

DICO ultimò: Defectus ætatis Canonicæ inducit etiam Irregularitatem, quoadusque sequatur ætas, est communis apud Doctoras Canonicos.

Probatur: Quia sic disponunt Jura, & tener passim communis Doctorum consensus.

QVÆSTIO III.

De Reliquis Irregularitatibus.

1. Bigamia inducit Irregularitatem.

DICO primò: Defectus Sacramenti, seu omnis bigamia inducit Irregularitatem. Est communis Canonist. & Summist.

Probatur ex cap. *Acutius*, dist. 26. Et alijs.

2. Ratio cur bigamia Irregularitatem inuehat.

NOTA autem primò: Bigamiam ideò esse inductam ab Ecclesia, eò quòd Mysterium, seu Matrimonium consummatum in Lege oova, & conjunctionem Christi unius Viri cum una Virgine Ecclesia per carnis assumptionem mysticè non significet tam perfectè, cùm sit Matrimonium cum secunda, vidua vel corrupta.

3. Descriptio Bigamia.

DICO secundò: Benè definitur Bigamia: quòd sit *status conjugati cum duabus Conjugibus*. Debet esse communis.

Probatur: Quia habet omnia requisita ad booam definitionem Dialecticam: ergo, &c.

4. Tres species Bigamia passim recensentur.

NOTA autem secundò: Esse tres potissimas species Bigamiæ: Bigamiam veram, Interpretativam, & Similitudinariam; etsi quarta posset adjungi, de qua infra Notabili 3.

5. Quæ hic explicantur.

Vera Bigamia est: Quando quis actu duas, vel plures uxores duxit legitimè, easque cognovit carnaliter. *Interpretativa* est, quæ secundùm Juris interpretationem, fictionémque Bigamia censetur esse. & contingit: *Primò*: Quando quis viduam, vel ab altero corruptam ducit, ex cap. *Si quis viduam*. dist. 50. *Secundò*: Si quis accedat ad uxorem propriam, postquam ab altero, tempore Matrimonij cognita fuit, ex cap. *Si cujus uxorem*. *Tertiò* contingit: Si quis post unam legitimam uxorem carnaliter cognitam, aliam priore vivente, aut mortuâ, maritali affectu cognoscat, cum qua invalide propter impedimentum, nuptias contraxerat. Ita cap. *Nuper, de Bigamis*. *Similitudinaria* Bigamia est: quando quis post Professionem in Religione, Matrimonium contrahit, & consummat, quamvis cum Virgine, sícque fidem priorem datam, irritam facit, & quasi bigamus efficitur.

6. Quarta Bigamia species additur.

NOTA tertiò: Etiam Clericum io sacris constitutum, si contrahat Matrimonium etiam cum Virgine, incurrere Irregularitatem, quæ tameq non est similitudinaria nec ulla ex dictis. Ratio sumitur ex dictis, & cap. 1, *Qui Clerici*, & cap. *Sacerdotes*.

7. Sponsalia, Fornicationes & Adulteria præcedentia Matrimonium cum Virgine, non inducunt Irregularitatem.

DICO tertiò: Nulla sponsalia multiplicata, etsi adsit copula, neque fornicationes multiplicatæ, procedentes ex parte viri, neque adulteria, inducunt Irregularitatem, dummodò quis deinde contrahat Matrimonium cum Virgine. Ita Brug. tract. 21. c. 9. Valent. Hugolin. &c.

Probatur: Quia nec sponsalia etiam secutâ copulâ, neque fornicationes significant conjunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem, sed solum Matrimonium: ergo, &c.

8. Iteratio Baptismi Irregularitatem inducit.

DICO quartò: Etiam ex iteratione Baptismi publica, vel occulta contrahit Irregularitatem tam baptizaos, quàm baptizatus. Est communis DD.

Probatur ex cap. *Ex Litterarum, de Apostatis*. Et cap. *Confirmandum* d. 50. ac alibi. Et extenditur hæc Irregularitas etiam ad Accolythos, ministrantes baptizanti: ùt habet cap. *ex Litterarum* cit. Excusat tamen

omnes

omnes ignorantia probabilis Juris, vel Facti, ùt habet Sayr. l. 5. c. 18. Nav. cap. 27. Sotus, &c.

9. *Quinam abutentes Ordine Irregulares efficiuntur.*

DICO quintò: Ordinis abusus etiam inducit irregularitatem. Est communis DD. &

Probatur: Discurrendo per singulos abusus. *Primò*: Efficitur irregularis, qui furtivè, id est, sinè dimissorijs se facit ordinari, ignorante Episcopo, vel non approbante, nec examinante. Ita cap. 1. *de eo, qui furtivè*, &c. *Secundò*: Clericus scienter, & seriò Ministrans in ordine, quem non habet: habetur cap. 1. & 2. de *Clerico non ordinato Ministrante*. *Tertiò*: Clericus Excommunicatus, vel Suspensus, vel Interdictus: si agat in Choro Hebdomadarium, canat Epistolam, absolvat Sacramentaliter, benedicat sponsos, vel baptizet solemniter. Ita Brug. tract. 21. c. 13. Suar. Alterius, &c. *Quartò*: Episcopus fit irregularis, si excommunicatus, vel suspensus consecret chrisma, ordines conferat, degradet, solemniter benedicat, & similia exerceat, quæ sunt ordinis Episcopalis. Ita Alterius lib. 2. disp. 5. c. 1. &c. *Quintò*: Clericus non sacerdos solemniter baptizans, etiam in necessitate. Ita Nav. c. 22. Sayrus, Avila, &c. *Sextò*: Clericus per saltum promotus, si exerceat functiones Ordinis prætermissi. Ita Filliuc. n. 2. 99. Suar. &c. Et Sacerdos exercens actus Ordinis Episcopalis: Ita cit. DD. *Septimò*: Recipiens Ordines ab Episcopo, qui abdicavit Episcopatum, vel dignitatem, vel est Schismaticus, hæreticus, vel depositus, vel suspensus, vel interdictus, vel excommunicatus. Patet ex cap. 2. *De Ordinatis ab eo*, &c.

10. *Et qui non.*

Nota autem: Non esse irregulares sequentes. *Primò*: Non fit irregularis suspensus, vel interdictus, qui suscipit Ordines sacros. Ita Suar. disp. 5. Sayr. Brug. &c. Nec probabiliter excommunicatus excommunicatione majori recipiens ordines, ùt habet Barbosa, *de Potestate Episcopi*. c. 2. Con. Filliuc. *Secundò*: Nec recipiens uno die Minores, & Subdiaconatum, vel duos sacros Ordines. Ita Brug. tract. 21. c. 13. & alij. Suspenditur tamen.

11. *Hæretici, Apostatæ, & eorum protectores incurrunt Irregularitatem.*

DICO sextò: Hæretici formales exteriores, Apostatæ à fide, & eorum fautores, ac defensores, etiam occulti sunt Irregulares. Est communis DD. Nav. S. Antonini 3. p. tit. 28. Sylv. &c.

Probatur ex cap. *Saluberrimum* q. 1. & cap. 5. *de Hær.* in 6.

DICO septimò: Etiam Filij Hæreticorum sunt irregulares usque ad secundam generationem per lineam paternam, per maternam autem usque ad primam. Ita DD. passim.

Probatur ex cap. *Statutum* 2. *de Hæretic.* in 6. Et intelligitur tantùm de Filijs natis, postquàm eorum Parentes in hæresim inciderunt: Et quorum Parentes sunt mortui in delicto Hæresis: ut habetur cap. cit. & erant denominari solemniter.

12. *Homicidium casuale committens involuntariè non redditur Irregularis, nisi dederit operam rei illicitæ.*

DICO octavò: Homicidium omninò casuale, & involuntarium non inducit Irregularitatem, benè tamen Homicidium casuale, secutum ex impensa opera rei illicitæ, & periculosæ. Prima pars est communis, & Salonij 2. 2. q. 64. art. 8. Reginaldi, Brug. Secunda Sayri lib. 7. c. 5. Suar. &c.

Probatur prima pars: Ex cap. *Lator.* & cap. *Dilectus.* Secunda patet ex cap. *Is qui de Homicidio* in 6. Unde qui in torneamentis alterum percutit, etiam intentione tantùm ludendi, & vires exercendi, si mors sequatur, est irregularis. Item qui Infantes noctu secum collocant, & opprimunt casualiter, fiunt irregulares. Item Clericus indulgens venationi, si jaciat sagittam in aliquod Ens, putans esse feram, fuit tamen homo, & occidit eum, fit irregularis, ut habent plures DD. apud Brug. tract. 21.

13. *Dans operam rei licitæ, ex qua postea sequitur mors casualis, non innodatur Irregularitate.*

Nota: Si quis autem det operam rei, aliàs licitæ, & priùs debitam adhibeat circumspectionem, ac diligentiam: ne mors sequatur: non fit irregularis, si casualiter deinde mors sequatur. Sic Medicus nixus probatâ opinione, & procedens juxta Regulas communes scientiæ medicæ, si det pharmacon, ex quo moritur patiens, non fit irregularis. Nec Chirurgus juxta solitam cautelam Chirurgicam extrahens sagittam ex corpore, etsi mors sequatur. Ita DD. communiter.

14. *Voluntariè occidens vel mutilans graviter est Irregularis.*

DICO nonò: Occidens cum effectu voluntariè, & injustè, item mutilans graviter quemcunque hominem, etiam bannitum, infidelem, vel fœtum animatum in utero existentem, fit irregularis. Est communis apud Suar. 64. sect. 1. & 2. Covar. & alios AA.

Probatur de *Occidente* ex dist. 50. & Tit. *de Homicidio*. De *Mutilante* ex cap. *In Archi-Episcopatu*, de *Raptor.* & Clem. unica *de Homicid.*

15. *Cooperatores ad homicidium pariter Irregulares fiunt.*

DICO decimò: Etiam omnes cooperantes ad injustum homicidium, per jussionem, consilium, consensum, præstationem adjutorij in occisione, vel mutilatione, agentes Palponem, & præstantes recursum, fiunt irregulares. Ita communis DD. apud Brug. tract. 21. c. 16.

Probatur: Quia hi homines dant causam efficacem homicidio illicito: ergo, &c.

Nota autem ultimò; Quod mutilatio, seu abscisio debeat esse alicujus mem-

tri,

16. *Infamia Iuris & Facti Irregularitatem fert.*

17. *Quanam non mutilatio sit sufficiens ad Irregularitatem incurrendam.*

bri, habentia specialem actionem in corpore, v.g. pedis, manûs, licet esset parvum, ut pollicis, vel indicis mutilatio, qui ad speciales functiones Missæ possunt inservire, ut habet Sayr. Henriq. &c.

DICO undecimò: Ex infamia Juris, & Facti, etiam consurgit Irregularitas. Ita Canonistæ omnes.

Probatur ex cap. *Infames de Accusat.* & alibi. Et patet, quia non decet Ministros Christi, & Altaris laborare famâ læsâ per depravatos mores, vel Jura.

QVÆSTIO IV.

De Dispensatione super Irregularitatibus.

1. *Irregularitatem Infamia à Iure Canonico invectam dispensat Papa.*

DICO primò: Irregularitas consurgens ex Infamia Juris Canonici dispensatur ordinariè à solo Summo Pontifice: quæ verò ex Sententia Judicis, à Judice conivente. Ita Sylv. verbo *Infamia*, Molina, &c. quoad primam partem Conclusionis: quoad alteram Gratianus, & est communis DD.

Probatur prima pars: Quia ejus tantùm est ordinariè dispensare, qui sententiam infamiæ inflixit: Sed Sum. Pont. sententiam infamiæ in Jure Canonico inflixit: ergo, &c. Confirmatur: Quia solus Papa in Jure Pontificio habet, quod disponat, illud relaxando, vel constringendo. Et hæc erit in sequentibus Irregularitatibus ex dispositione Juris Canonici in dictis Generalis ratio: ergo, &c.

2. *Positam à Iudice Iudex.*

Probatur secunda pars: Ejus est absolvere cujus est ligare: argo Judicis ligantis pœnâ infamiæ est absolvere eandem infamiam per dispensationem.

3. *Neophytos in fide habilitat solus Papa.*

DICO secundò: Cum Neophyto in fide, & illiterato omninò ad ordines, & beneficia dispensat solus Papa. Est communis apud Brug.

Probatur: Quia hæc Irregularitas etiam est Jure Canonico introducta, cujus proinde Dispensatio ad solum Papam pertinet.

4. *Sicut & vitiatos corpore.*

DICO tertiò: Irregularitas orta ex difformitate enormi corporis, vel infirmitate, tollitur à solo Papa. Ita Covar, Sayr. lib. 6. c. 8. Nav. Ratio est eadem, quæ ante.

5. *Ac illegitimos.*

DICO quartò: Irregularitas orta ex illegitimatione, dispensatur à solo Papa quoad recipiendos ordines Majores, quoad Minores potest ab Episcopo dispensari. Ita Hugolin. c. 44. Suar. Filliuc.

Probatio primi: Quia est Irregularitas notabilis orta ex defectu, cujus Dispensatio ex Jure communi pariter spectat ad solum Papam. Secundi: Quia ita conceditur Episcopis per Jura, cap. 1. *de Filijs Presbyt.* in 6.

6. *Irregularitas ex defectu annorum, liberationis, servitutis & infamiæ facti consurgens tollitur ipso, suo tempore.*

NOTA: Irregularitates ortas ex defectu ætatis Canonicæ, liberationis, servitutis, & infamiæ facti, se ipsis tolli; sic, dum advenit ætas sufficiens; vel aufertur redditio ratiociniorum; vel ratio servitutis; vel infamiæ, per debitam pœnitentiam, evacuatur Irregularitas. Ratio est: Quia sunt tantùm ad tempus, & de his Jura nil disponunt.

7. *Cum Bigamis veris, & interpretativis solus Papa dispensat.*

DICO quintò: Solus Papa dispensat in Bigamia vera, & interpretativa, in similitudinaria verò potest Episcopus dispensare. Ita Valent. Tom. 4. d. 16. q. 1. Henriq. Rodriq. 1. p. c. 258. & cæteri DD.

Probatur prima & secunda pars: Ex cap. *Super eo*, de *Bigamis*. Tertia: ex cap. *Qui Clerici, vel voventes.*

8. *Cum Lenibus pariter.*

DICO sextò: In Irregularitate resultante ex defectu lenitatis, solus Papa dispensat. Ita Suar. disp. 47. sect. 5. & alij.

Probatur ex dist. 50. cap. *Si quis Viduam.* Et *Extravag.* cap. *suscepimus*, de *homicidio Volunt.*

9. *Et iterantibus Baptismum.*

DICO septimò: Irregularitatem natam ex publica Baptismi iteratione aufert solus Summus Pontifex; Occultam potest Episcopus. Ita Con. disp. 27. dub. 5. Avila, Brug. &c.

Probatur prima pars: Quia talis Irregularitas continetur in Jure Canonico, in quo solus Papa ordinariè dispensat. Secunda ex Trid. quod sess. 24. c. 6. concedit facultatem Episcopis, dispensandi in Irregularitata proveniente ex delicto occulto.

10. *Etiam cum violantibus Censuras publicè per exercitium Ordinum.*

DICO octavò: Irregularitatem contractam ex violatione publica censurarum per exercitium Ordinum, solus Papa tollit: occultam potest Episcopus auferre. Ita Reg. l. 39. tract. 2. n. 188. Nav. &c.

Probatur prima pars: Ex cap. 1. de *Sententia Excommunicationis* in 6. Secunda: Ex Trid. citato.

11. *Ministrantes in Ordine quem non habent habilitat solus Papa.*

DICO nonò: Irregularitatem natam ex exercitio publico Ordinis, quem quis non habet, dispensat solus Papa, ex occulto verò Episcopus. Ita Sylv. verbò *Irregularitas*, Sayr. Brug. &c.

Probatur prima pars: Quia ad ipsum solum pertinet dispensare in Jure communi; ut dixi, cui hæc Irregularitas est inserta: ergo, &c. Secunda probatur ex Trid. sess. 24. *de Ref.* c. 6.

12. *Et recipientes Ordines ab Episcopis Iure prohibitis.*

DICO decimò: Qui scienter fit Irregularia, ob perceptos Ordines ab Episcopo, qui loco, vel dignitati renunciârat, à solo Papa dispensatur ad majores Ordines suscipiendos. Est communis.

Probatur: ex cap. 1. de *Ordinat. ab Episcopo,*

Nnnn

scopo, &c. Si autem interveniat ignorantia probabilis, potest Episcopus dispensare: sicut & cum suscipiente Ordines cum tali ignorantia ab Episcopo Excommunicato. Ita cap. *Cum Clericis*. Et à Simoniaco, ùt habetur cap. *statuimus*. Imò ab Hæretico, degradato, &c. ùt habent DD. communiter, quamdiu delictum manet occultum.

13. *Irregularitatem ex hæresi ortam solus Papa aufert.*

DICO undecimò: Hæreseos etiam occultæ irregularitatem tollit solus Papa. Est communis Canonistarum Recentium.

Probatur: Quia hoc tempore solus Papa absolvit ab hæresi: ergò & in irregularitate ejus solus dispensat. Antecedens patet: quia hæresis jam est inserta Bullæ Cœnæ. Et quia sic declaravit Greg. XIII. Unde favor Trid. Episcopis factus circa hæresis absolutionem jam interiit. Oppositum nihilominùs plurimi DD. sustinent ut probabile.

14. *Sicut & natam ex homicidio voluntario.*

DICO duodecimò: Solus Papa dispensat irregularitatem ex voluntario tam injusto quàm justo homicidio resultantem. Ita Hugolin. c. 23, Molina, Suar. &c.

Probatur ex Trid. sess. 24. c. 6. de *Ref.* ubi reservatur Papæ Dispensatio super Irregularitate, proveniente ex homicidio voluntario: quale esset etiam justum homicidium, quod Judex inferret vi officij. Circa homicidium injustum Nota textum Trid. sess. 14. *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit*: intellige sine Papæ Dispensatione.

15. *Ordinarius loci dispensat in Irregularitate casualis homicidij.*

DICO decimòtertiò: In irregularitate casualis homicidij, secuti ex impensa operâ rei illicitæ, vel causa veræ defensionis factæ, etiam non servato moderamine inculpatæ tutelæ, potest dispensare Ordinarius loci. Est communis apud Reg. Navar. Henriq. &c.

Probatur ex Trid. sess. 24. c. 6. de *Ref.* ubi hoc Episcopis conceditur: ergo, &c.

16. *Sicut & in Irregularitate occulta mutilationis.*

DICO decimòquartò: Potest etiam Episcopus dispensare in mutilationis injustæ, occultæ tamen, Irregularitate, non verò si mutilatio sit notoria. Ita Molina, disp. 60. n. 19 Bonac. &c.

Probatur prima pars: Quia Trid. concedit Episcopis facultatem dispensandi in Irregularitatibus, provenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, quale non est mutilatio: ergo, &c.

17. *Non item ob publicam mutilationem.*

Probatur secunda pars: Quia Episcopus in Jure Communi, cui infertur Irregularitas publicæ mutilationis, nil potest relaxare: ergo, &c.

❧(o)☙

QVÆSTIO ULTIMA.

De Privilegijs Regularium in dispensando super Irregularitatibus.

1. *Potestas dispensativa Generalium & aliorum Superiorum Ordinum cum suis Subditis.*

DICO primò: Capita suprema Ordinum, & Provinciarum, Item Prælati, & Superiores locales: imò & eorum vices gerentes, possunt dispensare cum suis subditis, etiam Hospitibus, & Novitijs, in omni specie Irregularitatis: exceptâ homicidij voluntarij, quo refertur præstatio auxilij, vel favoris ad illud. Item exceptâ irregularitate Bigamiæ, & mutilationis publicæ. Ita communis Canonist. Regular. cum Brug. &c.

Probatur ex Concess. Julij II. Bulla *Virtute conspicuos*. Et Sixti IV. Bulla *Regimini*.

2. *Iudicium de ordinandis Irregularibus Religiosis pertinet ad solos Episcopos.*

NOTA autem primò: Etsi Prælati præfati Regulares habeant facultatem in Irregularitatibus dispensandi cum suis, non tamen habent potestatem judicandi, an ordinandi sint Regulares ob corporis vitium, si dubium oriatur circa eos: sed ad Episcopum ordinantem hujusmodi judicium pertinet, ùt habet Sylv. verbo *Corpore vitiati*. Nav. Rodriq. Brug. & cæteri DD. Regulares.

3. *Restringitur potestas Regularium Superiorum, circa Dispensationem in Irregularitate.*

NOTA secundò: Licèt concessiones adductæ Julij II. & Sixti IV. sint amplæ, & solas tres Irregularitates, Homicidij Voluntarij, Bigamiæ, & Mutilationis reservent, tamen putat sat probabiliter Navarrus cap. 25. Rodriq. Miranda, Portel verbo *dispensare*, & Brug. noster, Superiores Regulares etiam non posse dispensare in Irregularitatibus, resultantibus ex infamia publica, incursa ob gravissima & enormia peccata; v. g. ob bestialitatem, sodomiam, & similia, supra specificata dist. 2. q. 8. & hoc ob scandalum, quod generat hæc notoria enormitas. Neque possunt ijdem Superiores dispensare cum verè lunaticis, furiosis, Dæmoniacis, & similibus Infirmis, durante reali morbo, benè tamen eô ablatô. Ita Brug. tract. 21. cap. 9. cum alijs. Et deducitur ex cap. *Finali* 15. q. 1.

4. *Quadam facultates particulares Prælatorum Regul. circa dispensationem Irregularitatis ex homicidio*

NOTA tertiò. Circa *primam exceptionem Homicidij* supra positam, quasdam esse modificationes: nam imprimis possunt Prælati Regulares eminentes, ut Provinciales & Generales dispensare cum suis Subditis in irregularitate, proveniente ex lenitate seu homicidio justo Judicis, Ministrorum justitiæ, Militum qui in bello justo occiderunt: ùt habet Eman. Rodriq. tom. 1. qq. Regulat. q. 24. & plures apud eum DD. Item in Irre-

Irregularitate proveniente ex homicidio casuali, ob præstitam operam rei illicitæ, & facto defensionis causâ, etsi excedatur moderamen inculpatæ tutelæ, sive sit occultum, sivè publicum, ùt constat ex Bulla Eugenij IV. *Licet ad hoc*, & Sixti IV, Bulla *Regimini*, & tenet Brugnoli, cum alijs AA. Item proveniente ex mutilatione occulta. Ratio hujus est: quià super haec possunt Episcopi cum suis dispensare; Episcopis autem Generales, & Provinciales Ordinum æquiparantur in potestate, & jurisdictione simili: ergo, &c. Ita etiam Rodriq. Brug. & cæteri Doctores. Iidem Prælati possunt dispensare cum suis in Irregularitate, qui in sæculo existentes occultum commiserunt homicidium, voluntarium injustum. Ita DelaCrux, *de statu Relig.* lib. 1. Portel *in dubijs Regul.* verbo *Dispensare*. Miranda, Brug. &c. & deducitur ex Privilegio, quod reperitur in Comp. *Privil. Societ: Iesu* verbo *Dispensatio*. Et Bened. V. quod adducitur in Comp, *Privil. Mend.* verbo eodem.

5. *Amplissima potestas Prælatorum Regul. in dispensandu Irregularitatibus suorum in Quadragesima.*

DICO secundò: Die Lunæ post primam Dominicam Quadragesimæ, potest quivis Generalis, vel Provincialis Regularis dispensare in foro conscientiæ cum suis subditis in omnibus omninò Irregularitatibus publicis, & occultis, etiam homicidij voluntarij, Bigamiæ, & Mutilationis. Ita Brug. tract. 21. c. 19. & alij Doctores Regulares.

Probatur ex indefinita concessione Pauli III. Bulla *Exponi nobis*. Data Benedictinis Vallis Oleti, in quo Privilegio participant omnes Mendicantes: Hæc habetur in Bullario Roderici.

6. *Prælati Regul. etiam ab alijs possunt dispensari.*

Notandum tamen: Ipsos etiam Prælatos, etsi Locales tantùm sint, à deputato à se Confessario in ijsdem posse dispensari. Ita Iulius II. & refertur in *Mari Magno*, tenetque Sanchez lib. 8. *de Matrim.* disp. 3. n. 6. Miranda, Cavell: Suarez, Sayr. &c.

7. *Potestas Regul. Confessariorum in dispensandu Irregulari.*

DICO tertiò: Confessarij Regulares possunt etiam cum sæcularibus dispensare super omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, super quibus possunt Episcopi. Ita Mart. à S. Iosepho in Comp. *Facult. Confess.* verbo *Dispensare*, Sorbus verbo *Absolutio*. Rodriq. in explicatione Bullæ Cruciatæ §. 9. Suar. tomo 4. de *Regul.* Sanchez, & alij graves DD. Regulares.

[margin: ...tatibus sæcularium personarum.]

Probatur primò: Ex Sixto IV. qui concessit *FF. Ordinis Minimorum facultatem ad Confessiones audiendas, &c. ab omnibus Excommunicationibus, Suspensionibus, & Interdictis, & super quacunq; Irregularitate ordinaria tam à Iure, quàm ab homine reservatis, toties quoties opus fuerit absolvendi, dispensandi, ac vota quæcunque permutandi, sicut potest Diœcesanus*. Sed potest ex Trid. sess. 24. c. 6. Diœcesanus in Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus dispensare cum sæcularibus, excepto homicidio voluntario: ergo, &c.

Probatur secundò: Ex concessione Pauli III. facta Societati IESU in Bulla, *Cum inter cunctas*, ubi dicitur: quòd Confessarij Societatis possint absolvere *ab omnibus criminibus, excessibus & delictis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibusvis ex ipsis Casibus resultantibus Sententijs, Censuris, & Pœnis Ecclesiasticis*: Sed inter has pœnas ponuntur Irregularitates, ùt tenet Sanchez lib. 6. *Operum Moralium* & alij Theologi, ergo, &c.

8. *Summus Pontifex explicatur.*

Nec refert quod Papa citatus non utatur nomine *dispensare* sed *absolvere*; quia ut habet Suarez tract. 8. disp. de *Relig.* lib. 2. c. 21. *absolvere*, sæpe capitur pro *dispensare*: quasi absolvere idem sit, quod abolere. Deinde illa verba *Pœnis Ecclesiasticis* debent aliquid operari, alioquin essent superflua, quod absque ratione diceretur, sed non aliud, quàm significando Irregularitates: ergo, &c.

Tandem hæc materia est favorabilis, est enim supremi Principis Privilegium: ergo amplè interpretandum. Et aliunde non constat de aliqua Pontificia prohibitione, terminata ad Regulares Presbyteros, circa hoc punctum: ergo Regulares possunt dispensare cum sæcularibus in Irregularitatibus ex delictis occultis provenientibus eò modò, quò Episcopi.

Tomos Primum, & Secundum, continentes Speculativa, tardiùs justis de causis imprimendos expectet Amicus Lector, quos Author brevì quoq; publici faciet Juris, unà cum Quarto moralibus materijs referto, & actu jam typis subjecto.

In his, & aliis à me elucubratis subjicio me Censuræ S. Matris Ecclesiæ.

F I N I S.

INDEX RERUM.

QUÆ

IN TOMO TERTIO CONTINENTUR.

Primus Numerus indigitat Paginam, Secundus Paragraphum seu Numerum Lateralem.

A.

Baptismus

C.

Non

Chri-

Quomodo

Con-

D.

E

Eucha-

Qqqq Evcha-

F.

G.

Græ-

Tres

Item

K.

L. *Laici*

INDEX RERUM.

L

Lex

INDEX RERUM.

Ci-

M.

Mulier

Missæ

Tttt Patrini

Pœ-

Con-

Pri-

INDEX RERUM.

Regu-

INDEX RERUM.

Sacer-

Distin-

INDEX RERUM.

ERRATA benevolus ac discretus Lector dignabitur excusare & emendare, quæ ob absentiam Auctoris, utpote Ministeriatûs Provinciæ munere præpediti, irrepsêre.

FINIS.